

## QVÆSTIO I.

*An sit aliqua forma huius Sacramenti?*

1. **E**rror primus est Manichæorum, qui docuere, non necessariam aliquam formam verborum in hoc Sacramento, eò quod putarint Christum præsentem esse in omni pane & vino sineulla verborum consecratione: nec solum in pane & vino, sed etiam in spicis & vitibus, ut patet ex S. August. lib. 20. contra Faust. Manich. cap. 13. ubi inter cetera sic ait: *Noster autem panis & calix certa consecratione mysticus sit nobis, non nascitur. Proinde quod non ita fit (per consecrationem) quamvis sit panis & calix, alimentum est refectionis, non sacramentum religionis.*

Secundus error est Martini Buceri in caput 26. Matthæi, ut aperte scribit non esse necessarium, ut recitentur verba consecrationis, quia scriptura nusquam requirit. Quamuis enim Christus iubeat panem frangi & manducari, non tamen iubet super eum dici: *Hoc est Corpus meum.*

2. Prima Conclusio. Certum est requiri aliquam formam verborum, quibus fiat consecratio panis & vini in hoc Sacramento. Probatur, primo generatim, quia omnia Sacra menta nouæ legis constant rebus, & verbis secundum sanctum Augustinum traxl. 80. in Ioannem: *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Secundo, probatur speciatim ex antiqua praxi Ecclesiæ, quæ in hoc Sacramento semper adhibuit verba consecrationis. Vnde antiqui Patres passim docent hoc Sacramentum confici mystica benedictione, seu consecratione. Ut Augustinus lib. 20. contra Faustum, cap. 13. Ambrosius lib. 4. de Sacramentis, cap. 4. & 5. Irenæus l. 4. contra hæreses, cap. 34. Iustinus apolog. 2. pro Christianis. Cy rillus Alexandrinus in ep. ad Callio Syrium. Cyrill. Hierosol. Catech. 4. & 5. mystagog. Cyprian. in serm. de cœna Dom. & plures alij, de quibus infra. Tertio, probari solet ex illo 1. Cor. 10. v. 16. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?* hoc loco benedicere videtur idem esse, quod consecrare, secundum alios, de qua re in quest. 3. agemus.

3. Secunda Conclusio. Forma huius Sacramenti differt

à forma aliorum Sacramentorum. Ita D. Thom. art. 1. quem iam explicabo. Ponit autem duplē differentiam. Prima est, quod forma Eucharistie significet consecrationem materiæ: forma aliorum significet usum materiæ. Secunda, quod in aliis Sacramentis proferatur forma ex persona ministri, in Eucharistia vero ex persona Christi. Unde infert ministrum in hoc Sacramento nihil agere, nisi verba Christi proferre.

Dices: Hæc postrema differentia videtur esse falsa. Primo, quia in aliis etiam Sacramentis minister profert formam in persona Christi, secundum sanctum Augustinum dicentem: *cum Petrus baptizat, Christus est qui baptizat.* Secundo, quia in aliis Sacramentis minister profert verba à Christo instituta & prolatæ, & per illa efficit effectum Sacramentale; sic etiam facit in Eucharistia. Ergo nulla est differentia. Respondeo, duplē potest aliquis loqui in persona alterius. Primo, ut minister eius, accepta ab eo potestate operandi; ita ut ratione huius potestatis verba quæ proferuntur à ministro, possint personæ ministri accommodari. Hoc modo loquitur minister aliorum Sacramentorum, ut cum dicit: *Ego te baptizo, ego te absoluo;* nempè potestate à Christo mihi data. Secundo, loquitur aliquis in persona alterius præcisè, ut representans illum, ita ut tota veritas verborum non ad personam ministri, sed alterius referenda sit. Hoc modo loquitur minister huius Sacramenti, cum dicit: *Hoc est Corpus meum.* Et Angelus in veteri testamento inquiens: *Ego sum Deus Abraham, Isaac, & Jacob.*

Respondeo secundo. In modo instrumentaliter operandi non est differentia inter ministrum huius Sacramenti & aliorum, ut bene probat obiectio; quia minister ubique concurrit instrumentaliter ad effectum Sacramenti. Est tamen differentia in modo principaliter operandi, ut significat D. Thom. Nam minister in hoc Sacramento, ita profert verba Christi, ut illud tantum significet, quod Christus significauit: in aliis autem Sacramentis profert verba tanquam propria, significans actionem propriam, quam ipse exercet.

Hoc inde oritur, quia actio ministri circa materiam huius Sacra-

Sacramenti est ab illo, seu instrumento, & à Deo tanquam principali agente. In aliis autem Sacrementis, si qua est actio ministri circa materiam, est ab illo tanquam principali agente, quia solum est actio quedam externa, quæ non excedit naturales ministri vires, ut ablutio in Baptismo, consignatio in confirmatione, & sic deinceps.

## QVÆSTIO II.

*Quænam fuit forma huius Sacramenti?*

**I** Prima opinio est, non satis constare, quænam illa sit. Ita Scotus in 4. distill. 8. questione 2. & Erasmus in annotationibus super caput 11. prioris ad Corinthios. Et quidem Scotus, tametsi fateatur verba illa: *Hoc est Corpus meum: Hic est sanguis meus*, pertinere ad formam: tamen putat incertum esse, an solis his verbis, an etiam aliis antecedentibus in Canone Missæ contineatur perfecta forma. Vnde suadet, ut Sacerdos omnia illa verba dicat, quæ à Christo instituta sunt tanquam forma. Addit non valere consecrationem, nisi Sacerdos recitet illa verba: *Deditque Discipulis suis*, dicens: *Accipite & comedite*, ac proinde non esse adorandam Eucharistiam sine illis verbis consecratam, nisi forte sub conditione, si scilicet ritè consecratio facta sit. Ratio eius est, quia illa verba iam ultimò citata, siue pertinent ad formam, siue non, sunt tamen conditio quedam requisita ad hoc, ut reliqua verba formæ, nempè: *Hoc est Corpus meum*, dicantur à Sacerdote non in persona propria, sed in Christi.

Erasmus verò non solum de aliqua parte, sed de tota forma videtur dubitare. Sic enim scribit loco citato: *Vtiam traderet nobis Paulus verba, quibus consecratus est panis ille à Christo*. Item: *Qui nobis constat hoc pactum nobiscum initum esse, ut referente aliena verba consecremus & ipsi; cum verba etiam Christi videantur esse potius porrigitis consecratum quam consecrantis?*

Opinio secunda est, formam huius Sacramenti non contineri illis verbis: *Hoc est Corpus meum: Hic est sanguis meus*; sed oratione Dominica & salutatione Angelica septies recitata. Ita Vvaldenses opinatos esse refert Guido Carme-

lita in summa de hæresibus, cap. 9. Aliqui tamen dubitant; an ita senserint, præsertim Alphonsus à Castro in *l. de hæresibus, verb. Eucharistia, hæres.* 3. Ratio cur dubitet, eius est, quia Æneas Sylvius in *l. de origine Bohemorum, cap. 35.* diligenter enumerat errores Vualdenium, & tamen huius opinionis non meminit. Potest tamen hæc opinio cuiuscunque sit, confirmari ex Patribus. *Primo,* ex D. Gregor. lib. 7. *Registri, ep. l. 63.* vbi dicit, Apostolos ad solam orationem Dominicam solitos fuisse consecrare. *Secundo,* ex aliis Patribus, qui, cùm de consecratione Eucharistiae loquuntur, dicere solent eam fieri inuocatione diuini nominis, vel oratione, aut prece. Quo pacto loquitur S. Augustin. lib. 3. de *Trinitate, cap. 4.* Iustinus & Cyrill. Hierosol. locis suprà citatis. Et D. Hier. in ep. ad Eugenium. Hi tamen Patres commode explicandi sunt. Nam Greg. solum dicit Apostolos aliquando (forte ob imminens aliquod periculum) absque aliis ceremoniis & precibus consecrassæ; non tamen sine verbis consecrationis, ut post dicetur. Reliqui Patres non excludunt illa verba: *Hoc est Corpus meum*, ut bene notat Alanus *l. 1. de Eucharistia, cap. 17.* Sed generatim dicunt consecrationem fieri precibus, tum quia variae preces adhibentur in Missa; tum vero quia ipsa consecratio est quædam quasi oratio, seu inuocatio diuini nominis, quatenus per verba consecrationis inuocatur diuina virtus ad effectum Sacramenti.

Opinio *tertia* est quorundam Græcorum, præsertim Nicolai Cabasilæ, & Marci Ephesini putantium formam Eucharistiae consistere tum in illis Christi verbis: *Hoc est Corpus meum*; tum maximè in quadam oratione, quam illi post Christi prolata verba ita adhibent: *Rogamus te, sancte Pater, ut mittas Spiritum tuum super nos, & super hæc apposita munera; & fac panem istum pretiosum Corpus Filii tui, & quod est in calice isto, pretiosum sanguinem Christi tui.*

Ratio illorum est, quia hæc oratio habetur in Liturgiis Iacobi, Basilij & Chrysostomi. At frustra ibi haberetur, si per illam non fieret consecratio.


Opinio *quarta* est Lutheranorum & Caluinistarum putantium recitandam esse historiam institutionis Eucharistiae, siue ex Euangelistis, siue ex S. Paulo *1. Corintb. 11.* Et hoc passim

passim seruant in praxi. Est tamen differentia inter illos. Nam Caluinistæ recitant omnia per modum concionis, aut instructionis, non consecrationis, ut ex 4. *Institut.* Caluinii c.17. §.39. constat. Et in formula administrandi Sacra-  
menta; vbi præscribitur lectio ex cap. II. prioris ad Corinths.  
Lutherani contra, verba recitant Christi non tantum ad  
instructionem, sed etiam ad consecrationem, ut patet ex  
Kemn. in Exam. sess. 13. cap. I.

**2** Prima Conclusio. Forma consecrationis continetur so-  
lis Christi verbis, & non alia oratione superaddita, vt pu-  
tant quidam Græci. Probatur primo, quia in quibusdam  
Liturgiis non habetur illa Græcorum oratio, vt in Litur-  
gia Ambrosij & Iustini. Secundo, quia forma Eucharistiæ  
debet esse instituta à Christo. Sed oratio Græcorum non  
est instituta à Christo, &c. Tertio, quia illa Christi verba:  
*Hoc est Corpus meum*, debent esse vera simul atque prolata  
sunt. Ergo facta prolatione illorum, iam adest Corpus Chri-  
sti. Ergo oratio Græcorum, quæ postea sequitur, supponit  
Christum esse præsentem. Ergo vi illius orationis non fit  
præsens. Ergo illa oratio non pertinet ad formam conse-  
crationis.

Confirmatur ex duplice Græcorum praxi & consuetu-  
dine. Prima est, quod statim post illa Christi verba: *Hoc est*,  
&c. respondeat populus clara voce: *Amen*, id est, verum est,  
vt explicat Ambr. lib. de iis, qui mysteriis initiantur, cap. 9. Se-  
cunda est, quod statim post prolata Christi verba propona-  
tur populo Eucharistia adoranda, sicut etiam apud nos fit.

**3** Secunda Conclusio. Forma Eucharistiæ non contine-  
tur omnibus illis verbis quæ habentur in institutione hu-  
ijs Sacramenti, vt putant multi Caluinistæ & Lutherani.  
Probatur Primo, quia Christus, quando instituit hoc Sa-  
cramentum, non iussit legi Epistolam ad Corinthios, aut  
aliquid ex Euangelio. Ergo illa lectio non est necessaria.  
Secundo, nec Apostoli, antequam scriberentur Euangelia  
& Epistolæ, quicquam recitarunt in confiendo hoc Sa-  
cramento, nisi forte Psalmos, vel orationem Dominicam,  
vt scribit S. Greg. l.7. ep. 63. Tertio, nullum extat præceptum  
de hac lectione neque in Scripturis, neque in Conciliis,  
aut antiquis Patribus.



4 Tertia Conclusio. Forma Eucharistiae continetur his foliis verbis: *Hoc est Corpus meum: Hic est sanguis meus.* Præcedentia autem & sequentia alia non sunt de formæ essentia, licet omitti non debeant. Est communis sententia Catholicorum, quam ex Ecclesiæ vsu, & ex Patribus & Conciliis prolixè probat Suarez *disp. 59. & 60.* Et ratio est, quia Christus consecravit illis verbis, ut paulò post ostendam. Ergo & nos debemus iisdem consecrare.

5 Prima Obiectio. In Liturgiis Iacobi, Basiliij & Chrysostomi post suprà dicta verba adhuc sequitur oratio, qua petitur à Deo, ut panis fiat Corpus Christi. Ergo non fit per sola supradicta verba Bellarminus *lib. 4. de Eucharistia, cap. 14.* adfert tres solutiones, quarum tertia est: per illam orationem non peti à Deo absolute & simpliciter, ut panis fiat Corpus Christi, sed cum hac determinatione, ut *nobis* fiat Corpus Christi, id est, ut ex eo percipiamus nutritiōnem spiritualem.

6 Secunda Obiectio. Quando Sacerdos profert illa verba; *Hoc est Corpus meum*, vel profert ea recitatiuē, vel significatiuē. Neutrum dici potest. Non *primum*, quia si tantum recitat illa verba per modum narrationis, iam per illa non consecrat; sicut homines priuati, quando legunt illa verba in Euangeliō, non censentur consecrare. Nec *secundum*, quia si profert illa verba significatiuē, iam significat hoc esse suum corpus, & non Christi Corpus, quod tamen est falsum.

Respondeo, utroque modo ea profert, & recitatiuē & significatiuē. Recitatiuē, in persona propria; significatiuē, in persona Christi.

### Q V A E S T I O III.

*An Christus fit usus hac forma in consecratione?*

1 **P**rima opinio est, Christum non consecrass̄e verbis, sed sola voluntate & aliquo signo externo exhibito, quia non erat alligatus ad determinatam verborum formam, sicut nos sumus, sed uteretur potestate excellentiæ. Ita Innocentius & Archidiaconus in *capitulo*, qui scriberat, de consecrati. *dist. 2.* & Guil. Durandus in *rationali*,

*lib.4.cap.44. num.15.* Ratio est, quia quando Christus protulit illa verba : *Hoc est*, &c. iam antea consecrauerat, ut patet ex illis verbis: *Accipit panem, benedixit, sregit, deditque discipulis suis, dicens: Accipite, & manducate, hoc est Corpus meum.* Ergo prius benedixit, quam protulerit illa verba : *Hoc est Corpus meum.* Sed illa benedictio secundum communem sententiam fuit consecratio. Ergo, &c.

Confirmatur primo, quia illa verba : *Hoc est Corpus meum,* non possunt esse vera, nisi supponant consecrationem factam. Secundo, quia S. Marcus refert, Apostolos prius sumpsisse calicem, & postea dixisse Christum : *Hic est sanguis meus.* Ergo haec verba supponebant vinum esse mutatum in sanguinem.

Opinio secunda est, Christum non quidem consecrasse illis verbis : *Hoc est*, &c. consecrassse tamen aliis verbis, & non sola voluntate, aut alio externo signo. Ita refert D. Thom. art. 1. ad 1. Ratio est, quia Christus consecravit benedicendo. Sed benedictio debet fieri aliquibus verbis. Ergo, consecrant per aliqua verba. Confirmatur ex Iustino in *apolog.* 2. vbi dicit : *Consecratio fit per verbum preicationis & gratiarum actionis.* Postea subdit, Christum aetis gratiis dixisse : *Hoc est Corpus meum.*

Opinio tertia est, Christum consecrasse illis verbis : *Hoc est Corpus meum*, ita tamen, ut bis ea protulerit, semel in secreto, antequam daret discipulis Eucharistiam, & semel publice postquam dedisset. Ratio est, quia quando publice dixit : *Hoc est*, &c. iam erat facta consecratio. Ergo debuit esse facta aliquibus verbis. At non sunt aptiora verba, quam illa eadem. *Hoc est*, &c. Ergo per illa prius fuit facta consecratio.

Hæc quæstio connexa est cum hac : an distinguantur illa tria verba inter se : Benedictio, gratiarum actio & consecratio. Ideo hæc paucis explicanda. Nam aliqui putant distinguiri, ut Suarez *disput.* 58. sect. 2. aliqui sumunt omnia pro eodem, ut D. Thom. art. 1. ad 1. Alij distinguunt consecrationem & gratiarum actionem, non tamen consecrationem & benedictionem, ut Innocentius, Archidiaconus, Durandus *locis citatis*, & Alanus *lib. 1. de Eucharistia, cap. 23.* Alij denique distinguunt consecrationem à reliquis

394 CAP. XLI. DE SACRAMENTIS  
duobus, non tamen reliqua duo inter se, ut Bonaventura  
in 4. distin<sup>t</sup>. 8. art. 2. quæst. 3. Caietanus & Tittelmannus in  
cap. 26. Mauth. & Iansenius in concordia, cap. 131.

2 Prima Conclusio. Benedictio & Gratiarum actio pro eodem sumuntur apud Euangelistas. Ita præter D. Thomam Durandus in 4. distin<sup>t</sup>. 8. quæst. 2. Marsilius quæst. 6.  
art. 1. Gabriel test. 36. in Canon. Maldonatus in cap. 14. Matthei, vers. 19. & in cap. 26. vers. 26. Ratio est, quia Euangelistæ indifferenter vtuntur, nunc verbo benedicendi, nunc gratias agendi, etiam in eadem re explicanda. Nam Matthæus & Marcus in consecratione corporis vtuntur verbo εὐλογίων, id est, benedico. In consecratione calicis vtuntur verbo εὐχαριστῶν, id est, gratias ago.

Similiter Matthæus cap. 25. dicit, Christum gratias egisse super septem panes & duos pisces: Et tamen Marcus cap. 8. circa panes vtitur verbo εὐχαριστῶν; circa pisces autem verbo εὐλογία. Vide plura apud Maldonatum.

At quæstio est, cùm illa duo Benedicere & Gratias agere, sumantur pro eodem, vtrum vnum pro altero sumatur. Calvinistæ hic errant tripliciter. Primo, quia volunt benedicere sumi pro gratias agere. Secundo, quia dicunt hanc Christi benedictionem non esse referendam ad panem; quasi illi Christus benedixerit; sed ad Deum, quasi illi gratias egerit. Tertio, quia putant hanc benedictionem, sicut, vt ipsi vocant, gratiarum actionem non esse singularem, & propriam huius Sacramenti, sed communem & inter Iudeos visitatam. Hic error refellitur in seq. concl.

3 Secunda Conclusio. Benedictio sumitur pro consecratione in hac materia de qua agimus. Ita auctores citati. Et patet ex 1. Cor. 11. vers. 16. calix, cui benedicimus, id est, quem benedicendo consecramus. Hinc Cyrillus epist. 10. ad Nestor. vocat consecrationem mysticam benedictionem. Et Ambrosius lib. de initiatib. cap. 9. sic habet: Hic est panis, quem benedictio consecrauit: Maior est vis benedictionis, quam naturæ; quia benedictione etiam natura ipsa mutatur.

Hinc contra Calvinistas sequitur primo, benedictionem referri ad calicem, non autem ad Deum. Quod etiam aper-te patet ex Mattheo 26. vers. 26. Accepit panem, & benedixit ac fregit. Secundo, benedictionem non sumi pro gratiarum

tiarum actione; sed è contrario gratiarum actionem sumi pro benedictione. Nam benedictio refertur ad panem & calicem. Ergo non potest sumi pro gratiarum actione, quæ refertur ad Deum. *Tertio*, sequitur haec tria, benedictionem, gratiarum actionem, & consecrationem sumi pro eodem in hoc mysterio, de quo agimus.

**4.** Tertia Conclusio. Christus consecrauit illis verbis publicè prolatis: *Hoc est Corpus meum.* Diuus Thom. art. 1. ad 1. & alij passim. Probatur *primo* ex antiquis Patribus, qui aperte id docent, præfertim Tertull. lib. 4. contra Marcion. cap. 4. Cyprian. in serm. de Cœna Domini. Greg. Nysseno in oratione catechetica. Ambros. lib. 4. de Sacramentis, cap. 4. & 5. Chrys. in serm. de prodictione Iudei; & alij.

*Secundo*, probatur ex Concil. Florentino, ubi definitum est formam huius Sacramenti esse verba, quibus Christus consecrauit. *Tertio*, probatur ratione: quia Christus iussit Apostolos idem facere, quod ipse fecerat. Ergo voluit ipsos eadem secum forma consecrationis vti. Sed Apostoli & horum successores non leguntur consecrasse aliis verbis, quam illis: *Hoc est Corpus meum.* Ergo Christus iisdem consecrauit.

*Quarto* probatur, quia ex toto Euangeliō non potest colligi alia forma. *Obiectio*: Euangelistæ dicunt Christum prius benedixisse panem, & postea illa verba protulisse: *Hoc est Corpus meum.* Ergo vel benedictio non est idem quod consecratio, vel consecratio non est facta per illa verba: *Hoc est Corpus meum.*

Respondeo, Euangelistæ sèpè non seruant ordinem, quores gestæ sunt, ut notat Augustin. lib. 2. de consensu Euangelistarum, cap. 30. 31. & 44. Quod si ordinem rei gestæ speciemus, verba Euangelistarum sic ordinanda erunt: *Accipit panem, & benedixit, dicens: Hoc est Corpus meum.* Hoc commodius dicitur contra hæreticos.

### Q V A E S T I O I V .

*De vi & efficacia huius formæ.*

**1.** **M**ulta queri possunt de vi & efficacia horum verborum: *Hoc est Corpus meum.* Primo, an illis verbis insit

insit aliqua vis actiua, seu qualitas physica superaddita, ut videtur sentire D. Thom. art. 4. & nonnulli alij auctores. **Secundo**, an verba physice concurrant ad conuersionem substantiae panis in Corpus Christi. Affirmat Suarez *disputat. 61. sect. 1.* & alij ab eodem citati. **Tertio**, an etiam physice concurrant ad producendam gratiam in vsu Sacramenti; quod videtur afferere Valentia *quest. 6. punt. 3.* post medium. **Quarto**, an producant effectum suum eo tempore, quo actu proferuntur; an vero in ultimo instanti prolationis. Hac breuiter explicabuntur secundum dicta in cap. 6.

**2.** Prima Conclusio. In illis verbis: *Hoc est Corpus meum*, non inest aliqua vis, seu qualitas actiua superaddita. Ratio, quia vel esset permanens vel successiva. Si permanens, non posset recipi in subiecto successivo, sicut est prolatione horum verborum: *Hoc est Corpus meum*. Si successiva, iam nec tota simul existeret, nec tota esset actiua, nec haberet partes eiusdem rationis. Ergo frustra poneretur secundum se tota.

**3.** Secunda Conclusio. Illa verba: *Hoc est Corpus meum*, non concurrunt physicè ad conuersionem substantiae panis in Corpus Christi, sed tantum moraliter. Probatur primo ex Patribus tribuentibus hanc conuersionem soli Deo. Damascenus *lib. 4. cap. 14.* confert illam cum INCARNATIONE. Nam sicut *Incarnatio* facta est à solo Spiritu sancto ad presentiam verborum, quibus Beata Virgo suum consensum expressit: ita hic prolatis à Sacerdote verbis Spiritus sanctus operatur conuersionem panis in Corpus Christi. Ergo sicut Beatæ Virginis verba non physicè, sed tantum moraliter concurrebant ad Incarnationem; ita & hic dicendum.

Similia habent Ambrosius *lib. 4. de Sacramentis*, cap. 4. Chrysost. homil. 83. in Matth.

**Secundo**, probatur conclusio ratione, quia in hac conuersione sunt due actiones spectandæ. **Vna**, qua expellitur substantia panis: **altera**, qua adducitur & fit praesens Christii Corpus. Prior actio est illa, qua accidentia panis per se constituuntur extra subiectum. Nam ex vi illius actionis sequitur desitio substantiae panis, ut supra dictum.

posterior actio vel est adductiva tantum; vel etiam substantialiter conseruativa secundum Suarez & alios. Atqui verò hæc duæ non possunt physicè produci ab illis verbis: *Hoc est Corpus meum.* Ergo illa verba non concurrunt physicè ad conuerzionem substantiæ panis in Corpus Christi.

Minor probatur. *Primo*, quia actio conseruativa non potest physicè pendere, nisi a causa permanente. At prolatio verborum non est causa permanens. Ergo ab illa physicè non pendet conseruatio Corporis Christi. *Secundo*, quia actio adductiva recipitur in Corpore Christi tanquam in subiecto. At prolatio verborum non potest physicè agere in Corpus Christi, nisi sit præsens. Ergo non potest illud facere præsens per actionem adductiuanam.

Confirmatur, quia prolatio verborum, vel supponit Corpus Christi esse præsens aut absens. Si supponit præsens, iam non fecit illud præsens per actionem adductiuanam. Si supponit absens, iam non potest in illud physicè agere.

Dices: Sufficit Deum esse præsentem. Respondi alibi.

*Tertio.* Probatur minor, quia illa prolatio vel secundum se totam, vel secundum aliquam partem diuisibilem, vel secundum aliquam partem indiuisibilem est causa physica respectu huius conuerzionis, quæ fit in instanti. Non *primum*, quia nullum datur instans in quo existat illa prolatio secundum se totam. Nec *secundum*, propter eandem causam, quia non datur instans, in quo existat pars diuisibilis secundum successionem. Nec *tertium*, quia non potest explicari, quænam fit pars indiuisibilis in ente successivo; ut paulo post ostendam in 4. conclusus.

4 Tertia Conclusio. Illa verba: *Hoc est Corpus meum*, non concurrunt physicè & immediate ad productionem gratiæ, quæ percipitur ex Eucharistia, sed tantum moraliter & remotè. Prius patet, quia nulla causa potest physicè & immediate operari, quando non existit. Sed prolatio corunt verborum: *Hoc est Corpus meum*, non existit quando producitur gratia Sacramentalis, Ergo non potest physicè & immediate hanc gratiam producere.

Posterior probatur, quia illa prolatio conficit Sacramentum Eucharistia, quod postea moraliter confert gratiam.

Ergo

Ergo saltem ad eandem gratiam concurrit prolatione verborum; idque remotè.

5 Quarta Conclusio. Illa verba; *Hoc est Corpus meum*, tunc censentur moraliter concurrere ad transubstantiationem, quando integrè prolatione sunt. Hic multa queri solent. *Primo*, an hoc fiat in proximo instanti, quod sequitur prolationem, an vero in tempore immediatè sequenti. *Secundo*, si fit in instanti, quod probabilius est, an illud instans, quo perficitur prolatione verborum, sit intrinsecum ipsi prolationi, an extrinsecum. *Tertio*, an supradicta verba efficiant transubstantiationem quatenus vera sunt. Hæc tertia questio in seq. quest. explicabitur: nunc secunda examinetur.

Aliqui docent in omni motu successivo, quando peruenit ad terminum eius, dari aliquam mutationem instantaneam, qua perficitur & consummatur terminus illius motus; quia per illam mutationem acquiritur in eo instanti aliquid reale indiuisibile, quod in toto anteriore tempore non erat acquisitum. Eodem modo dicunt fieri in proposito nostro; nempe dari instans, in quo intrinsecè perficitur prolatione verborum per aliquid reale positivum & indiuisibile, quod in eo instanti producitur; & ratione cuius verè dici potest: nunc Sacramentum est. Putant enim illud reale positivum & indiuisibile, quod in illo instanti producitur, nihil aliud esse, quam terminum, quo Sacramentum perficitur & completur; ita ut in illo instanti liceat dicere: nunc Sacramentum est, & antea non erat.

Hæc sententia non placet. *Primo*, quia entia successiva fiunt in tempore, & proximum instans, in quo desinunt, est illis extrinsecum, non autem intrinsecum. Nam hoc sensu dicunt Philosophi: entia successiva desinunt per primum sui non esse. *Secundo*, quia si prolatione verborum in illo instanti intrinseco existit, cum antea non esset; Ergo tunc incipit esse. Ergo incipit per primum sui esse. Ergo non est ens successivum; quia repugnat entia successiva fieri per primum sui esse. Nam quod ita fit, totum simul sit.

Respondent aliqui, in eo instanti non existere prolationem

tionem verborum secundum se totam, sed secundum terminum suum realem & indiuisibilem, quo perficitur ipsa prolatio, ita ut tunc liceat dicere: nunc perficitur prolatione, cum antea esset imperfecta. Addunt hunc ipsum terminum indiuisibilem, in illo ipso instanti quo producitur, physicè concurrere ad transubstantiationem; & similiter in aliis Sacramentis dari similem terminum, qui effectiū producat gratiam Sacramentalem. Hæc omnia satis sunt probabilia.

Sed contraria, quia terminus ille realis & indiuisibilis vel sensu percipitur, vel non. Si sensu percipitur, non potest esse indiuisibilis, quia omnes species sensuum externorum sunt diuisibiles; ac proinde diuisibiliter repræsentant suum obiectum. Si non percipitur sensu, iam neque Sacramentum dici potest, neque aliquid Sacramenti; neque tribui potest illi actio Sacramentalis. Ratio est, quia Sacramentum est signum sensibile practicum, & per illud ipsum, quo sensibiliter significat effectum Sacramentale, etiam eundem efficit effectum. At non significat sensibiliter per aliquid indiuisibile. Ergo nec efficit per aliquid indiuisibile.

## QVÆSTIO V.

## De veritate huius formæ.

**D**E veritate horum verborum: *Hoc est Corpus meum,* tria dicta sunt suprà. *Primo*, pronomen, *Hoc*, sumi adiectiū, sicut sumitur in simili exemplo: *Hic est sanguis meus. Secundo*, verba illa esse practica, quia vi illorum incipit ibi esse Corpus Christi. *Tertio*, tunc esse vera quando integrè prolata sunt. Nam veritas & significatio propositionis non est perfecta, nisi quando duo extrema per copulam unita sunt. Non sunt autem unita in vocali propositione, nisi quando voce prolata sunt. Nunc superest vna difficultas: an suprà dicta verba ratione suæ veritatis efficiant conuersionem panis in Corpus Christi; Vel, quod idem est, an quatenus vera sunt, faciant Corpus Christi praesens.

Ratio dubitandi est, quia causa effectiva est prior suo effectu,

effectu. Ergo illa verba : *Hoc est Corpus meum*, prius natura efficiunt, quam sequatur effectus. Ergo prius natura efficiunt, quam Corpus Christi sit praesens. Ergo prius natura efficiunt, quam sint vera ; quia non sunt vera, nisi Corpus Christi sit praesens. Nam veritas consistit in conformitate propositionis cum re significata.

In contrarium vero est, quia si illa verba non efficiunt transubstantiationem, seu conuersionem, seu presentiam Corporis Christi, quatenus vera sunt. Ergo efficiunt quatenus falsa sunt ; quod est absurdum. Sequela patet, quia efficiunt quatenus significant. Ergo quatenus vere, vel quatenus falso significant. Ergo si prius non conceditur, dandum est posterius.

*Opinio prima* est veritatem illorum verborum : *Hoc est*, &c. & conuersionem panis in Corpus Christi, in diverso genere causae posse inter se conferri. Et quidem in genere causae efficientis veritatem verborum esse priorem conuersione : at in generi causae materialis conuersionem esse priorem veritate istorum verborum. Hoc explicant in exemplo domestico, quia ingressus aeris est prior aperi-  
tione fenestræ in genere causæ efficientis, & posterior in genere causæ materialis. Item : infusio gratiæ iustificantis est prior expulsione peccati mortalis in uno genere, & in altero posterior.

Hæc doctrina multis non placet. *Primo*, quia, quod est prius aliquo in genere causæ efficientis, hoc non potest illo esse posterius in genere causæ materialis aut dispositi-  
uæ, secundum Philosophos. Ratio, quia dispositio non po-  
test supponere formam ad quam disponit ; & tamen ne-  
cessario supponit causam efficientem. *Secundo*, quia exem-  
plum allatum non est ad rem. Quamuis enim impulsus  
aeris sit prior in genere causæ efficientis, quam apertio fe-  
nestræ : tamen ingressus aeris non est prior in illo genere.  
*Tertio*, quicquid sit de aliis exemplis ; tamen in proposito  
nostro non habet locum ista distinctio. Nam veritas pro-  
positionis consistit in conformitate cum re significata.  
Hæc autem conformitas est quedam relatio, cuius termi-  
nus est res significata. At relatio non potest esse causa effi-  
cacia sui termini, cum nullo modo sit prior suo termino.

Ergo

Ergo veritas verborum non potest esse causa efficiens præsentia Corporis Christi Domini.

Opinio secunda est Cajetani, qui tria dicit. *Primo*, illa verba: *Hoc est Corpus meum*, habere duplicitem speculatiuam & practicam. *Secundo*, quatenus practicè vera sunt, sic esse causam præsentia Christi; non autem quatenus speculatiuè vera sunt. *Tertio*, practicam veritatem ordine naturæ priorem esse conuersione panis in *Corpus Christi*, speculatiuam verò posteriorem.

Hæc doctrina quibusdam non placet. *Primo*, quia putant non posse commode explicari, quid sit veritas practica in dictis verbis. *Secundo*, quia putant non satisfieri difficultati propositæ initio; an hoc sit, post videbitur.

Opinio *tertia* est Scoti, qui duo dicit. *Primo*, supra dicta verba non efficere præsentiam *Corporis Christi*, quatenus vera sunt. *Ratio*, quia veritas eorum resultat ex efficientia, ac proinde est posterior. *Secundo*, totam significationem eorumdem verborum duratione, aut tempore priorem esse quam sit eorum veritas, eo modo, quo instans est duratione posterius tempore immediatè antecedente. *Ratio eius est*, quia putat significationem cuiusque propositionis perfici in tempore; veritatem autem incipere in proximo instanti, siue in primo non esse propositionis.

Priorem partem huius opinionis admittit Suarez, posteriorem dupliciter oppunat. *Primo*, quia putat illud instans, in quo propositio incipit esse vera, non esse extrinsecum, sed intrinsecum, quia in illo intrinsecè durat propositio & perficitur. *Secundo*, quia si dicamus cum Scoto totam propositionem & significationem eius consummatam esse in tempore antecedente; consequenter dicendum erit eodem tempore fuisse veram vel falsam, quia veritas vel falsitas necessariò connexa est cum significatione.

*3 Prima Conclusio*: In hac propositione: *Hoc est Corpus meum*, multa spectari possunt. *Primo*, materialis verborum sonus. *Secundo*, significatio. *Tertio*, veritas. *Quarto*, efficientia. *Quinto*, effectus seu præsentia *Corporis Christi*. Ex his duo explicanda sunt, nempe significatio & veritas; reliqua non indigent explicatione.

4 Secunda Conclusio : Duplex est veritas propositionis, speculativa & practica. Speculativa consistit in conformitate propositionis significantis cum re significata. Practica consistit in conformitate cum intentione & potestate loquentis. Si haec duae veritates conferantur inter se, respetto eiusdem propositionis, practica potest esse prior, quam speculativa. Nam si quis cum intentione & potestate faciendi dicat : Hoc cras a me fieri ; is practice verum dicit, & tamen fieri potest, ut non sequatur veritas speculativa, quia potest omittere quod dixerat se facturum.


5 Tertia Conclusio : Significatio propositionis est prior, quam veritas speculativa. Ratio est, quia significatio conuenit propositioni ex vi solius impositionis, siue res significata sit vera, siue non sit vera. At speculativa veritas non conuenit propositioni ex vi solius impositionis, sed ulterius requirit conformitatem cum re significata. Hinc sequitur

*Primo*, significacionem propositionis significantis existentiam rei non pendere ab existentia rei significata, cum tamen veritas eius ab ea dependeat. *Secundo* sequitur, posse propositionem quatenus significat, intelligi prius natura, quam existat res significata, quia tam impositione, quam significatio eius est ab illa re independens. *Tertio* sequitur, posse propositionem prius significare, quam vera vel falsa esse intelligatur, tum quia est magis independens in significando : tum etiam, quia comparatur ad veritatem, tanquam subiectum ad proprietatem : tum denique, quia significatio praeceps spectata terminatur ad rem secundum se, abstrahendo a conformitate, vel disformitate rei significatae.

6 Quarta Conclusio : In hac propositione : *Hoc est Corpus meum*, seruandus est hic ordo naturae. *Primo*, est materialis verborum sonus. *Secundo*, significatio, qua significatur, quod Christus sit praesens. *Tertio*, veritas practica, qua est conformitas cum intentione & potestate Christi loquentis. *Quarto*, efficientia, per quam fit couersio. *Quinto*, praesencia Corporis Christi, qui est effectus conuersionis. *Sexto*, veritas speculativa, qua consurgit positio illo effectu, qui est terminus conformitatis, seu veritatis speculatiuum.

Hinc patet *primo*, illam propositionem : *Hoc est Corpus meum*, efficere præsentiam Corporis Christi, non quia vera est speculatiuè, sed ut vera sit speculatiuè; & consequenter, licet priùs natura significet, quàm efficiat ; non tamen priùs natura esse veram speculatiuè quàm efficiat, quia efficit rem quam significat ; & ex illo effectu resultat conformitas significantis ad rem significatam, in qua consistit veritas speculatiua.

*Secundo* patet sententiam Cajetani non esse improbandam, quia iam explicaui, quid intelligatur per veritatem practicam.



## C A P V T    X X I I .

### *De effectu Sacramenti Eucharistie.*

**H**IC *primo* quæri potest, an Eucharistia conferat primam gratiam iustificantem, & quæ dispositio fit necessaria ad hunc effectum. *Secundo*, an conferat augmentum gratiæ iustificantis. *Tertio*, an conferat gratiam actualē, qua homo vincat tentationes, & præseruetur à peccatis futuris. *Quarto*, an remittat peccata venialia, & pœnas temporales. *Quinto*, an proficit etiam corpori, siue in hac, siue in futura vita. *Sexto*, quo tempore, vel instanti conferat suum effectum, an scilicet in ipsa actuali sumptione, an post factam sumptionem ; an etiam postea recedente fictione, si quis forte indignus accessisset. *Septimo*, an plus conferat sub vtraque specie, quàm sub altera tantum.

## Q V A S T I O    I .

### *An Eucharistia conferat primam gratiam iustificantem ?*

**I** HÆC quæstio est eadem cum illa quam tractat D. Thomas art. 3. an Eucharistia remittat peccatum mortale. Nam prima gratia iustificans nemini post Baptismum confertur, nisi existenti in peccato mortali. Duo autem quæri possunt. *Primo*, an Eucharistia conferat primam gratiam iustificantem, & consequenter tollat peccatum

catum mortale. Secundo, quæ dispositio necessaria sit in suscipiente, ut hunc effectum consequatur.

2. Prima Conclusio: Certum est Eucharistiam per se non esse institutam ad conferendam primam gratiam iustificantem, ac proinde nec ad peccatum mortale remittendum. Ita D. Thomas art. 3. vbi dicit, hoc Sacramentum non prodesse illi qui habet conscientiam peccati mortalis. Probatur primo generatim, quia duo tantum sunt Sacra menta mortuorum, Baptismus & Poenitentia; reliqua sunt viuentium; ac proinde supponunt primam gratiam iustificantem. Secundo, speciatim, quia Eucharistia est instituta ad nutritionem spiritualem. Hæc autem nutritio supponit vitam spiritualem. Vide cap. 3. quest. 6.

Solum hic queri potest quid sit secundum D. Th. habere conscientiam peccati mortalis. Aliqui putant idem esse, quod habere affectum ad peccatum mortale. Hoc probant ex textu D. Thom. art. 3. vbi sic argumentatur: *Per Sacramentum Eucaristiae unitur homo cum Christo. Sed non potest uniri Christo, dum est in affectu peccandi mortaliter. Ergo tunc non potest hoc Sacramentum dignè suscipere.*

Respondeo. Aliud est accedere ad Eucharistiam cum conscientia peccati mortalis, aliud cum affectu peccati mortalis, ut recte docet Cajetan. art. 3. & colligitur ex D. Thom. art. 3. ad 2. vbi dicit posse aliquem accedere ad Baptismum cum conscientia peccati mortalis, non tamen ad Eucharistiam. At certum est, neminem posse accedere ad Baptismum cum affectu peccati mortalis. Ergo non est idem accedere cum affectu, & accedere cum conscientia peccati mortalis.

Differunt autem in eo, quod is dicatur accedere cum affectu, qui non detestatur peccatum suum, sed potius ad illud afficitur. Is autem cum conscientia, qui cognoscit se esse in statu peccati mortalis, nec habere sufficientem contritionem, etiamsi habeat attritionem.

Addo tamen, cum, qui cum conscientia peccati mortalis accedit ad Eucharistiam, accedere etiam cum affectu peccandi, non quod accedat cum affectu illius peccati habitualis cuius conscientiam habet; sed quia accedit cum affectu noui peccati actualis, quatenus sciens ac volens accedit

accedit indignè ad hoc Sacramentum. Et hoc sensu intellegendus est D. Thomas, quando contra nos citatur.

**3 Obiectio :** Eucharistia videtur per se instituta ad tollendum peccatum mortale, & conferendam primam gratiam. Probatur *primo*, ex forma huius Sacramenti, quæ sic habet: *Hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum.* *Secundo*, ex Concil. Florent. vbi dicitur hoc Sacramentum incorporare nos Christo. Et ex Trident. *sess. 13. can. 5.* vbi sic ait: *si quis dixerit, vel præcipuum frumentum Eucharistiae esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus prouenire, anathema sit.* Supponit ergo Eucharistiam habere effectum, quamvis nec solum, nec præcipuum. Probatur *tertio* ex Patribus tribuentibus Eucharistiae remissionem omnium peccatorum. Chrys. homil. 83. in Matth. Ambros. lib. de benedictionib. Patriarcharum, cap. 9. Cyprianus serm. de Cena Domini. Damasc. lib. 4. cap. 14. Cyrill. lib. 4. in Ioan. cap. 16. & alijs.

**Quarto** probatur ratione, quia in hoc Sacramento sumitur Christus, qui peccata remittit. Ergo sicut hoc Sacramentum ex vi suæ institutionis continet in se Christum: sic ex vi eiusdem institutionis continet virtutem remittendi peccata. Confirmatur ex D. Thom. *art. 1.* vbi sic argumentatur: Effectus huius Sacramenti debet principaliiter considerari ex parte Christi, qui continetur in hoc Sacramento. Sicut enim Christus visibiliter veniens in mundum contulit mundo vitam gratiæ: sic idem Christus Sacramentaliter veniens in hominem confert illi vitam gratiæ, iuxta illud Ioan. 6. vers. 57. *Qui manducat me, & ipse vivet propter me.* **Quinto** probatur; quia non repugnat eandem rem esse cibum & pharmacum. Ergo Eucharistia ex vi suæ institutionis potest simul esse cibus & pharmacum. Ergo ex vi suæ institutionis potest prædestinare iustis & peccatoribus.

Dices: Contrarium inde sequitur, quia peccatores consentir esse mortui per peccatum mortale. Non prosunt autem mortuis, sed viuentibus cibus & pharmacum. Sed contraria, quia peccatum mortale, quamvis uno sensu dicatur mors animæ, quatenus tollit gratiam iustificantem; tamen alio sensu dicitur morbus & infirmitas animæ, quatenus non tollit omnem motum vitæ spiritualis, nec adfert ultimam

& desperatam mortem. Infirmitas autem potest tolli per pharmacum, ac proinde Eucharistia per modum pharmaci potest prodeesse peccatoribus, tanquam spiritualiter infirmis, & nondum desperatis.

Huc spectat oratio Ecclesiæ in Missa qua petitur, hoc Sacramentum, ut sit fortitudo fragilium & ablutio scelerum. Vnde etiam S. Ignatius epistola 14. ad Ephesios in fine, ait: *Frangentes panem, quod pharmacum immortalitatis est, mortis antidoton, vitamque in Deo concilians per Christum, & medicamentum purgans vicia.* Et Chrysostomilia 4. in Mattheum: *Omnis morbus hoc remedio extinguitur.* Cyprianus sermone de Cœna Domini: *Hic panis est medicamentum ad sanandas infirmitates, & purgandas iniquitates.* August. sermone 28. de verbis Domini: *Qui vulnus habet, medicinam requirit. Vulnus est, quia sub peccato sumus. Medicina est celeste, & venerabile Sacramentum.*

Respondeo ad primum argumentum: Ex forma huius Sacramenti duo colligi posse. Primo, sanguinem Christi in cruce effusum esse in remissionem peccatorum. Secundo, eundem sanguinem per modum Sacrificij posse offerri in remissionem peccatorum. Hoc infra explicabitur in tractatu de Missa.

Ad secundum respondeo. Concilium Florentinum loqui de augmento gratiæ, ut in ipso textu explicatur. Tridentinum, verò generatim loquitur de remissione peccatorum abstrahendo à mortalibus & venialibus.

Ad tertium respondeo. Patres variis modis intelligi. Primo, Eucharistiam valere ad tollenda mortalia, quatenus Sacrificium est. Secundo, remittere etiā venalia quatenus Sacramentum est. Tertio, præseruare hominem à mortalibus.

Ad quartum respondeo. Sacramentum continere in se Christum, qui potest peccata remittere. Vnde, si præcisè consideretur Christus, qui in hoc Sacramento continetur, non dubium est, quin habeat vim conferendi gratiam & remittendi peccata. Si autem consideretur Christus, quatenus vult mediante hoc Sacramento ex opere operato conferre fructum, sic non confert ordinariè primam gratiam iustificantem, & remissionem peccati mortalis; sed augmentum gratiæ & nutritionem spiritualem. Nec aliter exponi

exponi potest D. Thom. art. 1. nisi velimus illum art. 3. sibi ipsi repugnare.

Ad *quintum* respond. Eucharistiam posse dici pharmaca-  
cam, seu medicinam in triplici sensu. *Primo*, quatenus cu-  
rat peccata venialia. *Secundo*, quatenus præseruat à morta-  
libus. *Tertio*, quatenus expellit infirmitatem relictam ex  
mortalibus.

**4 Secunda Conclusio:** Licet Eucharistia non sit per se poteris  
instituta ad conferendam pritham gratiam iustificantem,  
& tollendum peccatum mortale: tamen in aliquo casu id  
præstare potest; quamquam multi contrarium sentiant,  
præsertim Gabriel in 4. d. 9. q. 2. art. 2. Ioannes Maior *ibid.*  
*quaest.* 1. Bonaventura *art. 2. q. 3.* Ratio horum est, tum quia  
Sacramenta viuentium non prosunt mortuis: tum etiam,  
quia cibus nunquam potest resuscitare mortuum, neque  
per se ordinariè, neque per accidens in aliquo casu. Ergo  
similiter Eucharistia nunquam potest prodesse existentibus  
in aliquo peccato mortali.

Nihilominus nostram conclusionem tenet D. Th. *art. 1.*  
ubi dicit, Eucharistiam tunc remittere peccatum mortale,  
quando quis accedit cum peccato mortali, cuius conscientiam & affectum non habet. Vel, ut alij explicant, quando  
prudenter & bona fide existimat se esse in gratia apud  
Deum, cum tamen adhuc sit in statu peccati habitualis: Ut,  
si quis deuotè & reuerenter accedat cum sola attritione, &  
tamen putet se esse contritum. Vel, si cum attritione confi-  
teatur alicui non habenti potestatem absoluendi à pecca-  
tis, & deinde ad Eucharistiam accedat.

Ratio est, quia omnia Sacramenta dant gratiam non po-  
nentibus obicem. Sed qui sic accedit, non ponit obicem:  
Ergo acquirit gratiam. Minor probatur, quia, qui bona fide  
accedit, non peccat accedendo. Ergo ex illa parte non po-  
nit obicem. Deinde, quamuis sit in statu peccati habitualis : tamen illud peccatum coniunctum cum attritione, &  
bona fide non est obēx aut impedimentum gratiæ, vt pa-  
tet in Baptismo & Pœnitentia. Est tamen differentia inter  
Eucharistiam & Baptismum, ac Pœnitentiam. Nam haec  
duo Sacramenta per se ordinata sunt ad remissionem pec-  
cati mortalitatis; ac proinde, vt quis dicatur bona fide acce-

dere , satis est si habeat attritionem. At Eucharistia per se non est ordinata ad talem effectum, ac proinde ut quis dicatur bona fide accedere , non sufficit habere attritionem, sed necessaria est contritio vel in re, vel in prudente existimatione. Vnde in priore casu quis potest habere conscientiam peccati mortalis, non autem in posteriore. In neutro tamen potest haberet effectum peccati mortalis.

5 Tertia Conclusio. Tripliciter contingere potest aliquem accedere ad hoc Sacramentum in peccato mortali. *Primo*, cum conscientia, & affectu peccati mortalis ; & sic indignè accedit. *Secundo*, cum conscientia peccati mortalis , non tamen affectu illius ; & sic etiam indignè accedit. *Tertio*, sine conscientia & affectu illius ; & sic distinguendum est. Nam si habet veram attritionem, & bona fide putat se esse contritum , dignè accedit , & consequitur remissionem peccati. Si autem nec veram attritionem, nec contritionem habet, & bona fide putat se illam habere ; tunc neque peccat accedendo, neque gratiam consequitur ; sed manet in eo statu in quo antè erat.

Quæres : An in tali casu accedat dignè an indignè ? Si dignè , consequitur gratiam. Si indignè , peccat mortali-  
ter. Item : an ponat obicem, necne. Si ponit, peccat. Si non ponit, consequitur gratiam. Respondeo, in re accedit indignè , & ideo non consequitur gratiam. At in opinio-  
ne sua accedit dignè , ideoque non peccat. Eodem modo dicendum de obice. Et ex dictis sequitur duo requiri , ut quis consequatur primam gratiam per hoc Sacramentum. *Primo*, ut sit verè attritus. *Secundo*, ut bona fide putet se esse contritum.

6 Prima Obiectio. Ignorantia non facit hominem magis dispositum ad effectum gratiæ. Sed quando quis putat se esse contritum, cùm sit attritus , hoc oritur ex ignoran-  
tia. Ergo non est magis dispositus, quam is, qui est tantùm attritus, & cognoscit se esse attritum. Sed hic non est suf-  
ficienter dispositus ad effectum Eucharistiæ. Ergo nec ille. Resp. ignorantia non facit hominem magis dispositum pos-  
sitiuè ; facit tamen ut minus sit indispositus ; quia excusat illum à peccato actuali , ne indignè accedat ad hoc Sacra-  
mentum.

7 Secunda Obiectio. Cibus non potest resuscitare mortuum. Ergo Eucharistia non potest peccatorem reuocare ad gratiam iustificantem. Respondeo , antecedens verum est de cibo corporali, non de spirituali. Ratio differentiae est , quia cibus corporalis non habet in se vim efficiendi vitam , sed illam supponit in suscipiente. Non enim vivificat , nisi conuertatur in substantiam aliti. Nec potest in illam conuerti, nisi per actionem vitalem in ipso suscipiente præexistentem. At cibus spiritualis , præsertim Eucharistia habet in se vim producendi vitam. Et ideo potest homini mortuo vitam conferre.

## Q V A E S T I O II.

*An Eucharistia conferat augmentum gratiæ iustificantis?*

1 **O**MNES affirmant. Difficultas est quæ dispositio requiratur ad hunc effectum. Potest autem fangi duplex dispositio. *Vna* priuatiua , nempe parentia peccati venialis. *Secunda* positiuia , nempè actualis deuotio. Multi ergo putant necessariam esse actualem deuotionem in ipsa Eucharistiæ sumptione ; non tamen parentiam peccati venialis , nisi quatenus tale peccatum impediret actualem deuotionem. Ita D.Thom.in 4. d. 12. quæst.2.art. 1. quæst.2. Bonauen. ibid.a.2.quæst.1.Durand.quæst.4.Paludan. quæst.1. art.2. Et Caietan. hic art. 8. vbi dupliciter id probat. Primo , quia multi Sacerdotes in statu gratiæ quotidie celebrant, qui sine dubio magnum cumulum gratiæ & charitatis compararent, si actualis deuotio non esset necessaria. Nunc autem docet experientia eos non ita crescere in gratia & charitate , vt appareat ex eorum vita & operibus. Ergo signum est hoc fieri ob defectum actualis deuotionis. *Secondo* , quia Eucharistia operatur per modum cibi ac nutrimenti. Sed cibus non nutrit , nisi interueniente actione ipsius viuentis. Ergo nec Eucharistia nutrit , nisi accedente actuali ipsius communicantis deuotione.

Alij contrâ sentiunt non requiri actualem deuotionem, sed parentiam actualis peccati venialis. Ita Marsil.in 4.q.6. art. 4. Ratio , quia si quis venialiter peccaret in vñ Eucharistiæ,& tamen perciperet gratiam ; iam idem homo simul

peccaret & cresceret in gratia ; quod est absurdum. Imò per ipsum actum peccati venialis acciperet gratiam , quia ipse actus sumendi Eucharistiam potest esse peccatum veniale ex defectu alicuius debitæ circumstantiæ.

**2** Prima Conclusio. Peccatum veniale non impedit augmentum gratiæ & charitatis. Ita D. Thom. art. 8. vbi dicit: peccatum veniale duplicit spectari potest. *Primo*, prout antea commissum est. *Secundo*, prout actu committitur in vsu Eucharistiae. Si priore modo spectetur, non impedit effectum Eucharistie , sed potius per illum tollitur , vt infra dicetur, q. 4. Si priore modo spectetur , non quidem tollitur , sed tamen etiam non impedit augmentum gratiæ habitualis , licet impedire possit effectum actualis devotionis.

Ratio est, quia peccatum veniale non pugnat cum gratia habituali , alioqui homines iusti nunquam peccarent venialiter, nisi amittendo gratiam habitualem , quod est falsum. Ergo non pugnat etiam cum augmentatione gratiæ habitualis.

Dices: quamvis non pugnet cum gratia in facto esse ; tamen pugnat cum illa in fieri. Respond: hoc sine fundamento dicitur. Gratia enim habitualis, siue iam antea producta sit, siue nunc actu producatur , semper est eiusdem naturæ & essentie. Ergo si in uno casu non repugnat peccato veniali , nec in altero casu repugnabit.

Dices *Secundo* , quamvis non sit repugnantia ex natura & parte rei ; tamen est repugnantia ex parte huius Sacramenti, quia Christus non vult, vt hoc Sacramentum conferat suum effectum, quando adest peccatum veniale. Respondeo, hoc etiam dicitur sine fundamento. Imò, si ita esset, sequeretur hominem accedentem ad Eucharistiam cum peccato veniali comitante , indignè accedere , & mortaliter peccare, quod est falsum. Sequela patet, quia is censetur indignè accedere , qui ponit obicem. Sed accedens cum veniali ponit obicem, vt dicis. Ergo indignè accedit. Rursum qui indignè accedit ad Sacramentum, & ponit obicem principali effectui Sacramenti, is grauem irreuerentiam committit circa Sacramentum. Ergo grauiter & mortaliter peccat.

Quod autem hoc falsum sit, probatur, quia si mortaliter peccat,

peccat, in quo consistit illud peccatum mortale? Vel enim consistit in eo, quod ponatur obex effectui Sacramenti; vel in eo, quod fiat iniuria, seu irreuerentia circa usum Sacramenti. Neutrum dici potest. Non *primum*, quia obex ille qui ponitur, vel est ipsum peccatum veniale concomitans, quod iam refutauit; cum peccatum veniale possit consistere cum augmentatione gratiae: vel est peccatum mortale distinctum a veniali, quod est contra suppositionem. Nec *secundum*, quia irreuerentia quae fit per peccatum veniale concomitans, non est nisi venialis, aut esse potest.

Dices: Imo potest esse mortalis. Nam si quis in Confessione Sacramentali mentiatur, peccat mortaliter, cum tam mendacium (ut tale) sit peccatum veniale. Similiter, si quis violet votum paupertatis per furtum veniale; aut si mendacium veniale confirmaret iuramento, peccat etiam mortaliter. Ergo per peccatum veniale potest committi tanta irreuerentia circa Deum aut res sacras; ut sit mortale.

Respondeo *Primo*, mendacium de peccato veniali, si fit tota materia confessionis, est peccatum mortale, quia reddit irritum Sacramentum; non autem si fit pars materiarum. Respondeo. *Secundo*, si quis violet votum in re parua, non peccat nisi venialiter, secundum Nau. in *Man. cap. 12. num. 40.* Dom. *Sotum, l. 8. de iust. quæst. 1. art. 7.* & plures alios. Respon. *Tertio*, qui iuramento confirmat mendacium, is facit Deum testem falsitatis, quae est grauis iniuria.

**3** Ex dictis hisce colligi potest haec regula: quando peccatum veniale tantum concomitanter se habet, tunc non facit nisi veniale irreuerentiam: quando autem est materia circa quam, tunc potest facere mortalem irreuerentiam.

**4** Secunda Conclusio. Nulla actualis dispositio est necessaria, ut hoc Sacramentum conferat gratiae iustificantis augmentum. Ita Dom. *Scotus in 4.d.12. quæst. 2. art. 8.* & plures. Probatur *primo*, quia potest aliquis ex triplici causa carere actuali deuotione; loquendo de homine iusto. *Primo*, propter impotentiam naturalem, ut contingit in amentibus & phreneticis. *Secundo*, propter naturalem obliuionem, quae fit ex distractione omnino inuoluntaria, ut aliquando contingit bonis viris habentibus serias occupationes: v.g.

cum

cum quis celebrat primitias, dum totus est sollicitus circa ceremonias. *Tertio*, propter distractionem voluntariam, sed tamen veniale, quæ fiat sine vlo contemptu. Hoc positio certum est augmentum gratiæ & Eucharistiam posse percipi à phreneticis sine actuali deuotione, alioqui non liceret illis dare Eucharistiam. Hinc infero etiam eos, qui inuoluntariè distracti sunt, percipere effectum huius Sacramenti, quia carentia actualis deuotionis non est illis magis voluntaria, quam amentibus. Ergo non potest illis magis obesse. Sed amentibus nihil obest. Ergo nec aliis. Vlterius infero eos quoque, qui cum culpa veniali distracti sunt, percipere augmentum gratiæ, quia carentia actualis deuotionis non potest esse obex illius gratiæ. Vel enim esset obex præcisè, quatenus carentia est, vel quatenus est voluntaria & culpabilis. Non *primum*, vt patet in amentibus. Nec *secundum*, quia illa culpa est tantum venialis, vt suppono. At culpa venialis non est obex, vt antea ostensum est.

*Secundo* probatur Conclusio, quia actualis dispositio, nec requiritur ex natura rei, vt patet in amentibus; nec ex Christi institutione, quia nihil habemus à Christo, nisi illud; *qui manducat me, vivet propter me*. Paulus autem interpretatur hoc dictum esse de eo qui dignè manducat. Addit eum dignè manducare, qui priùs probat seipsum, & sic de pane illo edit. Ergo ad dignam manducationem sufficit accedere sine conscientia peccati mortalis. Ergo non requiritur actualis deuotio.

*Tertio* probatur, quia peccator attritus, si putet se contritum esse; consequitur effectum huius Sacramenti, vt supra dixi. Ergo multo magis homo iustus, qui est in tali statu gratiæ. Hic enim melius dispositus est quam ille. Vnde sequitur hominem iustum, quando communicat, aut amittere iustitiam, si cum actuali peccato mortali accedat; aut crescere in iustitia, si sine tali peccato accedat; nec dari medium inter hæc duo extrema.

Ad *primam* argumentum Caietani. Respondeo eos, qui in statu gratiæ sèpè communicant, accipere magnum cumulum gratiæ habitualis. Quod autem obiicitur de experientia, nihil valet, quia augmentum gratiæ habitualis non potest

poteſt cognosci per experientiam. Non enim per ſe ac formaliter habet aliquem effectum, qui ſub experientiam cadat; quia per ſe non tollit prauos habitus vitiorum, nec impedit per ſe peccata venialia; nec per ſe frænat paſſiones animi: ſed ſolum facit hominem Deo magis gratum. Licet, ſi aliqua experientia quærenda eſſet, iuſſiceret talem hominem tanto tempore perfeuerare in ſtatu gratiæ, & non labi in peccatum mortale.

Ad ſecundum Resp. non eſſe ſimile de cibo corporali. Is enim non potheſt nutritio, niſi prius conuertatur in ſubſtantiam aliti: nec potheſt in eam conuerti, niſi per vitalem actionem hominis, qui nutritur. At Euchariftia non conuertitur in ſubſtantiam communicantis; ac proinde non requiri per ſe ullam actionem in communicante, niſi ſolam sumptionem, quæ ſine peccato mortali fiat.

Ad argumentum pro Marsilio allatum. Resp. non eſſe absurdum, ſi homo eodem tempore crescat in gratia, & ſimul peccet venialiter. Hoc enim nihil aliud eit, quam in vna re crescere, & in alia deficere.

### Q V A E S T I O III.

*An Euchariftia conferat gratiam actualem?*

1 **R**atio dubij eſt, quia ſep̄e non experimus talem gratiam inter communicatingandū. Ergo non datur infallibiliter vi Sacramenti. Secundo, quia nulla extat promissio de hac re.

2 Prima Conclusio. Duplex potheſt ſpectari gratia actuallis in hoc Sacramento. Una conſiftit in actuali deuotione & charitatis feruore, cum ſpeciali quadam ſpiritus ſuauitate ac dulcedine. Altera in actuali auxilio excitante ad cauenda peccata, & tentationes ſuperandas.

3 Secunda Conclusio. Euchariftia ſep̄e confeſt homini actualem deuotionem & dulcedinem in ipſo uſu communicatingandi. Ita D. Thom. artic. 1. ad 2. Et patet experientia. Fundamentum ſumitur ex illo Ioan. 6. verſ. 55. *caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.* Hinc colligit Concilium Florentinum hunc cibum spiritualiter confeſſre eos effectus, quos corporalis cibus confeſt

materia

474 C A P . XXII . D E S A C R A M E N T I S  
materialiter . Sed corporalis cibus oblectat viuentem , & vires confortat . Ergo idem facit cibus spiritualis . Vide Ambrosium , Sermon . 15 . in Psal . 118 . Et Cyprianum Serm . de cana Domini .

4 Tertia Conclusio : Eucharistia confert homini ex opere operato actuale Dei auxilium ad vitanda peccata & superandas tentationes . Ita D . Thom . art . 3 . ad 1 . Et Trident . sif . 13 . cap . 2 . vbi dicit : hoc Sacramentum esse institutum ut antidotum quo à peccatis mortalibus præseruemur . Et colligitur ex illo Ioan . 6 . v . 53 . *Nisi manducaueritis carnem Filii Hominis , non habebitis vitam in vobis , id est , non conseruabitis gratiam habitualem usque ad mortem .*

Vnde sequitur hoc Sacramentum necessarium esse , ut homo iustus præseruetur à peccatis mortalibus ; quod non potest fieri , sine gratia actuali & præueniente . Vide quæ dixi cap . 15 . quæst . 7 .

5 Quarta Conclusio : Hunc vtrumque effectum non eodem modo confert Eucharistia . Primo , quia actualē deuotionem & dulcedinem solet conferre in ipso usu Sacramenti , vel paulo post . Sed actualē auxilium ad cauenda peccata confert postea , quando est occasio peccandi . secundo , quia priorem effectum non confert semper & infallibiliter , præsertim si homo cum aliqua veniali distractione accedat : posteriorem vero semper & infallibiliter confert , quando opportunum aut necessarium est .

Ratio sumitur à duobus principiis . Vnum , quod homo non possit cauere peccata mortalia , & superare tentationes sine actuali gratia , vt suppono ex 1 . 2 . quæst . 109 . Secundum est , quod Deus non deserat hominem iustum in necessitate , quia esset hoc contraria amicitiam , vt suppono ex materia de charitate .

---

#### Q V A E S T I O I V .

*An Eucharistia remittat peccata venialia &  
poenas temporales ?*

I C ommunis sententia est , Eucharistiam ex opere operato remittere peccata venialia , non tamen poenas temporales . At quæstio est quomodo fiat illa remissio ? Po- test

test enim tripliciter concipi. *Primo*, vt Eucharistia ex opero operato immediatè conferat gratiam habitualē, & per illam tollat peccata venialia. *Secundo*, vt ex opere operato immediatè conferat gratiam actualē ad eliciendum charitatis, aut contritionis actum, per quem deinde tollantur venialia. *Tertio*, vt ex opere operato immediatè conferat ipsam remissionem venialium, non autem mediante gratia habituali, aut actuali. *Primum*, ergo modum sequitur D. Thom. *infrā quæst. 87. a. 3.* vbi dicit Eucharistiam & alia Sacramenta nouæ legis remittere venialia per infusionem gratiæ iustificantis. *Secundum*, sequitur idem D. Thom. *bīc art. 4. ad 1.* vbi dicit venialia peccata tolli ratione actualis feruoris qui excitatur per hoc Sacramentum. *Tertium*, videatur sequi Francisc. Suarez, partim *in commentario ciycæ articulū quartum*, partim *disp. 63. sett. 10.* Addit, ad hanc remissionem venialium non requiri ullam actualē dispositiōnem, sed sufficere, si homo iustus sit, & non habeat actualē affectum ad peccata venialia.

*2 Prima Conclusio:* Eucharistia non potest remittere ~~tenet~~ *venialia per solam infusionem gratiæ habitualis.* Ratio est, quia gratia habitualis non habet formalem, aut effectiuam repugnantiam cum peccatis venialibus. Ergo vi sua non potest ea expellere. Confirmatur, quia venialia possunt consistere cum gratia habituali ante susceptionem Eucharistie. Ergo etiam postea, nisi quid aliud interueniat. Nam gratia habitualis, quæ data fuit ante hoc Sacramentum, est eiusdem naturæ & essentiæ cum gratia habituali quæ datur in hoc Sacramento. Ergo si una non repugnat ex natura rei peccatis venialibus, nec altera repugnabit.

*3 Secunda Conclusio:* Eucharistia potest remittere venialia per actualē dilectionem, vel contritionem, quam confert homini mediante gratia excitante. Ratio est, quia actualē dilectio vel contritio habet sufficientem repugnantiam cum peccatis venialibus. Ergo vi sua potest ea tollere. Vbi notes duplē esse contritionem: Una præcedit Sacramentum tanquam dispositio: altera excitatur vi Sacramenti tanquam effectus. De hac posteriore loquor. Prior non est necessaria, aut, si adsit, Sacramentum non est necessarium ad tollendā venialia,

4 Tertia Conclusio: Eucharistia non potest immediate causare remissionem venialium, præscindendo ab infusione gratiæ habitualis & omni actuali dilectione, vel contritione. Ratio est, quia vel hoc fieret per aliquam realem mutationem in homine factam; vel sine omni reali mutatione. Non *primum*, quia nulla apparet realis mutatio præscindendo à gratia habituali & actuali. *Quis enim est terminus illius mutationis?* an remissio venialium? at hæc remissio non est aliquid reale posituum in homine: an aliquid aliud? at nihil significari potest. Nec *secundum*, quia fieri non potest, ut homo qui prius existebat in statu peccati, seu mortalis, seu venialis, desinet existere in tali statu nulla facta mutatione in ipso homine, ut ostium est in materia de iustificatione, vbi refutati duo principia eorum qui contra nos sentiunt. *Vnum est*, maculam peccati tam mortalis, quam venialis tolli posse per solam liberalem Dei condonationem & fauorem ( extrinsecum ) nulla facta mutatione in homine. *Alterum est* gratiam habitualem consistere posse cum macula peccati mortalium; ac proinde per solam infusionem gratiæ habitualis non sufficienter tolli maculam, nisi accedit liberalis Dei condonatio. De his plura *loco citato*, & *infra in materia de Pænitentia*.

## Q V A E S T I O V.

*An Eucharistia proficit etiam corpori communicantibus?*

1 **M**ulta hic queri possunt. *Primo*, an Eucharistia conferat corpori alias qualitates supernaturales, quibus in hac vita ad immortalitatem aliquo modo disponatur, sicut confert animæ gratiam habitualem, tanquam dispositionem ad gloriam. *Secundo*, an habeat aliquam vim moderandi fomitem peccati, & excitandi bonos affectus in appetitu sensu. *Tertio*, an resurrectio & gloria corporis possit Eucharistie attribui. *Quarto*, an faciat aliquam realem unionem inter Corpus Christi & corpus suscipiens & communicantis.

2 Prima Conclusio: Eucharistia non efficit in corpore qualitates alias supernaturales, quibus ad gloriam & immortalitatem disponatur. Ratio, quia nullum habemus probabile

probabile fundatum quo defendamus huiusmodi qualitates.

3 Secunda Conclusio: Eucharistia habet aliquam efficaciam moderandi fomitem peccati & excitandi bonos affectus in appetitu sensituo, ut homo promptius & minori difficultate possit opera virtutis exercere. Hæc conclusio fundatur in autoritate Patrum & Scholasticorum, qui passim dicunt hoc Sacramentum ardorem concupiscentiæ extinguere, fomitem minuere, deuotionem augere. Suarez *diff. 64. sect. 1. vbi* multos autores colligit & fusius citat.

Quæstio est de modo quo Eucharistia hoc præstare possit. Aliqui dicunt eam indirectè hoc præstare, quia cùm directè augeat gratiam & charitatem, consequenter etiam minuit concupiscentiam. Alij putant directè fieri per aliquam actionem circa ipsum corpus; quod iterum diuersis modis explicari potest. *Primo*, per redundantiam ex affectionibus voluntatis, quasi Eucharistia ex sua institutione habeat vim excitandi in voluntate tales affectus, vt ex iis redundet in appetitum moderatio concupiscentiæ. *Secundo*, per actionem circa imaginationem, vel appetitum, qua excentur phantasmatæ & humores; vel spiritus animales ita commoueantur, prout est necessarium ad moderandas passiones sensitivas & carnales. *Tertio*, per alterationem corporis, seu temperamenti corporis, vt videlicet excdens calor remittatur, & sic paulatim ardor libidinis debilitetur. Hæc omnia probabilia sunt, præsertim in eorum sententia, qui admittunt physicam in Sacramentis efficientiam. Mihi videtur probilius aliter fieri hanc moderationem vi Eucharistie.

*Primo*, per specialia Dei auxilia, quibus homo excitatur ad resistendum passionibus. *Secundo*, per bonas inspirations & affectiones circa res honestas, quibus animus occupatur. *Tertio*, per extrinsecam Dei prouidentiam & gubernationem, qua efficit vt tollantur occasiones extrinsecæ, quæ concupiscentiam excitare solent, vt offerantur aliæ occasions bene agendi, vt impedianter dæmones, ne nocere possint. Vide Chrysostom. *hom. 45. in Ioannem*.

4 Tertia Conclusio: Resurrectio & gloria corporis non aliter videtur esse effectus Eucharistiæ, nisi quatenus

sequitur ex effectibus gratiæ, quos in hac vita confert Eucharistia. Ratio, quia gloria corporis respondet gloriæ animæ. Sed Eucharistia non habet aliam efficaciam circa gloriam animæ, præter illam quam habet circa gratiam & charitatem in hac vita. Ergo etiam non habet aliam circa gloriam corporis.

Hinc sequitur non aliter Eucharistiam conferre immortalem vitam corporis, quam nutriendo & conseruando gratiam, ex cuius conseruatione sequitur vita æterna.

Dices: Ergo non plus prodest Eucharistia ad hunc effectum quam alia Sacra menta, quæ etiam conferunt gratiam & consequenter gloriam. Hoc autem est contra speciale promissionem factam Eucharistiae præ cæteris Sacramentis. Ioan.6.v.54. *Qui manducat meam carnem habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die.* Hinc Patres dicunt Eucharistiam esse pharmacum immortalitatis. Respondeo. Eucharistia plus prodest ad hunc effectum de quo agimus, quam alia Sacra menta, quia non solum confert gratiam & charitatem, quod est illi commune cum aliis Sacramentis, sed etiam confert perseverantiam, quod est illi particolare, ut dictum cap.15.q.7.

¶ Quarta Conclusio: In susceptione Eucharistiae non fit aliqua realis vnio inter Corpus Christi & corpus suscipiens, quæ distincta sit ab ipsa susceptione vel reali præsentia. Ratio, quia hæc vnio, vel esset formalis, vel effectiva. Non primum, quia, quando duæ substantiæ formaliter vniuntur, faciunt vnum compositum substantiale, vel per modum naturæ, vel per modum suppositi. Sed Corpus Christi, & corpus suscipiens neutrò modo faciunt compositum substantiale. Ergo non vniuntur inter se formaliter. Nec secundum, quia neque Corpus Christi ad se trahit effectivè corpus suscipiens, neç vice versa. Ergo nulla datur vnio effectiva.

Dices: Multi Patres & Theologi agnoscent aliquam unionem realem, quam etiam vocant naturalem, realem, substantialem & corporalem. Ut Cyril.lib.11.in Ioan.cap.27. Damascen.lib.4.cap.14.Hilar.lib.8.de Trinitate. Bellarminus lib.2.de Eucharistia, cap.12. Franciscus Turrianus noster libr.1.de Eucharistia, cap. 8. & 9. Toletus in cap.6, Ioan.annotatione

29. & alij plures. Respondeo. Aliqui istorum per realem vniōnem non intelligunt aliud quam realem sumptionem Corporis Christi. Nam ex hac reali sumptione sit, ut Corpus Christi realiter & substantialiter recipiatur in corpore fiscipientis; & sic dicatur realiter & corporaliter illi coniungi, seu vniri.

## Q V A E S T I O VI.

*Quando Eucharistia conferat suum effectum?*

- 1 **Q**uæritur Primo, an conferat gratiam habitualem in ipsa sumptione. Secundo, an post sumptionem durante adhuc præsentia Christi. Tertio, an post sumptionem cessante præsentia Christi.
- 2 Prima Conclusio: Eucharistia in ipsa sumptione confert gratiam habitualem, si homo non ponat obicem. Ratio est, quia Deus promisit gratiam homini manducanti. Ergo dat illi gratiam in mandatione, cum non sit vlla causa dilationis.

Quæres: An illa gratia detur in principio manducationis, an in fine? Respondeo. Nihil certi definiri potest. Aliqui putant dari cum Hostia ex ore ad stomachum transmissa est, & non citius. Probabilius est dari cum Hostia sumpta est, etiamsi non sit transmissa, alioqui ægroti, qui Hostiam præ infirmitate non possunt transmittere, non acciperent gratiam; quod videtur absurdum.

3 Secunda Conclusio: Præter illam gratiam habitualem quæ confertur in mandatione, non confertur alia ex opere operato post mandationem, durante Christi præsentia. Ratio, quia idem Sacramentum non operatur bis effectum suum. Ergo si Eucharistia semel contulit gratiam in ipsa mandatione, non confert iterum post mandationem, nisi forte ex opere operantis, si tunc aliquis per frequentem amorem raperetur in Deum ipsum.

4 Tertia Conclusio: Si quis fictè accedat ad Eucharistiam, non accipit postea gratiam recedente fictione, si species consumptæ sint. Ita D. Thomas in 4. distin. 4. quest. 3. art. 3. Ratio est, quia nec ex Scripturis, neque ex Patribus, neque aliunde id probari potest.

## QVÆSTIO VII.

*An Eucharistia plus conferat gratiæ sub utraque specie,  
quam sub una tantum?*

1 **A** Liquor ponam conclusiones priusquam directè respondeam.

Prima Conclusio: Vna species, etiam si per se sola sumatur, est sufficiens ad conferendam aliquam gratiam habitualē. Probatur *Primo*, de specie panis, tum ex illo Ioan. 6. v. 58. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*: tum etiam ex praxi Ecclesiæ, quæ dat Laicis Eucharistiam sub specie panis. *Secundo*, probatur de specie vini, quia est eadem ratio. Si enim sola species panis potest conferre gratiam, cur non similiter sola species vini? Confirmatur *Primo*, quia aliquando visitatum fuit in Ecclesia, ut aliqui communicarent sub sola specie vini, ut infra dicemus. *Secundo*, quia species vini est verum Sacramentum. Ergo habet vim conferendi gratiam sacramentalem. Huc spectat illud Ioan. 6. v. 55. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*. Vnde sic argumentor: potus per se habet vim nutriendi. Sed sanguis Christi, qui datur sub specie vini, est verè potus. Ergo per se habet vim nutriendi.

3 Secunda Conclusio: Vna species per se confert tantum gratiæ, quantum altera, ceteris paribus (id est, si homo sit æquè dispositus.) Probatur, quia nulla est ratio, cur una plus conferre possit quam altera; præsertim cum sit eadem promissio, eadem significatio, eadem utriusque dignitas. Nam idem Christus æquè continetur sub una ac sub altera specie. Nec obstat, quod una detur per modum cibi, altera per modum potus; quia in spiritualibus non differunt cibus & potus, famæ & sitis, ut docet S. August. tract. 25. in *Ioannem*.

Dices: Quando partes unius Sacramenti sunt heterogeneæ, tunc conferunt diuersum effectum, ut patet in Sacramento Ordinis, ubi alius effectus confertur per Sacerdotium, aliis per Diaconatum, &c. Sed species panis & species vini sunt partes heterogeneæ huius Sacramenti. Ergo conferunt diuersum (id est, diuersæ rationis) effectum. Resp. Species

Species panis & vini possunt dupliciter spectari. *Primo*, quatenus sunt res quædam materiales ; & sic sunt diuersarum rationum. *Secundo*, quatenus sunt signa à Christo instituta ; & sic sunt eiusdem rationis, quia eandem rem significant, id est, eundem Christum, & eandem refectionem spiritualem. Nec est simile de Sacerdotio & Diaconatu, quia sunt ordines formaliter distincti, & ad diuersos fines referuntur.

**4** *Tertia Conclusio* : Probabile est maiorem gratiam dari per sumptionem duarum specierum, quam unius tantum. Ita Alexand. Alens. 4.p. quæst. 53. memb. 1. Gaspar Cassal. l. 1. t. 1. cuna & calice, cap. 25. Et multi Patres in Concil. Trident. dicuntur idem sensisse. Probatur *primo*, ex dictis, quia unaquæque species per se confert suum effectum, & una non dependet ab altera. Ergo, si ambæ simul sumantur, unaquæque conferet suum peculiarem effectum. Ergo duas plus conferent quam una sola. *Secundo*, quia probabile est Sacramenta physicè operari. Ergo necesse est unam speciem non minus physicè concurrere quam alteram. Ergo si una physicè confert unum gradum gratiæ, altera confert alterum gradum : & sic plus conferent duas species quam una. *Tertio*, quia licet totus Christus sit sub una specie non minus quam sub altera : tamen vi verborum sola caro est sub specie panis, & solus sanguis sub specie vini. Ergo vi verborum plus continent duas species quam una. Ergo etiam vi verborum plus operantur duas quam una. Confirmatur, quia si in triduo mortis Christi fuisset facta consecratio, tunc sub specie panis nihil fuisset, nisi caro Christi, & sub specie vini nihil, nisi sanguis : ac proinde plus effecissent duas species simul sumptæ quam una. Ergo etiam nunc plus efficiunt duas quam una : quia Sacramentum hoc semper seruat eundem valorem & dignitatem. *Quarto*, quia ambæ species simul sumptæ significant perfectiorem effectum gratiæ. Ergo etiam efficiunt perfectiorem, cum efficiens respondeat significationi. Ante, patet quia significant integrum conuiuium & perfectam refectionem, quam una species sola non significat. *Quinto*, quia si per utramque speciem daretur una tantum gratia, vel illa tota daretur in sumptione panis, vel tota in sumptione vini, vel partim in

sumptione panis, & partim in sumptione vini. Non *primum* vel *secundum*, quia si tota daretur in sumptione vnius speciei, iam altera species nihil efficieret. Nec *tertium*, quia tunc Laici fraudarentur vna parte effectus Sacramentalis.

5 Quarta Conclusio : Probabilis est, ceteris paribus, non dari plus gratiae per sumptionem vtriusque speciei, quam alterius tantum. Ita D.Thom. *infrà quæst.80.art.12.ad 3.* vbi dicit, Laicos communicantes sub vna tantum specie, non pati aliquod detrimentum, quia totus Christus sub quacunque specie continetur. Idem sentiunt multi alij Scholastici apud Suarez *disp.63.sect.6.*

Ratio est, quam attigit D. Thomas, quia totus Christus, qui est fons omnium gratiarum, non minus continetur sub vna specie, quam sub vtraque : ergo non minus operatur sub vna quam sub vtraque.

Dices : Sub vna specie continetur semel totus : at sub vtraque continetur bis totus. Ergo plus confert sub vtraque quam sub vna. Respondeo, non sequitur : quia etiam sub vna parte Hostiae continetur semel totus ; & sub duabus partibus continetur bis totus : & tamen perinde est, siue quis sumat vnam totam Hostiam, siue duas partes. Semper enim est idem effectus.

6 Ad *primum* argumentum contrarium respondeo cum distinctione : Quando vna species sola sumitur per modum vnius refectionis, tunc confert totum illum effectum quem conferunt ambae species simul sumptae per modum vnius refectionis : quando autem vna species sumitur cum alia, tunc partialiter confert eundem effectum.

Ad *secundum* respondeo, Sacraenta non physicè, sed moraliter operari, ut dictum *cap.15.q.3.*

Ad *tertium* respondeo, nihil referre ad effectum Eucharistiae, an Christus sit ibi vi verborum, an per concomitantiam. Hoc satis est, quod totus Christus non minus sit sub vna specie quam sub vtraque. Effectus enim Eucharistiae non pendet immediate à vi verborum, sed à Christo presente in Sacramento. Ad confirmationem respondeo, dubitare Theologos, qui futurum fuisset in triduo mortis, si aliquis tunc consecrasset. Probabilis videtur non minorem gratiam fuisse dandam sub vna specie quam sub vtraque.

que. Ratio est, quia tota dignitas & efficacia huius Sacra-  
menti pendet ex supposito Diuino. At in triduo mortis ca-  
ro Christi manebat coniuncta cum supposito Diuino. Er-  
go retinebat eandem efficaciam.

Ad *quartum* respondeo. Significationem Sacramenta-  
lem duplum spectari posse. *Primo*, ex parte rei significa-  
tæ. *Secundo*, ex parte modi significandi, verbi gratia, exte-  
rior ablutio in Baptismo potest spectari. *Primo*, quatenus  
significat internam ablutionem à peccatis. *Secundo*, quate-  
nus eam significat, vel per unam, vel per trinam immer-  
sionem. Similiter Sacramentum Eucharistie spectari po-  
test. *Primo*, quatenus significat refectionem internam. *Se-  
cundo*, quatenus eam significat vel sumptione unius, vel  
sumptione utriusque speciei. Si priori modo spectetur,  
significatio illius semper est æquè perfecta, quia semper est  
eadem res significata, nempe refectio animæ. Si posteriore,  
tunc perfectior significatio est sub utraque quam sub alte-  
ra tantum specie, quia modus significandi est perfectior.  
Efficientia tamen Sacramenti non respondet significationi  
ex parte modi significandi, sed ex parte rei significatæ. Vnde  
dici solet Sacraenta nouæ legis id efficere quod signi-  
flicant, non quo modo significant.

Ad *quintum* Respondeo, totam gratiam habitualem,  
qua datur ex opere operato, conferri in sumptione Ho-  
stie, si homo sit dispositus; quia nulla est causa differendi:  
ita tamen ut non conferatur vi solius Hostie, sed utriusque  
speciei simul.

Dices: Species calicis non potest operari antequam  
sumatur. Respondeo, potest moraliter operari, non ta-  
men physicè. Vnde, qui ponunt physicam efficientiam in  
Sacramentis, difficulter possunt se hic expedire, nisi vel  
concedant unam speciem physicè, & alteram moraliter  
concurrere; vel certè, si ambae physicè concurrunt, lai-  
eos priuari aliqua parte gratiae. At in nostra sententia,  
quia ponimus solam moralem efficientiam, nihil est diffi-  
cultatis.

## CAP V T XXIII.

De usu, seu sumptione huius Sacramenti.

## QVÆSTIO I.

*An peccet mortaliter, qui cum conscientia peccati mortalis ad hoc Sacramentum accedit?*

- 1 **D**iuis Thomas art. 4. & 5. docet peccare mortaliter, & quidem grauiter, non tamen grauissime. Vtrumque explicandum est.
- 2 **P**rima Conclusio. Qui accedit ad Eucharistiam cum conscientia peccati mortalis, peccat mortaliter, ut patet ex illo 1. Corintb. 11. vers. 28. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo, &c.* Ratio est, quia magna sit iniuria Christo, quando sumitur a peccatore sine prævia dispositione. Si enim aliae res sacræ non debent indignè tractari, multò minus Eucharistia, quæ est sacratissima.

Dices: Si homo existens in statu peccati mortalis non possit habere contritionem, aut copiam confessarij, & tamen tepeatur ex præcepto communicare, quid tunc faciet? Erit enim perplexus in vtramque partem. Nam si accedit sine contritione & confessione, peccat mortaliter: Si non accedit, peccat etiam mortaliter ob præceptum. Ergo impossibile est vitare peccatum. Respondeo, in tali casu illum non deseret Deus, sed dabit auxilium excitans, quod sufficiat ad contritionem eliciendam, si homo velit cooperari. Si tamen continget illum omnino esse perplexum, deberet facere quod in se est; & omnibus consideratis eligere alteram partem quæ videretur esse cum periculo minore.

3 Secunda Conclusio. Qui indignè accedit, committit peccatum sacrilegij contra virtutem religionis. Ratio, quia sicut veneratio & cultus, qui exhibetur Christo in Eucharistia, pertinet ad virtutem religionis: sic iniuria, quæ illi fit, pertinet ad sacrilegium quod est contrarium religioni.

4 Quæres: an hoc peccatum sacrilegij sit maximum eorum omnium, quæ Religioni opponuntur? Respondeo, cum

D. Thom.

D.Th. non esse maximum, sed constitui posse in tertio gradu seu ordine. Sunt enim multi gradus, seu ordines sacrilegij. In *primo* sunt illa peccata, quæ committuntur contra Deum seu Diuinitatem, ut blasphemia & periurium. Nam quo excellentior est Diuinitas cæteris rebus, eò contra illam facta iniuria est grauior. In *secundo* ordine sunt peccata commissa contra Christi humanitatem in propria specie existentem. In *tertio* sunt peccata commissa contra hoc Sacramentū, in quo Christus existit sub aliena specie. Posunt autem in hoc *tertio* ordine committi varia sacrilegia, aliisque aliis grauiora; quo pacto grauius peccat, qui Eucharistiam obiicit canibus, quam qui indignè illam manducat.

**5 Tertia Conclusio.** Hoc peccatum sacrilegij, quod committitur per indignam mandationem contra virtutem religionis ex suo genere non est tam graue quam illa quæ fiunt contra virtutes Theologicas, ut odium Dei, heres, desperatio. Est tamen grauius quam illa quæ fiunt contra virtutes morales. Ratio est, quia unumquodque peccatum censetur eò magis vel minus graue ex suo genere, quo repugnat maiori, vel minori virtuti seu honestati. Sed virtus religionis est infra virtutes Theologicas, & supra morales. Ergo peccatum sacrilegij est infra peccata contra virtutes Theologicas, & supra peccata contra virtutes morales.

Dixi ex genere, quia dubium esse potest, an hoc peccatum ex sua specie sit grauius homicidio, quod est contra iustitiam; aut adulterio, quod est contra iustitiam & temperantiam? Sed hoc disputatur in 1.2.9.72. Solùm duæ regulæ hic notandæ sunt. *Vna* est: si conferatur maximum peccatum contra unam virtutem, cum maximo peccato contra alteram virtutem; tunc illud erit grauius, quod est contra maiorem virtutem. *Altera*: si conferatur maximum peccatum contra unam virtutem, cum minimo, aut etiam minori peccato contra alteram virtutem; tunc non semper erit grauius, quod est contra maiorem virtutem. Hoc modo paruum furtum non est grauius fornicatione: nec parua irreuerentia circa res sacras est grauior homicidio vel adulterio.

**6 Quarta Conclusio.** Hoc peccatum sacrilegij per se tantò grauius est, quantò quis cum grauioribus peccatis ad

Eucharistiam accedit. *Primo.* Quia tunc magis indignè accedit. *Secundo,* maiorem iniuriam & irreuerentiam Christo facit. *Tertio,* magis impedit effectum Sacramenti.

Dixi per se, quia ratione scandali, vel alterius circumstantiæ fieri potest ut is grauius peccet, qui accedit cum minoribus peccatis.

*7* Hic queri solet, an grauius peccet fidelis peccator quam infidelis vel hæreticus? Aliqui putant grauius peccare fidelem; vt Palud. *in 4. dist. 9. q. 2.* & Carthusianus *ibid. quæst. 4.* vbi dicit: infidelis est indignior, non tamen indignus accedit. Ratio est, quia fidelis peccator facit contra dignitatem Sacramenti sibi cognitam, infidelis verò contra ignoratam. Licet ergo infidelis ratione sui status, seu infidelitatis sit indignior: tamen ratione ignorantiae minus peccat accedendo.

Alij contrà sentiunt infidelem grauius peccare quam fidelem, vt D.Th. *art. 5. ad 2.* Ratio est, quia infidelis peccat non solùm contra usum Sacramenti, quatenus indignè accedit: sed etiam contra ipsum Sacramentum, quatenus negat veritatem eius. At fidelis solùm peccat contra usum.

Resp. *Primo,* si præcisè conferamus sacrilegium infidelis cum sacrilegio fidelis, tunc cæteris paribus grauius peccat infidelis. Ratio est, quia ratione suæ infidelitatis est indignior fidelis. Ergo si reliqua sint paria, grauius peccat quam fidelis.

Resp. *Secundo,* per accidens tamen fieri potest, vt fidelis indignè accedendo grauius peccat quam infidelis. *Primo,* si infidelis per ignorantiam inuincibilem excusat à peccato sacrilegij. *Secundo,* si fidelis accedat cum aliquo peccato, quod sit grauius infidelitate, quale est odium Dei, vel desperatio.

## Q V A E S T I O    II.

*An infantes possint hoc Sacramentum sumere?*

*1* **L**oquor de infantibus baptizatis. Aliqui putant non esse capaces huius Sacramenti, vt Ioan. Maior *in 4. dist. 9. Pet. Soto lect. 8. de Eucharist. & Amb. Catharin. in opusc. de com. parvul.* Ratio est, quia hoc Sacramentum est cibus spiritus

spiritualis. At cibus non prodest ad nutritionem, nisi accedat vitalis actio manducantis. Infantes autem non habent vitalem actionem in spirituali vita. Ergo non possunt spiritualiter nutriti.

Alij contrà sentiunt, non solum capaces esse, sed etiam præcepto diuino obligatos, vt Armeni apud Vvald. tom. 3. de Sacram. cap. 9. & 21. Sed media via nobis tenenda est.

2. Prima Conclusio. Infantes baptizati sunt capaces Eucharistie & augmenti gratiarum. Ita Domin. Soto in 4. d. 2. q. 2. art. 9. & nonnulli alij. Probatur primo, quia Sacramentum confert gratiam obicem non ponentibus. Sed infantes baptizati, cum sint in statu gratiarum, non ponunt obicem. Ergo Sacramentum potest illis conferre augmentum gratiarum. Secundo, quia olim consuetudo fuit in multis Græcis & Latinis Ecclesiis, vt Eucharistia daretur infantibus ante usum rationis, vt patet ex Dionys. Areop. c. 7. de Eccl. bierar. Ambr. lib. de myst. c. 8. & S. August. epist. 107. & in lib. de Eccl. dog. cap. 52. Clem. lib. 8. const. cap. 20. & Concil. Toletano undecimo, cap. 1.

Dices: Hæc consuetudo non fuit vniuersalis, & videtur fuisse tolerata tantum, non autem probata à Patribus civitatis. Resp. non fuit quidem vniuersalis, sed tamen fuit probata, vt patet ex Concil. Trident. sess. 21. cap. 4. ubi dicit Patres illos pro sui temporis ratione probabilem causam sui facti habuisse.

Dices secundo; Vel illa consuetudo fuit bona vel mala. Si bona, cur abrogata est? Si mala, cur tolerata? Respondeo, idem argumentum potest fieri de lege veteri Moysæ, & aliis rebus. Nam si illa fuit bona, cur est à Christo abrogata? Si mala, cur à Deo data? Addo, consuetudinem illam dupliciter spectari posse. Primo, ex parte infantium; & sic fuit bona, quia erat illis utilis ad augmentum gratiarum consequendum. Secundo ex parte ipsius Sacramenti; & sic fuit quidem bona; sed tamen expediebat propter suministram Sacramenti dignitatem, & excellentiam non percipi nisi ab eis, qui cum debita veneratione possent accedere; & hoc non tam ratione animæ, quam etiam corporis.

3. Secunda Conclusio. Infantes non sunt obligati diuino iure

iure ad Eucharistiam sumendam : nec Ecclesia tenetur ad dandum eis hoc Sacramentum. Ita Conc. Trid. loco cit. Ratio est, quia hoc Sacramentum non est infantibus necessarium ad salutem, suprā cap. 15. q. 7. Sed Ecclesia non tenetur prouidere, nisi media necessaria ad salutem.

Ad argumentum primæ opinionis. Respondeo , actionem vitalem manducantis necessariam esse in nutritione corporali : quia cibus corporalis per actionem vitalem debet conuerti in substantiam aliti ; non tamen in nutritione spirituali, ut saepè dictum est.

### Q VÆSTI O III.

*An soli ieiuni possint Eucharistiam sumere ?*

1 **C**ertum est, nullum esse præceptum diuinum, quo teneamus ieiuni accedere ad hoc Sacramentum. Imò constat Apostolos post cœnam Paschalem accessisse. Hinc tria colligunt aduersarij. *Primo*, Ecclesiam non potuisse præcipere ieiunium ante communionem, quia quod Christus liberum reliquit , non debet ab hominibus præcipi. *Secundo*, contemnendam esse Ecclesiæ consuetudinem de hoc ieiunio seruando. *Tertio*, melius & commodius esse ante communionem aliquid cibi & potus temperatè sumere , tum quia hoc est magis conforme Christo & Apostolis ; tum etiam quia moderata sumptio cibi multum confert ad opera deuotionis.

2 Prima Conclusio : A temporibus Apostolorum seruata est in Ecclesia consuetudo non sumendi aliquem cibum vel potum ante Eucharistiam. Hoc dabunt antiqui Patres, & nominatim Augustinus epist. 118. cap. 6. vbi sic ait : *Liquidò apparet , quando primum acceperunt Discipuli Corpus & sanguinem Domini , non eos accepisse ieiunos ; nunquid tamen propterea calumniandum est uniuersæ Ecclesiæ , quod à ieiunis semper accipitur ? Et hoc enim placuit Spiritui sancto , ut in honorem tanti Sacramenti in os Christiani priùs Dominicum corpus intraret , quam exteri cibi . Nam ideo per uniuersum orbem mos iste seruatur . Haec tenus verba S. Aug. Vide etiam Concl. Afr. cap. 8. & 3. Carthag. cap. 19. in quibus tamen excipitur dies cœnæ Domini , in quo liceat post sumptum cibum*

cibum communicare. Sed hoc ipsum est reuocatum in 1.  
Concil. Bracarense, cap. 16. Et in Synodō 6. cap. 29.

3 Secunda Conclusio : Recte & conuenienter ab Ecclesia præceptum est, vt hoc Sacramentum sumatur tantum a iejunis. Ratio pendet ex tribus principiis. Primum, Ecclesiam habere potestatem ferendi leges etiam in iis rebus quæ à Christo non sunt præceptæ. Secundum est, eiusmodi leges versari debere circa res bonas & honestas. Tertium est, hoc ieunium ante communionem esse rem bonam & honestam. Primo, ob reuerentiam tanti Sacramenti. Secundo, vt fideles intelligent Christum debere esse primarium eorum cibum. Tertio, ad vitandum periculum vomitus vel alterius irreuerentiae. Quarto, vt animus liberior sit, & expeditior ad res spirituales tractandas.

4 Tertia Conclusio : Cùm hoc præceptum sit merè positiuum & Ecclesiasticum, non obligat tam arcte, vt ob graues causas omitti non possit. Sunt autem varij casus, in quibus concessum est, post sumptum cibum aut potum communicare. Primo, quando quis est in periculo mortis. Secundo, quando à Sacerdote post cibum sumptum petitur nouum Sacramentum ad communicandum infirmum in necessitate. Tertio, quando est periculum, ne hostia consecrata veniat in manum hostium. Quarto, quando Sacerdos ex errore sumpfit aquam pro vino. Quinto, quando post sumptam ablutionem supersunt aliquæ reliquiæ ex Hostia.

De his casibus copiose agit Suarez *disput. 66. scđ. 5. & 6.*  
legatur ibi.

#### QVÆSTIO IV.

*An teneantur homines aliquando communicare ex præcepto diuino?*

1 L Oquor de communione Laicorum, quia de Sacerdotibus agendum erit in materia de Sacrificio. Loquor item de præcepto diuino, quia de Ecclesiastico agendum est in seq. quest. Multi ergo putant communionem Laicorum non esse diuino iure præceptam, vt Alensis, Bonauent. Gabriel, Syluester, Ferrariensis, & Cajetanus apud Suarez, *disput. 69. scđ. 1.*

**2** Prima Conclusio: Iure diuino præcepta est communio Laicorum ab ipso Christo, cùm dixit *Ioan. 6. v. 53.* *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, &c.* Ita D.Th. art. II. & multi Scholastici in 4. d. 9. Ratio est, quia omnia media necessaria ad perseverandum in gratia, sunt iure diuino præcepta. Sed communio est tale medium, ut probauit *cap. 15. quest. 7.* Ergo est præcepta iure diuino.

**3** Quæres: an hoc præceptum non possit aliunde colligi, quam ex Christi verbis citatis? D.Th. putat etiam colligi ex illis: *Hoc facite in meam commemorationem.* Alij negant; sed hoc disputabo in materia de com. sub utraque specie.

**4** Secunda Conclusio: Hoc præcepto obligantur omnes adulti baptizati, qui ratione vti possunt. Ratio, quia hi omnes sunt capaces Eucharistie, & indigent illa tanquam medio necessario ad perseverandum in gratia.

Quæres primo, an obligentur etiam infantes diuino præcepto? Secundo, an adulti non baptizati, siue fideles sint, ut Catechumeni; siue infideles, ut Iudæi, Turcæ & Gentiles. Tertio, an phrenetici & amentes. Quarto, an Energumeni, seu à Dæmone obsecsti.

Respondeo, Primo. Infantes non obligantur, ut supra probauit. Respondeo, Secundo. Adulti non baptizati proxime & immediatè obligantur ad Baptismum suscipiendum, & consequenter ad Eucharistiam. Simile est de adulto baptizato, existente in peccato mortali, qui proximè obligatur ad contritionem vel confessionem, & consequenter ad communionem. Respondeo, Tertio, phrenetici & amentes, quamdiu sunt in illo statu, non tenentur præcepto communionis, quia per se non sunt capaces præcepti. An autem Ecclesia obligata sit dare illis communionem, alia quæstio est. Respondeo, Quarto, Si Energumeni sint omnino priuati vsu rationis, non obligantur: si fecus, obligantur.

**5** Tertia Conclusio: Hoc præceptum diuinum tunc maximè obligat, cùm prudenter iudicatur Eucharistie sumptionem necessariam esse homini ad eum finem ob quem instituta est, nimirum ad conseruandam & roborandam vitam spiritualem contra tentationes. Ratio, quia hoc est commune præceptis affirmatiuis, ut tunc obligent, quando  
vrget

viget necessitas finis propter quem instituta sunt.

Hinc sequitur communicandum esse iure diuino in duobus casibus. *Primo*, in periculo mortis, quia tunc solent esse grauiores tentationes. *Secundo*, in reliqua vita, quoties tali remedio opus est ad perseverandum in statu gratiae. Aliqui autem addunt etiam tunc communicandum esse, quando quis prudenter putat se non amplius habituum commoditatem communicandi in tota vita. Tunc enim merito debet se munire contra tentationes postea euenturas.

### QVÆSTIO V.

*An teneatur aliquando communicare ex precepto Ecclesiastico?*


<sup>1</sup> **P**rima Conclusio: Tria extant præcepta Ecclesiastica de hac re, quorum duo sunt abrogata, & vnum adhuc viget. Primum fuit ab initio nascentis Ecclesie, quo omnes, qui intererant Sacrificio Missæ, tenebantur quotidie communicare peracta cœferatione, ut constat ex Anacleto Papa epist. 1. & ex can. 10. Apost. Postea, cum feruor ille charitatis, qui erat in primitua Ecclesia, paulatim minueretur, statutum est a Fabiano Papa, ut saltem ter communicarent Christiani, in Natiuitate Domini, Paschate, & Pentecoste, ut constat ex epist. eiusd. Papæ apud Gratian. de consecr. dist. 2. can. et si non frequentius. Porrò Soter Pontifex adiecit quartum diem, nempe cœnæ Domini, ut habeatur *ibid. can. in cœna*. Tandem decrescente adhuc magis charitate statutum est ab Innocentio III. ut omnes ad minimum semel in anno communicarent, nempe in Paschate; ut habetur in capit. *omnis utriusque sexus*, Extra. de panit. & remiss. Hoc præceptum renouatum est in Concilio Tridentino, sess. 13. can. 9.

<sup>2</sup> Secunda Conclusio: præceptum Innocentij obligat solos fideles baptizatos, cum ad annos discretionis pervenerint. Probatur primo, ex verbis Innocentij. Secundo, quia Ecclesia non habet potestatem obligandi alios, quam qui sunt sub iurisdictione Ecclesie. At soli baptizati sunt tales, quia per Baptismum tanquam per ianuam ingressi sunt

432 CAP. XXIV. DE SACRAMENTIS  
sunt in Ecclesiam. Ergo illi soli possunt obligari Ecclesiæ  
præcepto.

Quæres primo, quid in illo præcepto Innocentij intelligatur nomine Paschatis? Respondeo. Quicquid sit de etymologia nominis, usus obtinuit, ut per Pascha intelligatur totum tempus à Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis inclusuè, ut etiam ab Eugenio I. declaratum est, teste Nau. in Man. c. 25. n. 45. Vnde, qui intra spatum illius temporis communicat, censetur satisfacere præcepto Ecclesiastico de communicando in Paschate.

Quæres secundo, si quis intra hoc tempus non communicaret, an vi præcepti Ecclesiastici teneretur postea communicare antequam incipiat nouum Pascha? Negat Valentia quest. 8. punction. 4. cum Anton. Sylvestro & Medina. Affirmat Suarez disp. 70. sect. 2. cum Nauar. & Figuer. De hac re agendum est in mat. de præcep. confess. ubi eadem difficultas occurrit.



## CAPVT XXIV.

### *De Communione sub vtraque specie.*

**T**OTIA controuersia in eo est, an extet præceptum diuinum, quo & Laici teneantur sub vtraque specie communicare, & Ecclesiæ Ministri teneantur vtramque speciem illis exhibere. Affirmant Calu. 4. Inst. cap. 17. §. 47. & seqq. Plessæ. lib. de Euchar. cap. 10. 11. & 12. Protestantes in confessione Aug. Kemn. in 2. part. Exam. sess. 21. Brent. in Apol. pro confess. Vvittim. & ante istos Iacobel. Misniens. & Petr. Dresdensis, qui sunt autores huius controuersiæ, ut refert Aeneas Syl. in lib. de orig. Bohemorum, cap. 35.

Catholici in Conc. Constant. sess. 13. & in Basil. sess. 30. Et in Trid. sess. 21. c. 1. & seq. Contrarium docent, afferuntque Primo, Christum non præcepisse Laicis usum vtriusque speciei, sed reliquissim illis liberum, ut vel sub una, vel sub vtraque specie communicarent. Secundo, hunc liberum usum legitimè sublatum esse per præceptum Ecclesiæ, quo iubentur Laici sub una tantum specie communicare. Porro Lutherus

Lutherus & Melanchthon in hac re varij sunt & inconstantes, & modò cum Catholicis, modò cum aduersariis loquuntur & scribunt. Vide Valentiam quæst. 8. punct. 5. §. 1. & Bellarm. lib. 4. de Eucharist. cap. 20.

**2** Ut autem tota res melius intelligatur, reuocanda est ad certa puncta, in quibus quid Catholici sentiant, breuiter explicabitur. Sunt autem hæc. *Primo*, aliud est institutio diuina, aliud præceptum diuinum. *Secundo*, Christus instituit sub vtraque specie Eucharistiam, non tamen præcepit omnibus vsum utriusque speciei. *Tertio*, Imò vsum vnius speciei tum verbo tum facto ipse comprobauit. *Quarto*, quod eius fecerunt Apostoli. *Quinto*, & post Apostolos Ecclesia primitiva. *Sexto*, ac deinde Ecclesia posterior usque ad nostra tempora. *Septimo*, & rectè, quia sub vna specie non minus continetur totus Christus quam sub vtraque. *Octavo*, nec minor fructus percipitur ex vna, quam ex vtraque, cæteris paribus. *Nono*, & aliunde possunt esse legitimæ causæ cur potius sub vna, quam sub vtraque Laici communicent. *Decimo*, propter quas etiam statutū est ab Ecclesia, ut sub vna deinceps communicarent. *Vndecimo*, nec aduersarij quicquam obiiciunt ex Scripturis, quòd contrariū probent. *Duodecimo*, sicut neque ex Patribus. *Decimotertio*, aut ex ratione fundata in Scripturis & Patribus. *Decimoruarto*, omnino ergo persistendum est in Catholicorum sententia.

## P V N C T V M I.

*Aliud est institutio diuina, & aliud est præceptum.*

**1** **V**ideo hic plerisque errare. Putant enim idem esse institutionem diuinam & præceptum. Vnde cum communio sub vtraque specie sit instituta à Christo, consequenter putant esse præceptam. Hic error prius est eximendus, quam progrediamur. Igitur aliud est institutio, & aliud præceptum. Multa à Deo sunt instituta, quæ tamen non sunt omnibus præcepta, ut matrimonium, ordo Ecclesiasticus, prædicatio Euangelij, officium baptizandi, & similia. Non enim tenentur omnes ex præcepto diuino inire matrimonium, suscipere ordines, prædicare, baptizare. Vnde sicut ex institutione matrimonij non licet colligere

434 CAP. XXIV. DE SACRAMENTIS  
præceptum respectu omnium, ita neque ex institutione  
communionis sub vtraque specie.

2 Dices: Hæc exempla solùm ostendunt non omnes te-  
neri ad ea usurpanda, quæ à Deo sunt instituta: Si quis ta-  
men velit ea usurpare, tenetur hoc facere secundum diui-  
nam institutionem. v.g. si quis velit baptizare, aut inire ma-  
trimonium, tenetur eo modo facere, quo Deus instituit. Er-  
go. Similiter, si quis velit communicare, tenetur id facere  
sub vtraque specie, quia Christus sic instituit.

Respondeo. Hæc regula generatim accepta, sine dubio  
falsa est, quod etiam aduersarij debent fateri. Nam si vera  
esset, sequeretur eum, qui vellet communicare, teneri id fa-  
cere vesperi post sumptam coenam, quia Christus sic insi-  
tuit. At nemo tenetur id facere, vt aduersarij concedunt.  
Opus ergo est distinctione. Nam ea, quæ à Deo instituun-  
tur, dupliciter spectari possunt. *Primo*, quoad substancialia.  
*Secundo*, quoad accidentalia. Si quis ergo velit usurpare  
aliquod Sacramentum à Deo institutum, tenetur ea facere  
omnia, quæ pertinent ad substantiam illius Sacramenti,  
non tamen tenetur adhibere omnes modos, & circumstan-  
tias accidentales. Verbi gratia, in Baptismo necessaria est  
ablutio & forma verborum; non tamen determinatè ne-  
cessaria est trina vel vna immersio, sed liberū est, vel vnam  
vel trinam adhibere, iuxta loci cuiusque consuetudinem.

Similiter ergo in communione necessarium est accipere  
Christum sub specie externa, quia hoc pertinet ad substan-  
tiam Sacramenti: non tamen iure diuino necessarium est,  
vt determinatè id fiat sub vtraque specie, quia potest fieri  
sub vna, vt deinde probabimus.

---

## P V N C T V M    II.

*Christus instituit utramque speciem, non tamen omnibus  
utramque precepit?*

1 **H**ic duo affero. *Primum*, Christum sub vtraque spe-  
cie instituisse hoc Sacramentum. In hoc omnes  
conueniunt, & meritò, quia verba institutionis clara &  
aperta sunt. Matth. 26. vers. 26. Marc. 14. Luc. 22. vers. 19. Et 1.  
ad Corinth. 11, vers. 23. *Alterum* est, Christum non præce-  
pisse

pisse omnibus vsum speciei vtriusque. Hic dissentimus ab Aduersariis, qui vrgent præceptum, nos dicimus nullum extare, probamusque hoc dupliciter. *Primo*, quia in tota Scriptura ipsi nullum possunt inuenire. *Secundo*, quia nos econtrario sufficienter conuincimus vnam speciem posse usurpari licet; ac proinde vtramque ex præcepto Diuino non esse necessariam. Prius argumentum sic vrgeo: Si in Scripturis extaret aliquod præceptum de vtraque specie, vel id colligeretur ex sola institutione, vel aliunde. Non *primum*, vt ex dictis patet. Nec *secundum*, quia testimonia Scripturæ, in quibus Aduersarij putant contineri præceptum, reuera non continent præceptum, vt patebit *puncto ii.* Posteriori sic vrgeo: A tempore Christi & Apostolorum, usque ad annum 1412. semper liberum fuit in Ecclesia vel sub vna, vel sub vtraque specie communicare: nec ullus Patrum, aut Scriptorum Ecclesiasticorum nominari potest, qui dixerit vtramque speciem Diuino præcepto necessariam esse. Primi, qui hoc dixerunt, fuerunt duo Germani, Iacobellus & Petrus ille, qui Pragæ in Bohemia hanc item de vtraque specie excitarunt. Ergo signum euidens est vtramque speciem non esse Diuino iure præceptam. Hoc argumentum per singulas partes in sequentibus punctis prosequemur.

## P V N C T V M III.

*Christus vsum unius speciei & verbo & facto  
comprobauit?*

**Q**uod verbo comprobârit patet *ex cap. 6. Iohann.* ubi agens de fructu Eucharistiae, non semel, sed saepius asseruit vnam speciem ad salutem sufficere, vt vers. 51. *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* Et vers. 57. *Qui manducat me, & ipse viuet propter me.* Et vers. 58. *Non sicut manducauerunt Patres vestri Manna, & mortui sunt: qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Quod autem loquatur de pane Eucharistico; fateatur Pleſſæus lib. 4. de Eucharistia, cap. 2. Et reliqui Calvinistæ in Gallia, qui Pleſſæi librum in Synodo approbârunt.

2 Quod etiam factō comprobārit, patet ex cap. 24. *Iust.*  
 vbi duobus Discipulis in Emmaus sub vna specie Eucharistiam porrexit. Sic enim habet Lucas vers. 30. *Et factum est,*  
*dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fre-*  
*git, & porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum, & cognoue-*  
*runt eum, & ipse euauit ex oculis eorum.* Quod autem hic  
 locus intelligendus sit de pane Eucharistico, fatentur Kem-  
 nitius, Melanchthon, & quidam alij Aduersarij. Et tribus  
 modis probari potest. Primo, auctoritate Patrum qui sic ex-  
 plicant. August. lib. de consensu Euangelist. cap. 25. Et epist. 59.  
 ad Paulinum, quæst. 8. Et sermone 146. de tempore. Chrysostomus  
*homilia 17. operis imperfecti in Matth.* Hieronymus in  
*epitaphio Paulæ. Isychius lib. 2. in Leuiticum, cap. 9.* Theophylac-  
 tus, Beda & Euthymius in cap. 24. *Lucæ.* Et recentes Inter-  
 pretes ibidem. Secundo probatur ex ipso contextu, quia  
 illa verba: *Accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat*  
*illis,* sunt planè eadem cum illis Matth. 26. vers. 26. *Accepit*  
*panem, & benedixit ac fregit, deindeque Discipulus suis.* Sed hæc  
 intelliguntur de pane Eucharistico, ut omnes fatentur. Er-  
 go & illa.

Tertio, probatur ex effectu, quia aperti sunt mentis oculi eorum, quod S. Augustinus lib. 3. de consensu Euangelistarum, cap. 25. tribuit Eucharistiae his verbis: *Non autem incongruenter accipimus hoc impedimentum in oculis eorum à Sata-*  
*na factum fuisse, ne agnosceretur Christus.* Sed tamen à Christo  
 est facta promissio usque ad Sacramentum Panis, ut unitate  
*corporis eius participata remoueri intelligatur impedimentum*  
*inimici, ut Christus possit agnosci.* Et sermone 146. de tempore,  
 ait: *Christus ante Panis fractionem ignotus loquitur cum ho-*  
*minibus: in Panis fratione cognoscitur, quia ibi percipitur,*  
*vbi vita eterna percipitur.* Et Theophylactus loco citato, ait:  
*Insinuatur & aliud quiddam, nempe quod oculi eorum, qui be-*  
*neditum Panem sumunt, aperiuntur, ut agnoscant illum.* Ma-  
 gnam enim & indicibilem vim habet caro Domini.

3 Variæ sunt Aduersiorum obiectiones. Prima est Kem-  
 nitij & Melanchthonis concedentium hic agi de pane Eu-  
 charistico, sed negantium inde colligi vsum vnius speciei,  
 quia volunt ( in fractione panis ) intelligi ~~conveniens~~ to-  
 rum Sacramentum sub utraque specie. Sed hoc nec pro-  
 bate

bare possunt, nec ab illo bono Auctore asseritur; neque omnino verisimile est. *Primo*, quia sicut Lucas hic loquitur de sola fractione panis: ita de illa sola aliquoties loquitur in Actibus Apostolorum, ut post videbimus. Non est autem probabile, illum toties loqui per Synecdochen.

*Secundo*, quia Lucas scribit, Christum porrecto pane euanuisse ex oculis eorum. Ergo post porrectum panem non consecrauit calicem. Sed urget Kemnitius: Si non admittimus hic Synecdochen. Ergo sicut ex hoc loco probamus usum unius speciei, sic etiam probare poterimus consecrationem unius speciei. At Catholici negant unam speciem sine altera consecrari posse. Ergo etiam negare debent Christum sub una tantum specie Eucharistiam porrèxisse.

Respondeo. Christus non tenetur ea lege qua alii Sacerdotes. Quamuis ergo aliis non liceat consecrare unam speciem sine altera, de quo tamen post disputabo: Christo nihilominus licuit, qui fuit supra suam legem.

*Secunda* obiectio est, non posse colligi panem Eucharisticum ex illis verbis: *Accepit, benedixit, fregit, porrexit*: alioqui panes illi, quos Christus multiplicauit. Ioan. 6. v. 11. fuissent etiam Eucharistici, quia ibi reperiuntur eadem verba. Respondeo *primo*, hoc argumentum aequè potest obiici Aduersariis. Vel enim admittunt ex illis verbis colligi posse panem Eucharisticum, vel negant. Si admittunt, iam panes multiplicati erunt Eucharistici. Si negant, iam nullus panis erit Eucharisticus, ne quidam in ultima cena.

Respondeo *secundo*, ex supra dictis verbis optimè colligitur aliquod mysterium & miraculum. Hoc autem quale ut, ex circumstantiis iudicandum est. Et quidem in ultima cena fuit Mysterium, seu Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi, ut patet ex adiunctis verbis: *Hoc est Corpus meum: Hic est sanguis meus*. Quando autem satiauit multa hominum millia, fuit aliud mysterium, nempe miraculum multiplicationis panum, ut patet ex contextu. Hic autem in Emmaus fuit miraculum apertioris oculorum, quod optimè tribuitur pani Eucharistico, ut Augustinus & alii interpretantur.

*Tertia* solutio est. Christum usum esse communis bene-

438 C A P . XXIV . D E S A C R A M E N T I S  
dictione , qua semper vtebatur quoties manducabat . Sed  
hoc sine fundamento dicitur . Primo , quia nusquam in Scri-  
ptura legitur Christus vsus esse benedictione , nisi cum Eu-  
charistiam confecit , aut panes multiplicauit . Secundo , quia  
communis benedictio solet adhiberi in principio mensæ .  
Lucas autem insinuat Christum sub fine mensæ benedi-  
xisse . Tertio , quia communis benedictio non habet vim  
aperiendi oculos mentis .

Quarta solutio est , Christum habuisse peculiarem artem  
frangendi panem , quasi cultro scissus esset : & inde agnatum  
fuisse . Sed vnde hoc constat ? Nam neque Evangelistæ  
quicquam de hoc scribunt , nec Pharisei dissimulâissent , si  
quid nouum & alienum ab eorum consuetudine usurpar-  
fet Christus .

---

P V N C T Y M I V .

*Tempore Apostolorum usurpata fuit una species.*

**H**oc colligitur ex dupli loco . Primus habetur Act . 2 .  
vers . 42 . Erant autem perseverantes in doctrina Aposto-  
lorum , & communicatione fractionis panis , & orationibus . Hic  
agi de Eucharistia fatentur , Luther . serm . de Eucharistia . Cal-  
vin . 4 . In 1 . cap . 17 . § . 35 . Kemnit . suprà . Plessæus lib . 1 . de Eu-  
charistia , cap . 1 . & alij quidam . Et probatur primo ex con-  
textu , quia fractio panis coniungitur cum doctrina & ora-  
tione , tanquam res sacra cum rebus sacris . Secundo , quia  
Syrius interpres sic vertit : *Et communicabant in precibus &*  
*fractione Eucharistiae ;* quod etiam notat Beza in illum lo-  
cum . Tertio , quia sermo est de Neophytis , qui iam erant  
baptizati , vt habetur vers . 41 . Erat autem moris tempore  
Apostolorum , vt post Baptismum acciperent Eucharistiam .  
Quarto , quia non fuisset magna laus , primos illos Christianos  
perseuerasse in cibo corporali .

Respondet Kemnitius , vt suprà , per fractionem panis in-  
telligi etiam benedictionem calicis , probatque , quia alias  
sequeretur Apostolos vnam tantum speciem consecrassæ ,  
quod tamen Catholici non admittunt . Sed hæc ratio nulla  
est , quia Lucas non dicit , Apostolos fuisse perseuerantes  
in fractione panis ; sed alios fideles ; qui erant conuersi ab

Aposto

Apostolis. Poterant igitur Apostoli consecrare utramque speciem, & tamen reliquis porrigeret unam speciem, sicut nunc fit apud Catholicos. Confirmatur, quia constat tunc temporis plurimos Iudeos fuisse ad Christum conuersos, qui in illis initiis permittebant seruare adhuc quedam legalia connuentibus Apostolis, ut patet Act. 21. vers. 20. Similiter constat aliquos eorum fuisse Nazareos, qui non bibebant vinum usque ad finem dierum voti sui, ut patet Act. 18. vers. 18. Et Act. 21. vers. 23. Hos autem credibile est, nec bibisse de calice Domini contra votum, nec omnino ab Eucharistia abstinuisse, praeferit cum Lucas dicat, Omnes fuisse perseverantes in communicatione fractionis Panis. Notant hic Viri docti, Lucam in Actibus passim loqui de una specie, Paulum autem in 1. ad Cor. epistola, de utraque specie. Hoc ideo fieri putant, quia Iudei, de quibus agit Lucas, solent in suis Sacrificiis abstinerere a vino & sanguine; & aliqui ratione voti abstinebant a vino; ac proinde sub una specie, ut plurimum communicabant. At Corinthij, de quibus agit Paulus, assueti erant uti calice Demoniorum, & ideo communicabant sub utraque specie, ne minus viderentur habere apud Christianos, quam antea habuissent apud Gentiles.

2 Secundus locus habetur Act. cap. 20. vers. 7. ita: *Vna autem Sabbathi, cum conuenissimus ad frangendum Panem, Paulus disputabat cum eis, profecturus in crastinum, protractaque sermonem, &c. Vbi etiam agitur de Eucharistia, ut docet August. epist. 86. ad Casulanum.* Et fatebitur Calvinus & Beza in illum locum. Et patet ex ipso contextu. Nam diligenter notatur dies ille, quo in primitiva Ecclesia, teste Iustino Apolog. 2. solebant fideles congregari ad Conuentus sacros, qui erat prima Sabbathi, id est, dies Dominicus. Deinde Paulus dicitur, mansisse Troade septem diebus, & expectasse unam & primam Sabbathi, ut tunc conuenirent fideles in magno coenaculo lampadibus copiosissime illustrato ad frangendum Panem; idque nocturno tempore, sine dubio ob meum persecutionis. At certe si fuisset prophanum conuentum, frustra adhibitæ fuissent tot circumstantiae.

## P V N C T V M V.

*Post tempora Apostolorum fuit vna species in usu.*

**H**oc tribus argumentis probari potest. *Primum* est, quia primitiva Ecclesia post tempora Apostolorum nunquam reprehendit, aut damnauit communionem sub vna specie, cum sciret eam ab aliquibus usurpari. Ergo putauit esse licitam. Hoc patet exemplo Manichæorum, qui nunquam communicabant nisi sub vna specie, ut testatur Leo Papa, *Sermone 4. de quadragesima*. Abstinebant enim à calice, duplii de causa. *Primo*, quod putarent vinum esse fel Draconis. *Secundo*, quod negarent Christum esse verè mortuum & sanguinem effudisse. Et quamvis in utroque errarent; tamen nec Augustinus, nec Epiphanius, nec alij, qui de erroribus Manichæorum scripsere, notant eos errasse in eo quod sub vna specie comunicarent.

*Secundum* argumentum sumitur ex duobus exemplis: quorum prius est de quadam foemina heretica, quæ à marito Catholicō iussa erat vel discedere, vel Catholicē cum illo communicare. Illa autem volens occultare suam heresim, & se Catholicam simulare, publicè cum aliis iuit ad Ecclesiam, & à S. Chrysostomo Missam celebrante accepit Panem Eucharisticum in manu, quasi paulò post vellet illum manducare. Deinde clam accepit ab ancilla panem domesticum, quem è domo sua adferri iusserat, ut illum publicè comederet loco Eucharistiae. Is autem panis continuò in lapidem conuersus est, & propter rei miraculum publicè referuatur. Ita Sozomenus lib. 8. cap. 5. Niceph. lib. 13. cap. 7. Et ex his Baron. tom. 5. Annal. A. Ch. 400.

**2.** Ex hac historia patet fuisse tunc temporis consuetudinem, ut acciperent Eucharistiam sub vna specie, qui vellet. Si enim omnes fuissent coacti bibere de calice, non potuisset hæc foemina dissimulare suam fraudem, quia calix non dabatur in manum communicantibus, sed à Diacono eorum oriri admouebatur.

*Posteriorius* exemplum est apud S. Leonem *Serm. 4. de quadrag.* vbi dicit Manichæos Romæ habitantes, ad tegendam suam heresim solitos esse communicare cum Catholicis, nunquam

nunquam tamen calicem sumere: Hoc autem Romæ non fecissent, nisi fuisset ibi liberum communicare sub vna, vel sub vtraque specie. Vide Bar. tom. 6. Annal. An. 496.

*Tertium argumentum sumitur ex variis ritibus qui erant visitati in Ecclesia, quales sunt hi septem: asseratio Eucharistiae: communicatio domestica: communicatio infantium: communicatio ergotorum: communicatio ex praefanctificatis: communio laica: & communio peregrina.*

*3 Primus ritus erat asseratio Eucharistiae sub vna specie; Et quidem, quod Eucharistia solita sit asseruari, suprà cap. 15. quest. 1. probatum est ex Conciliis & Patribus. Quod autem solita sit asseruari sub vna specie, duplice probari potest. Primo, quia interdum per integrum annum asseruabatur, teste Sopronio in Prato spirituali, cap. 79. quod etiam nunc fit apud Græcos. At species vni non posset tamdiu seruari, præsertim in parua quantitate, quin acesceret, & corrumperetur. Secundo, quia Cyprian. in Serm. de lapsis; Ambr. Orat. de obitu Satyri. August. Serm. 252. & alijs, qui meminerunt asseruationis, ut plurimum loquuntur de sola specie panis, quam dicunt orario, vel linteo fuisse inuolutam. Nomine autem orarij intelligitur genus quoddam indumenti sacri, quo Sacerdotes in orando & sacrificando vrebantur, ut notat Sipontinus in Commentariis de lingua Latina. Durandus l. 3. de Diuinis officiis, cap. 9. qui dicit fuisse quiddam simile superhumerali. Et Onuphrius libro de interpretat. vocabulorum Ecclesiasticorum, dicit stolam fuisse. Contà hunc ritum Plessæus lib. 1. de Eucharistia, cap. 12. obicit tria. Primo, autoritatem Nazianzeni dicentis Gorgoniam suam sororem reseruasse signa preciosi corporis & sanguinis. Secundo, autoritatem Ambrosij inquit Satyrum fratrem ore sumpsisse (nempè Sacramentalem Panem) & toto pectoris arcano hauiisse (nempè Sacramentale vinum.) Tertio, autoritatem Baronij, qui tom. 5. Annal. Anno 404. expressè fatetur olim sub vtraque specie asseruatam fuisse Eucharistiam.*

*Resp. Nazianzenus loquitur sub disunctione, dicens, Gorgoniam recondidisse quidpiam signorum Corporis, aut Sanguinis Domini. Ambrosius ait de haustu illius speciei, quam habebat Satyrus in orario inuolutam, quæ sine*

dubio non erat species vini, sed panis. Vox autem haurienti, tametsi ad potum pertineat; potest tamen etiam ad cibum accommodari, præsertim quando aliquid integrum sumitur. Baronius fatetur Eucharistiam aliquando sub utraque specie reseruari solitam. Neque nos contendimus semper sub una specie, sed sœpè asseruatam fuisse.

**4** Secundus ritus erat communicatio domestica. Solebant enim Laici Eucharistiam domum deferre, & ibi pro sua opportunitate sumere; ut tradunt Tetull. lib. 2. ad uxorem. Clem. Alexand. t. 1. Stromatum. Cyprian. Serm. de lapsis. Basil. in Epist. ad Cæsarium Patriciam. Hieron. in Apolog. ad Pammachium pro suis libris contra Iouinianum. August. Serm. 252. &c alij. Quod autem domi sub una tantum specie Eucharistiam sumerent, tripliciter probatur.

Primo, quia citati Patres & nominatim Augustinus ait mulieres solitas esse sumere Eucharistiam in mundo linteolo, quod de specie vini intelligi non potest. Secundo, quia sola species Panis dabatur illis in manum a Sacerdote. Sanguis autem dabatur ex calice bibendus, ut docet Cyril. Catech. 5. mystag. Tertio, quia in domibus Laicorum non erant sacri calices, quibus sanguis Christi sub specie vini contineri posset, ut patet ex Apolog. 2. Athanasij contra Arianos.

Aliqui notant hunc ritum asportandi secum Eucharistiam, & domi priuatim sumendi potissimum viguisse apud Eremitas, quibus id facilius concedebatur, ne sœpius cogarentur communicandi causa ad remotas vrbes proficiisci, ut colligitur ex Basilio loco citato.

Circa hunc ritum fatetur Kemnitius olim fuisse unam speciem usurpatam priuatim in domibus, non tamen publicè in Ecclesia. Addit primo, illos eosdem, qui domi sumebant sub specie panis, prius in Ecclesia sumpsisse sub specie vini, ac proinde sub utraque specie per interualla temporis. Secundo, addit se non disputare de eo, quod priuatim fiebat in domibus, sed de eo, quod publicè in Ecclesia.

Sed Kemnitius seipsum inuertit. Primo, quia ex una parte dicit se tantum disputare de eo quod fiebat publicè in Ecclesia; & ex altera parte fatetur multos publicè in Ecclesia sub

sub vna specie tantum communicasse. Ergo fatetur usum  
vnius speciei fuisse publicum; quod tamen conatur negare.  
*Secundo*, quia ex ipsius solutione sequitur illos semper  
communicasse sub vna specie, quia communio, quæ in Ec-  
clesia fiebat, erat distincta ab illa quæ fiebat domi post  
vnam aut alteram diem. Ergo unaquæque per se sumpta  
fiebat tantum sub vna specie.

Dices: ea consuetudo fuit post abrogata. Ergo ex ea non  
potest argumentum sumi. Resp. non fuit abrogata eò quod  
communio fieret sub altera specie; sed quia multi abusus  
contingebant circa Eucharistiam, quando domum defere-  
batur, ut patet ex *Conc. 1. Tolet. Can. 14. & Cæsaraugst. Can. 3.*

*5 Tertius* ritus erat communicatio infantium sub specie  
vini. Cum enim propter defectum ætatis non possint soli-  
dum panem sumere; solet illis in os instillari aliquid vini  
consecrati, ut patet ex Cypriano *Sermon. de lapsis*. De hac re  
scribit Ioan. Teutonicus Gratiani Scholastæ, in *capitulo: si*  
*qui ad illos. de consecrat. d. 4.* vbi testatur eam consuetudi-  
nem sua adhuc ætate apud multos viguisse.

*6 Quartus* ritus erat communicatio ægrotorum, quæ ut  
plurimum fiebat sub vna tantum specie; & quidem aliquando  
sub sola Panis specie, aliquando sub sola specie vini. De  
specie vini patet ex Cypriano *Serm. de lapsis*; & ex *Conc. Car-  
thag. 4. Can. 76.* vbi decretum fuit & postea usum receptum, ut  
sola species vini daretur illis ægrotis qui non possent de-  
glutire speciem Panis. De specie Panis patet ex multis hi-  
storiis, præsertim apud Eusebium *l. 6. hist. c. 36.* Paulin. *in vita*  
*S. Ambrosij*: Et Amphilochium *in vita S. Basiliij*.

*7 Quintus* ritus erat communicatio ex præsanctificatis,  
cuius usus fuit partim in Ecclesia Græca per totam qua-  
dragesimam, excepto die Dominico & Sabbatho, ut patet  
ex *Conc. Laodiceno, can. 49.* partim in Latina, feria 6. Heb-  
domadæ Sanctæ, ut tradunt Innocentius I. *Epist. 1. c. 4.* Ordo  
Romanus antiquus in officio Parasceues. Liber Sacra-  
torum S. Gregorij in officio eiusdem diei. Raban. *l. 2. de in-  
stit. clericorum, cap. 37.* Et Micrologus *in lib. de Eccles. obser-  
uat. cap. 19.*

*8 Sextus* ritus erat communio Laïca, quæ in poenam ma-  
gni alicuius delicti olim Clericis dabatur, ablata eis com-  
muni.

munione Clericali. Cuius frequenter meminere Antiqui Pontifices & Concilia, præsertim Siricius Papa, Ep. I. c. 10. Felix III. Ep. I. c. 2. Conc. Elibert. can. 76. Sardicense can. I. & Agath. can. 33. quæ autem sit differentia inter communio-  
nem Laicam & Clericalem non omnes eodem modo ex-  
plicant.

Melanchthon in *Apol. Conf. Augst.* putat Clericalem esse, quæ fit à Sacerdote in sacrificio Missæ, & consequenter omnem aliam quæ extra sacrificium fit, ut vocari Laicam communionem. Addit sacerdotes olim priuari solitos ministerio consecrandi, & remissos ad solam sumptionem cum laicis sub vtraque specie.

Sed hoc facile refellitur, quia in Concil. Elibertino & aliis citatis, Diaconi & alij inferiores clerici priuantur communione clericali. Ergo per clericalem non potest intelligi, quæ fit à sacerdote in sacrificio Missæ, quia Diaconi & alij clerici inferiores non possunt Missam celebrare.

Kemnitius *suprà*, & Plessæus l. i. c. 10. putant communionem laicam vocari, quæ sumitur cum laicis in inferiori loco templi extra sacrarium; clericalem, quæ intra sacrarium cum clericis & sacerdotibus. Hoc etiam refellitur, quia Felix III. loc. cit. iubet ob quædam grauiora delicta non dari clericis communionem laicam, nisi in morte. Et Concilium Sardicense, ne in morte quidem illam permittit, si crimen sit valde enorūme. Ergo per communionem laicam non potest intelligi, quæ fit in templo extra sacrarium inter Laicos.

Bellarminus l. 4. c. 24. putat vocari laicam quæ datur sub una specie, & probat partim ex Conciliis & Pontificibus citatis, partim ex Cyrillo *Catech. 5. myst.*

**9** *Septimus* ritus erat communio peregrina, quam Bellarmin. ait sic dictam, quod olim mitteretur peregrinis aduentantibus in signum communionis & pacis; idque sub una tantum specie. At Baronius tom. 5. Annal. An. 400. & 407. putat sic dictam esse, quod solita sit dari illis peregrinis, qui non ferrent secum commendatitias literas, quas anti- qui Canones decreuissent. Addit peregrinam communionem in eo consistere, quod Christiani peregrini admitterentur tantum ad communes orationes, non autem ad communio-

communionem Sacramentorum, donec certa fide docuit - sent se verē Catholicos esse. Vnde patet de hac communio ne secundūm Baronium non pertinere ad Eucharistiam, sed ad preces & suffragia tantūm.

## PUNCTVM VI.

*Posterioribus faculis fuit vna species in usu.*

I **S**icut olim in primitiua Ecclesia, & tempore Aposto rum; sic etiam posterioribus & usque ad nostrum sa culum fuit vna species in usu in Ecclesia Latina, non solum priuatim, sed & publicè, & extra diem etiam Parasceues. Hoc patet primo ex Concil. Trid. Basil. & Constantiensi, ubi fit mentio receptæ & approbatæ consuetudinis communi candi sub vna specie. Eandem confirmant autores, qui ante illa Concilia scripsierunt. Nicol. Lyranus in caput 6. Ioan. Anno 1300. D. Thom. q. 80. art. 12. Anno 1200. D. Bernardus An no 1100. ut patet ex vita ipsius scripta à Guilielmo Abate. Et ante hos Beda libro 2. historiæ cap. 5. &c alij.

## PUNCTVM VII. VIII. &amp; IX.

*Communio sub vna specie non solum recte, sed etiam com modius usurpatur à laicis.*

I **Q**uod recte usurpetur, probauit supra dupliciter. *Primo*, quia sub vna non minus continetur totus Christus, quam sub utraque. *Secundo*, quia non minor fructus percipitur ex una, quam ex utraque specie, ceteris paribus. *Quod autem commodiūs usurpetur*, probatur tripli citer. *Primo*, quia multi natura sunt abstemij à vino. *Secun do*, quia vinum multis locis haberi non potest, præsertim in tanta copia, ut multa hominum millia possint commun icare. *Tertio*, quia in tanta communicantium multitudine sèpè esset periculum effusionis, aut irreuerentia. Has ratio nes non possunt aduersarij commode eludere. Nam Ioan. Brentius in Apol. pro Conf. Virtemb. dicit abstemios posse sub vna specie communicare. Et Melanch. in libro de usu integri Sacramenti, dicit Ruthenos ob vini inopiam recte facturos, si pro vino uferentur aqua mellita.

## PUNCTVM X.

*Ecclesia recte præcepit Laicis communionem sub una specie?*

**P**RIMO, ob rationes allatas. SECUNDO, quia consuetudo iam erat recepta & approbata. TERTIO, ut esset maior conformitas & concordia in Ecclesia. QUARTO, ad corrigen-dum errorem hæreticorum contendentium iure diuino necessariam esse communionem vtriusque speciei.

Dices: Licet hæ rationes videantur bonæ; tamen Ecclesia non habet potestatem prohibendi vtramque speciem, cum Christus vtrainque concesserit. Quicquid enim iure diuino omnibus Christianis permittitur, hoc humano iure tolli non potest. Respond. Ecclesia habet potestatem ordinandi & præscribendi ea quæ non pertinent ad substantiam Sacramentorum. Probatur prima, ex concessione aduersario-rum putantium præcipi posse, vt ante prandium communicent laici, cum tamen Christus liberum permiserit. SE-CUNDO, probatur exemplo, quia Ecclesia aliquando præcepit baptismum sub trina mersione, quando causa id requirebat, vt patet ex *Can. 49. Apostolorum*; Et ex *Tertul. libro de Corona Militis*. Similiter eadem Ecclesia alio tempore & ob aliam causam præcepit, vt baptizarentur sub una mersione, vt patet ex *Concil. 4. Toletano, cap. 5.* TERTIO, probatur ex Au-gustino expressè in *Epist. 118.* & confirmat hoc ipse ex *1. Cor. 11. cetera cum venero disponam.*

## PUNCTVM XI.

*Soluuntur obiectiones ex Scripturis?*

**P**RIMA Obiection: Sumitur ex *Ioan. 6. v. 56. Nisi manducaveritis & bibieritis, &c.* Respond. PRIMO, Lutherani & Caluinistæ negant hoc loco agi de mandatione Sacra-mentalı, ac proinde non possunt inde argumentari, nisi ex nostra concessione. Nos autem solūm concedimus agi de Sacramentali sumptione carnis & sanguinis Christi, quoad substantiam, non tamen quoad modum. Vnde, qui mandu-cat carnem Christi & bibit sanguinem eius, satisfacit præcepto,

cepto, siue manducet & bibat sub vna specie, siue sub vtratre, quia hoc spectat ad modum sumendi, non ad substan-tiam. Quod autem hæc expositio sit vera, probatur ex contextu. Primo, ex forma verborum, in qua nulla fit mentio vtriusque speciei, sed tantum carnis & sanguinis. Secundo, ex occasione qua Christus dixit illa verba, quæ fuit in eedu-litas Iudeorum. Cum enim ante dixisset: *Panis quem ego da-bo, caro mea est;* cœperunt litigare Iudæi dicentes, *quomodo potest hic nobis dare suam carnem ad manducandum?* Vbi etiam nulla mentio fit vtriusque speciei, sed tantum carnis. Tertio, ex conclusione sermonis Christi, quæ sic habet: *Qui manducat hunc panem, viuet in eternum.*

Respond. Secundo, retorquendo argumentum in aduer-sarios. Illi intelligunt hunc locum de mandatione per fidem, vel ergo putant necessarium esse ut sigillatim appre-hendamus carnem Christi per fidem, & sigillatim sanguinem eius; vel vnam sufficere, ut totum Christum pro nobis Crucifixum uno actu apprehendamus. Si prius, iam nemo satisfaciet præcepto Christi, nisi seorsim carnem & seorsim sanguinem apprehendat; quod tamen illi non admittunt. Si posterius, cur non etiam sufficiat sub vna specie totum Christum manducare & bibere, sicut sufficit uno actu fidei manducare & bibere.

2 Secunda Obiectio: Ex Matthæi 26. vers. 27. *Bibite ex hoc omnes.* Resp. hoc dictum est solis Apostolis, ut patet ex illo Marc. 14. vers. 24. *Et biberunt ex eo omnes.* Utique illi omnes ex eo biberunt, quibus dixerat Christus: *bibite ex hoc omnes:* quod perinde valet atque illud Luc. 22. v. 17. *Accipite & diuidite inter vos,* id est, unus non exhaustat totum calicem, sed singuli aliquid bibant.

Dices: Primo iisdem dictum est Bibite, quibus dictum est Manducate. Vel ergo vtrumque dictum est omnibus Christianis; & sic omnes tenentur ad vtramque speciem. Vel neutrum, & sic non tenentur ad ullam speciem. Respondeo neutrum dictum est omnibus Christianis, sed Apostolis præsentibus. Vnde ex vi verborum *manducate & bibite*, non tenentur Christiani communicare: sed ex vi illorum: *Nisi manducaueritis carnem Filij Hominis, &c.*

Dices Secundo, ipsemet Christus fatetur se omnibus dicere,

cere, quicquid dicit Apostolis, iuxta illud Marc. 13. vers. 37.  
*Quod vobis dico, omnibus dico.* Resp. verba Christi aliquando diriguntur ad solos Apostolos, vt Matth. 26. v. 31. *Omnis vos scandalum patiemini in me in ista nocte:* Aliquando ad Apostolos & eorum successores, Episcopos, &c. Ioan. 10. v. 23. *Quorum remiseritis peccata,* &c. Aliquando ad Apostolos & omnes fideles: vt Marc. 13. v. 37. *Quod vobis dico, omnibus dico, vigilate.*

Hoc autem iudicandum est, partim ex materia de qua agitur: partim ex circumstantiis quae ex contextu oriuntur, partim ex traditione & censura Ecclesiæ vniuersalis.

3. Tertia Obiectio: Ex Luc. 22. v. 19. *Hoc facite in meam commemorationem*, id est, distribuite omnibus præsentibus vtramque speciem. Respondeo. Christus post consecrationem Panis dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*: at post consecrationem vini dixit: *Hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem*, vt refert Apostolus 1. Corintb. 11. v. 25. Hinc autem non potest colligi mandatum usurpandi vtramque speciem: sed solum, si velimus usurpare speciem calicis, usurpandi ad commemorationem mortis Christi.

4. Quarta Obiectio sumitur ex 1. Cor. 10. v. 23. *Ego enim accipii à Domino, quoniam tradidi vobis,* &c. Vbi Paulus significat vtramque speciem præceptam esse ex Traditione Apostolica. Resp. aliud est Traditio, aliud præceptum. Paulus tradit Corinthiis institutionem Eucharistiæ sub vtraque specie à Christo factam: non tamen præcipit.

## PUNCTVM XII.

*Soluuntur obiectiones ex Patribus.*

1. **P**rimò Cyprianus obiicitur de cœna Domini sic: Lex esum sanguinis prohibet: Euangelium præcipit ut bibatur. Respondeo. Cyprianus, vel quisquis autor est illius sermonis, non distinguit inter esum & potum sanguinis, vt patet partim ex verbis citatis, partim ex leqq. cum ait: *Portus & esus ad eandem pertinent rationem.* Possimus autem sub una specie edere & bibere sanguinem Christi, vt paulò ante dictum.

Secundò

Secundò Obiicitur Chrysost. Homil. 18. in post. Corinthiam: vbi sic ait: *Est autem ubi nihil differt Sacerdos à subditos; ut quando fruendum est horrendis Mysteriis.* Resp. Ponit obiter discrimen inter nouam & veterem legem, dicens: in veteri lege Sacerdotes maiorem partem sacrificiorum, reliquos minorem participasse: in noua autem tam Sacerdotes, quam Laicos participare totum Christum in Sacramento altaris, siue id fiat sub una specie, siue sub vtraque.

3. Tertiò Obiicitur Gelasius Papa apud Gratianum. *can. Comperimus, de Consecr. d. 2.* vbi sic ait: *Comperimus, quod quidam, sumpta tantummodo Corporis Sacri portione, à Calice Sacri cruxis abstineant, qui procul dubio, quoniam nescio qua superstitione docentur obstringi, aut integra Sacramenta percipient, aut ab integris arceantur: quia diuisio unius & eiusdem Mysterij sine grandi sacrilegio non potest prouenire.*

Respond. Gelasius reprehendit solos Manichæos, qui ex superstitione abstinebant à Calice, quia putabant Christum non habuisse verum sanguinem. Et sic dicebantur grandi sacrilegio diuidere Sacramentum, quatenus negabant sanguinem Christi. Vide plura apud Baronium *tom. 6. Anno Christi 496.*

### PUNCTVM XIII.

*Soluuntur obiectiones ex ratione.*


I. **P**rima ratio sumitur ex figura veteri. Omnes Hebrei in deserto biberunt aquam de petra. *i. Cor. 10. vers. 4.* Ergo etiam omnes Christiani in deserto huius vitæ debent bibere Sanguinem Christi, vt impleatur figura, iuxta illud *i. Cor. 10. v. 6.* Hæc autem in figura facta sunt nostri. Respondeo, figuræ veteris Test. magis fauent nobis quam aduersariis. Nam pleræque repræsentant Eucharistiam sub una tantum specie, vt Agnus Paschalis, Manna, & Panes Propositionis. Idem dico de aqua petræ, quam aduersarij adducunt pro communione sub vtraque specie. Nam aqua illa non dabatur cum cibo, sed sola; ac proinde fauet vni speciei, non duabus.

Idem dici potest de Sacrificiis. Quamuis enim in illis esset caro & sanguis, & præterea multa libamina, *Exod. 25.*

450 C A P . XXV . DE SACRAMENTIS  
tamen sola caro manducabatur ; Sanguis & libamina ef-  
fundebantur Deo.

2 Secunda ratio sumitur ex ratione Testamenti. Christus in coena condidit Testamentum , & legauit nobis Carnem & Sanguinem suum. Ergo male faciunt , qui fraudant nos altera parte hæreditatis, tradendo solam Carnem , & retinendo Sanguinem. Respond. nemo nos fraudat Carne & Sanguine ; sed tantum externa specie vini , quæ nihil ad fructum hæreditatis facit.

3 Tertia ratio sumitur ex fine huius Sacramenti. Finis Eucharistie est commemorationis mortis Christi , ad quam omnes tenentur i. Cor. II. vers. 25. At mors Christi non potest integrè significari per unam speciem. Ergo sicut tenemur ad commemorationem Christi mortem ; ita tenemur ad speciem utramque. Respondeo aliud est commemorationis mortis Christi , aliud vero representatio , seu significatio. Commemoratio fieri potest sub una specie ; perfecta representatione sit sub utraque. Apostolus agit de commemoratione , non autem de representatione. Vult enim ut laici , quando communicant , sint memores mortis & Passionis Christi , quod fieri potest tam sub una , quam sub utraque specie.



## C A P V T   X X V .

### *De Sacrificio Missæ.*

**H**O C apus continet duas partes. In priore agetur de controvërsiis inter Catholicos & hæreticos. In posteriore de doctrina morali , & de casibus conscientiæ ad hanc materiam pertinentibus.

---

## P R I M A   P A R S .

### *De Controvërsiis circa Missam.*

**P**RÆCIPUÆ controvërsiæ sunt hæc. *Primo* , quid significatur Missæ nomine. *Secundo* , quid propriè sit Sacrificium. *Tertio* , quotuplex sit. *Quarto* , an Missa sit propriè Sacrificium. *Quinto* , in quo consistat essentia huius Sacrificij. *Sexto* , an sit Sacrificium propitiatorium , an tantum Eucharisticum.

risticum. *Septimo*, quam vim & efficaciam habeat ex opere operato. *Octavo*, an recte offeratur pro viuentibus. *Nono*, an etiam pro defunctis. *Decimo*, an liceat celebrare Missam in honorem sanctorum. *Vndecimo*, an liceat celebrare Missas priuatas. *Duodecimo*, an lingua vulgari. *Decimotertio*, an alta voce. *Decimoquarto*, de ceremoniis Missæ.

## Q V A E S T I O . I.

*De nomine Missæ.*

- <sup>1</sup> **D**icam *primo*, quot modis nomen Missæ usurpetur.  
**S**ecundo, quæ sit illius Etymologia.
- <sup>2</sup> Prima Conclusio : Nomen Missæ apud scriptores Ecclesiasticos sumitur quinque modis. *Primo*, pro illa parte diuini officij, quæ durat usque ad Offertorium, & vocatur Missa Catechumenorum. Hoc sensu accipitur in Concilio Valentino *cap. i.* vbi sic legimus : *Hoc esse censuimus obseruandum, ut sacrosancta Euangelia ante munera illationem in Missa Catechumenorum in Ordine Lectionum post Apostolorum legantur.*

*S*ecundo, pro reliqua parte, quæ durat ab Offertorio usque ad finem, & propriè vocatur Missa fidelium, teste Alcuino in *lib. de officiis Ecclesiast. cap. de celebratione Missæ*. Hoc sensu sumitur ab Ambrosio *lib. 5. epist. 33. vbi ait: Ego mansi in munere, Missam facere capi, & orare in oblatione.*

*T*ertio, pro tota celebratione diuini Officij, vt comprehendit simul Missam Catechumenorum & Fidelium. Ita accipit Leo Papa *epist. 81. ad Dioscorum*. Et *epist. 88. ad Episcopos Germanie & Gallie*. Gregorius Magnus *lib. 1. epist. 12. Felix I V. epistola 1. apud S. Benedictum in Regula, cap. 17. Concilium Agathense can. 31.* Et hæc acceptio est maximè usitata, de qua deinceps agemus.

*Quarto*, sumitur pro dimissione, vel Catechumenorum, vel Fidelium. Solebant enim Catechumeni dimitti, quando ventum erat ad Offertorium; nec licebat illis ulterius diuino Officio interesse. Hoc sensu loquitur Concilium Carthaginense *I V. can. 84.* dicens. *Episcopus nullum prohibeat ingredi Ecclesiam, & audire verbum Dei, siue Gentilem, siue Hæreticum, siue Iudeum, usque ad Missam Catechumenorum,*

452 CAP. XXV. DE SACRAMENTIS  
id est, usque dum Catechumeni dimittuntur. Et Concilium  
Ilerdense, canon. 4. dicens: *Qui se incestus pollutione comma-  
centant, usque ad Missam tantum Catechumenorum in Ecclesia  
admittantur.* Et Augustinus serm. 237. de tempore: *Ecce post fer-  
monem fit Missa Catechumentis, manebunt fideles, venietur ad  
locum Orationis.*

Porrò, sicut Catechumeni ante Offertorium: ita Fideles  
peracto officio solent dimitti: *Hoc sensu in Liturgia: dicitur*  
a Diacono: *Ite Missa est.* Quasi dicat: Iam dimissio est con-  
gregationis, iam abire omnibus licet, sicut exponit Alcui-  
nus loc. cit. *λαοῖς ἀφροσι τέστο.*

Quinto, sumitur Missa pro ipsis collectis, vel precibus,  
quae dicuntur in Liturgia. Ita loquitur Concilium Mileni-  
tanum can. 11. dicens: *Placuit etiam επὶ illud, ut preces, vel  
orationes, seu Missæ, quæ probatae fuerint à Concilio, ab omnibus  
telebrentur.*

3 Secunda Conclusio: De etymologia nominis Missæ non  
omnes idem sentiunt. Aliqui putant esse vocem Græcam,  
ut Couarruiias libro 4. *variarum resolutionum*, capite 22.  
sed non rectè, quia nullum eius vocis fundamentum in  
Græca lingua reperitur; & quia Græci Patres nunquam  
solent vocare Missam, sed *λίταργειαν, σύναξιν*. Alij putant  
esse vocem Hebraicam. Nam *מִשְׁׁה* significat spontaneam  
oblationem. Ita Baronius tom. 1. annal. 34. Claudius Sain-  
ctes in *præfatione ad Grecas Liturgias*. Et Pamphilus in *præ-  
fatione ad Latinas*. Sed Patres Græci & Syri nunquam ea  
voce vbi sunt, cum tamen soleant frequenter ut illis vo-  
cibus Hebraicis, quas Ecclesia Latina retinuit, verbi gratia.  
Hosanna, Alleluia, Sabaoth, Sathan, Pascha, Amen, &c.  
Hæc enim per Græcos ad nos deuenerunt. Alij putant esse  
vocem Hebraicam deducētam à voce *כַּרְעָזִים*, quæ habetur  
*Dan. 11. vers. 38.* vbi de Antichristo sic legimus: *Deum autem  
מָצַח in suo loco venerabitur.* Ita Kemnitius & alijs qui-  
dam Lutherani afferentes Missam Papisticam nihil aliud  
esse quam Deum, seu arcem & robur Antichristi Romani,  
id est, Papæ. Hoc bene refellit Bellarmin. lib. 1. cap. 1. quia  
Antichristus clam venerabitur Deum *כַּרְעָזִים*, & publicè  
omnes alios Deos aspernabitur, & contra omnes con-  
surget. At Papa, nec clam veneratur Missam, nec publicè  
consur-

confurgit aduersus alios Deos , præfertim ex sententia Lutheranorum , qui dicunt , eum publicè adorare statuas & idola.

Alij denique sentiunt esse vocem Latinam deductam à verbo *Mitto* : vel quia oblatio & preces ad Dèm mittuntur ; vel quia populus finito officio mittitur , seu dimittitur ; vt patet apud Bellarmin. loc. citat. & Lindanum lib.4. *Panoptiæ*, cap.30.

## QVÆSTIO II.

*Quid propriè sit Sacrificium?*

1 Prima Opinio est Lutheranorum , Sacrificium esse opus bonum , quod fit ad honorem & cultum Dei. Ita Melancht. in *apolog. confess. Augst. in ar. de Missa* , vbi sic ait : *Sacrificium est ceremonia vel opus , quod nos Deo redi- mīs , ut eum honore afficiamus.* Deinde diuidit illud in duas species , nēmpē in propitiatorium & Eucharisticum. Propitiatorium vocat , quod Deum placat , & satisfacit pro peccatis nostris. Eucharisticum , quo laudamus Deum , vel gratias agimus pro acceptis beneficiis. Addit Missam posse dici Sacrificium Eucharisticum , quia sumptio Eucharistiae potest fieri ad laudem & honorem Dei , sicut cætera bona opera ; non tamen propitiatorium , quia non est satisfactio pro peccatis nostris.

Secunda Opinio est Caluinistarum , quamlibet oblationem Deo factam esse Sacrificium. Ita Caluinus lib.4. *Instit. cap.18. §.13.* Vbi primum tacito nomine reprehendit ita Lutheranos : qui Sacrificij vocabulum ad sacras omnes ceremonias & religiosas actiones extendunt , qua ratione id faciant non video. Deinde ex propria sententia addit: Nos perpetuo Scripturæ vſu Sacrificium appellari scimus , quod Græci nunc θύσιν , nunc ἀετοφεγγίην , nunc τελετὰς , dicunt: quod generaliter acceptum complectitur quicquid omnino Deo offertur.

2 Prima Conclusio. Non omne opus bonum est Sacrificium propriè dictum. Probatur primo , quia apud omnes gentes Sacrificium est aliquod opus speciale , quo Deus colitur tanquam primum omnium rerum principium,

454 CAP. XXV. DE SACRAMENTIS  
iuxta illud Sancti. Augustini lib. 10. ciuit. Dei, cap. 4. vbi  
ait: *Nemo unquam sacrificandum censuit, nisi ei, quem aut*  
*Deum sciuit, aut putauit, aut finxit.* Hoc autem non con-  
uenit cuius operi bono, ut verbi gratia, ieunio aut ele-  
mosyna. Hæc enim per se nullum cultum præ se ferunt,  
sed solum castigationem carnis, & beneficentiam in pro-  
ximum.

*Secundo*, quia ad Sacrificium requiritur sacerdos & al-  
tare, ut paulò post probabo. Sed multa bona sunt ab iis  
qui non sunt sacerdotes, & sine altari.

*Tertio*, quia scriptura distinguit bona opera à sacrificiis,  
vt Osee 6. vers. 6. *Misericordiam volui, & non Sacrificium.* Et  
1. Reg. 15. v. 22. *Melior est obedientia quam victimæ.*

Dices, *Contritio*, *eleemosyna*, & *quoduis opus iustitiae*  
vocatur in scriptura Sacrificium, ut Psalm. 50. vers. 19. *Sacri-*  
*ficium Deo spiritus contributatus.* Et Psalm. 4. vers. 6. *Sati-*  
*ficate Sacrificium iustitiae*, id est, reddite cuique quod suum  
est. Et Hebreor. 13. vers. 16. *Beneficentia & communionis*  
*nolite obliuisci; talibus enim Hostias promeretur Deus,* id est,  
placatur.

Respond. Nomen Sacrificij sumitur in Scriptura dupli-  
citer. *Primo*, largè pro omni opere bono, quod instar Sacri-  
ficij Deum placat & conciliat, ut in locis iam citatis. *Se-*  
*condo*, propriè pro externo cultu, qui Deo tanquam rerum  
omnium principio exhibetur: & sic de eo hic disputamus.  
Vide Chrys. in Psal. 95. vbi enumerat decem genera Sacri-  
ficiorum in priore significatione. *Primo*, *Sacrificium Marty-*  
*tij. Secundo*, *Deprecationis. Tertio*, *Iubilationis. Quarto*, *Iusti-*  
*tij. Quinto*, *Eleemosinæ. Sexto*, *Laudis. Septimo*, *Compunctionis.*  
*Octavo*, *Humilitatis. Nono*, *Prædicationis. Decimo*, *Benefi-*  
*centia in sanctos.*

3. Secunda Conclusio: Nec omne opus bonum quod fit  
ad honorem Dei est Sacrificium. Contra Melanchthonem.  
Probatur *primo*, quia Sacrificium debet præ se ferre cultum  
Dei externum, ut ex communi omnium gentium consen-  
su dictum est. At multa bona opera possunt fieri ad hono-  
rem Dei sine cultu Dei. *Secundo*, quia multi faciunt opera  
ad honorem Dei, qui non sunt sacerdotes. *Tertio*, quia uni-  
cum est tantum Sacrificium propriè dictum in Ecclesia  
Christi,

Christi, secundum August. lib. 8. ciuit. cap. vlt. Et lib. 1. contra aduersarium Legis & Prophetarum, cap. 20. At bona opera ad honorem Dei facta sunt multa.

Dices: Augustinus contrarium docet 10. ciuit. 6. ita dicens: *Sacrificium verum est omne opus bonum, quod agitur ut sancta societas inhæretur Deo; relatum scilicet ad illum finem boni, quo veraciter beatis esse possimus.* Respondeo. Augustinus accipit nomen Sacrificij late pro omni opere quo assequimur finem, seu effectum Sacrificij, qui est adhærere & placere Deo. Vocat autem tale opus Sacrificium verum ratione dignitatis & effectus, non ratione formæ & essentiae Sacrificij propriè dicti. Hanc esse mentem illius patet ex capite præcedente. Neque nouus & inusitatus est hic modus loquendi. Nam sèpè dicitur aliquid verè tale, quod tamen propriè tale non est; sic Christus dicitur vera virtus: & Tyrannus dicitur verus Leo; & abstinere à peccatis dicitur verum ieiunium.

**4 Tertia Conclusio:** Nec omnis oblatio Deo facta est proprie sacrificium. Contra Caluinum. Probatur primo, quia scriptura sèpè distinguit oblationes à Sacrificiis. Psalm. 50. *Tunc acceptabis Sacrificium iustitiae, oblationes & holocausta.* Secundo, quia in scripturis multa dicuntur offerri, quæ non tamen rectè dicuntur Sacrificari: vt primogeniti, primitiæ variarum frugum, aurum, argentum, lapides preciosi, byssus, &c. Vide Exod. 25. & 35.

**Tertio**, quia ad Sacrificium requiritur aliqua rei mutatio, vt post dicam, non autem ad omnem oblationem. **Quarto**, quia quiuis potest facere oblationes: non autem quiuis potest sacrificare, sed soli Sacerdotes.

**5 Quarta Conclusio:** Ad Sacrificium perfectum proprie que dictum quinque requiruntur, vt colligitur ex scripturis. *Primum*, ex parte Ministri. *Secundum*, ex parte materie. *Tertium*, ex parte formæ. *Quartum*, ex parte finis. *Quintum*, ex parte loci. Hæc breuiter explicanda sunt, & ex iis colligetur vera definitio proprij Sacrificij.

**6 Primo**, ex parte Ministri requiritur, vt sit Sacerdos. Nam Sacrificium & Sacerdotium ita connexa sunt, vt separari non possint. Colligitur ex Hebr. 5. vers. 1. *Omnis Pontifex (Sacerdos) ex hominibus assunptus pro hominibus constituitur*

*in his, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & Sacrificia.* Et infra vers. 4. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.*

Hinc Ozias Rex, cùm non esse Sacerdos, & tamen Sacrificium offerre vellet, à Deo punitus est, quod Sacerdotis officium usurparet, 2. *Paralipom.* 26. vers. 18. Et Saul ob eandem causam à Deo rejectus est & regno priuatus, 1. *Reg.* 13. vers. 13. Idem confirmatur ex nominum affinitate. Nam apud Latinos sacrificius & sacerdos idem valent; & apud Græcos *ἱερέας* sacrificare, dicitur ab *ἱερός*, quod sacerdotem significat. Ratio est, quia, cùm Sacrificium sit præstantissimus cultus externus, quo Deus ab hominibus collitur, æquum est, vt non passim à quois offeratur, sed à personis selectis & ad hoc peculiariter deputatis. Vnde apud omnes gentes semper fuere aliqui peculiariter deputati, qui publico sacrificio Deum placarent & colerent. Similiter in veteri Testamento nulla sacrificia, nisi à Sacerdotibus offerebantur. Vide Augustin. *epist. 49. quæst. 3.* Et *lib. 8. Ciuit. cap. vlt.* Et *lib. 22. cap. 10.* vbi semper coniungit hæc duo Sacrificium & Sacerdotium tanquam inseparabilia.

Dices primo, in Lege naturæ non fuere Sacerdotes, cùm tamen fuerint sacrificia. Ergo hæc duo non semper sunt conñexa. Répondeo, fuerunt etiam tunc Sacerdotes. Et, qui fuerint, dubium est. Multi putant fuisse primogenitos, vt D. Thomas in 1. 2. *quæst. 103. art. 1. ad 3.* Eucherius, Glossa, & Lippomanus in illud *Genes. 25. v. 31. Vende mihi primogenitura tua.* Pererius tom. 2. in *Genesin, cap. ultimo.* Et D. Hieronymus in *questionib. Hebraicis*, vbi agens de Melchisedech, dicit esse traditionem Hebræorum omnes primogenitos à Noë usque ad Aaron fuisse Sacerdotes. Addit Pererius *loco citato*, habuisse etiam autotitatem quasi regiam, & multas alias prærogatiuas.

Alij putant, quemuis patremfamilias in sua domo fuisse Sacerdotem, quod etiam est valde verisimile, quia illi optimè congruebat pro tota familia offerre. Sic Iob pro liberis suis sacrificabat, eosque sanctificabat, vt habetur *cap. 1. libri Iob.* Adde, quosdam tunc etiam peculiari instinctu Dei fuisse ad sacrificandum impulsos: vt Abel, Abraham, Iacob, & similes,

similes, qui hoc ipso fuere constituti Sacerdotes, quo potestatem sacrificandi accipere.

Dices secundo, In lege veteri Agnus Paschalis à singulis familiis immolabatur, ut patet *Exod.* 12. v.3. & tamen in singulis familiis non erant Sacerdotes propriè dicti, sed tantum in tribu Leui. Respondeo. Singuli Patres familias erant Sacerdotes respectu huins sacrificij: licet non respetu aliorum. Ratio est, quia sacrificium Agni Paschalis institutum fuit ante legem veterem: ac proinde ante illius legis Sacerdotium. Vnde in eo offerendo seruata fuit cōsuetudo quæ erat tempore legis naturæ: nempe, ut à singulis familiarum capitibus offerretur. Reliqua autem sacrificia, quæ in ipsa lege veteri fuerunt instituta, non poterant offerri nisi à Sacerdotibus in eadem lege consecratis.

7 Secundo, ex parte materiæ requiritur, ut sit aliqua res sensibilis externa, viua vel inanima, quæ offeratur: quia sacrificium non potest in sola actione consistere. Colligitur ex scripturis. *Gen. 22. v.7.* Ecce ignis & ligna, vbi est victimæ holocausti? Et *Hebr. 8. vers. 3.* Omnis Pontifex ad offerendum munera & Hostias constituitur: vnde necesse est & hunc habere aliquid quod offerat. Vbi Apostolus probat ex communi ratione sacrificiorum non potuisse Christum dici verè Pontificem, nisi habuisset victimam quam offerret.

8 Tertio, ex parte formæ requiritur, ut res illa sensibilis, quæ in sacrificio offertur, perimitur aut mutetur, ut patet ex sacrificiis legis naturæ & veteris, quæ non siebant sola oblatione, aut eleuatione ad altare, sed rei destrunctione facta ad honorem ipsius Dei. Quædam enim per occasionem sacrificabantur, ut viuentia: quædam per combustionem, ut carnes animalium occisorum, & res inanimæ solidæ, ut simila & thus; quædam per effusionem, ut sanguis, vinum, aqua. Vide *cap. 1. & 2. Levit.*

Ratio duplex est. Una, ob significationem mortis Christi. Omnia enim sacrificia erant quædam figuræ cruentis sacrificij crucis: altera, quia sacrificium est summa protestatio subiectionis nostræ ad Deum. Et ideo requirit, ut non solum usus rei Deo offeratur, sed ipsa etiam substantia, quod sit per consumptionem aut mutationem.

Dices *primo*, in sacrificio panis & vini, quod obtulit Melchisedech, non legitur facta illa consumptio vel mutatione. Respondeo. Etsi scriptura non explicet quomodo obtulerit, non tamen dubium est, quin eo modo id fecerit, quo aliæ res inanimæ sacrificari solent; nempe sistendo totum in altari coram Deo. Deinde aliquam partem igne consumendo vel libando. Fruges enim in sacrificiis torreri, vel incendi solent, & liquida effundi. Nec opus erat totum consumi ( nisi quando erat holocaustum ) sed particulam aliquam, reliquis referuatis Sacerdoti & aliis, qui sacrificij debebant esse participes, ut fieri solebat in Hostiis pacificis.

Dices *secundo*: In sacrificio Missæ non fit mutatio, aut peremptio rei oblatæ. Respondeo. De hac re infra dicendum est *quæst. 5.* Sunt enim duæ mutationes in sacrificio Missæ, de quibus disputari solet, vtra sufficiat ad rationem sacrificij. Una est conuersio panis & vini in carnem & sanguinem Christi: altera est sumptio à Sacerdote facta, qua Eucharistia quasi consumitur. Aliqui putant priorem sufficere, alij negant, ut *loco citato* videbimus.

Dices *tertio*: Christus in cruce obtulit seipsum Deo Patri, & tamen non occidit, aut mutauit seipsum. Ergo ad rationem sacrificij non requiritur peremptio, aut mutatio rei oblatæ à Sacerdote facta. Respondeo. Licet physicè non occiderit seipsum: tamen fuit verè causa voluntaria totius Passionis & mortis sue, quatenus se liberè obtulit interfectoribus, à quibus mors illata est. Sicut enim Sacerdos, qui admouet thus igni, dicitur causa suffitus, quem ignis naturaliter causat: ita etiam Christus, qui corpus suum obiecit tormentis, dicitur causa vulnerum, quæ per tormenta sunt illata. Hæc ratio causandi omnino sufficiens ad rationem sacrificij, si alia adsint, ut patet in Holocaustis.

Dices: Ergo passiones Martyrum sunt vera sacrificia. Respondeo. Non sequitur; quia non offeruntur à veris Sacerdotibus pro expiatione peccatorum, sicut Christus seipsum obtulit.

*9.* Quarto, ex parte finis requiritur, ut explicitè, vel implicitè referatur ad honorem Dei. Si alio fine fiat, non erit sacrificium. Ratio, quia sacrificium est signum quoddam sensibile-

sensibile & externum, quo significamus internam nostram existimationem de excellentia diuina ; & affectum seruitutis & subiectionis erga Deum. Si ergo hæc æstimatio & affectus desit, non erit tale signum ; ac proinde nec erit sacrificium.

10 *Quinto*, ex parte loci requiritur, vt locus sit huic muneri dedicatus , cuiusmodi est altare. Hoc constat primo, ex vñ omnium gentium. Secundo, ex scripturis, vbi altaria non leguntur erecta , nisi ad vsum sacrificij , vel certè ad significationem illius , quod addo propter altare filiorum Ruben & Gad, *Iosue 22. vers. 26.* quod erectum fuit ad sacrificium, non quidem, vt in illo offerretur, sed vt per illud posteritati significarent se habere ius offerendi sacrificij cum reliquis tribubus , quæ transierant Iordanem.

Dixi hæc quinque requiri ad sacrificium perfectum & propriè dictum , prout scriptura de eo loquitur , quia ad imperfectum quendam sacrificij modum non videntur hæc omnia necessaria.

11 *Quinta Conclusio* : Ex dictis colligi potest hæc definitio : *sacrificium est oblatio rei sensibilis à legitimo ministro, soli Deo facta per realem mutationem, ad testandum supremum illius Dominium, & nostram subiectionem.* Primo , dicitur *oblatio*, quia oblatio est genus sacrificij , secundum D. Thomam 2.2. quæst. 85. articulo 3. ad 3. quamuis hoc nomen aliquando strictè accipiatur pro oblatione , quæ solùm est oblatio & non sacrificium. Secundo , dicitur *rei sensibilis*, vt excludatur interna oblatio, qua quis seipsum & sua omnia Deo subiicit & offert: quæ non est propriè sacrificium: tametsi perfectiore modo præstet fructum sacrificij , quam externa oblatio , vt supra dixi. Tertio dicitur à legitimo Ministro, quia non quiuis potest offerre sacrificium, sed qui ad id deputati sunt , quales in lege naturæ erant primogeniti , in Mosaica soli filij Aaron : in lege Euangelica soli Episcopi & Presbyteri. Quarto , soli Deo facta , quia sacrificium propriè pertinet ad cultum latriæ, qui soli Deo exhiberi potest. Quinto dicitur per realem mutationem , vt distinguatur à simplici oblatione. Sexto dicitur , ad testandum supremum , &c. quia hic est generalis finis omnium sacrificiorum. Sunt enim quasi tributa quæ Deo redunduntur

QVÆSTIO III.

*Quotuplex sit Sacrificium?*

- 1 **S**Olet diuidi quatuor modis, iuxta quatuor causarum genera. *Primo*, ratione originis, seu causæ efficientis. *Secundo*, ratione materiæ. *Tertio*, ratione formæ & finis simul. *Quarto*, ratione finis tantum.
- 2 Prima Conclusio: Ratione originis, seu causæ efficientis diuiditur in sacrificium legis Naturæ, Mosaicæ & Evangelicæ. Quæ tamen diuisio videtur potius intelligenda ratione status seu temporis, quam causæ efficientis. Nam sacrificium Agni Paschalis institutum fuit in statu legis naturæ ante legem Mosaiicam, & tamen non habuit ortum ex instinctu naturæ, sed ex Dei ordinatione.
- 3 Secunda Conclusio: Ratione materiæ diuiditur in Viëtimam seu Hostiam, immolationem & libamen. Est enim triplex materia sacrificij. Vel enim offertur aliquod animal, & vocatur Viëtima seu Hostia. Vel offertur res inanima solida, & dicitur immolatio. Vel liquida, & tunc est libamen. Et quidem in lege veteri non offerebantur nisi hæc animalia: Ovis, capra, hœdus, bos, vitulus, columba, paffer, turtur. Res autem inanimæ solidæ erant: Panis, similia, sal, thus, manipulus spicarum virentium, & triticum, ut patet *Leuit. 2. & 6.* Hæc leuabat Sacerdos in altum & variè immutabat, in qua immutatione consistebat ratio sacrificij. Nam panis in frusta scindebatur: simila sartagine, clibano, vel craticula cremabatur: sal vrebatur: thus adolebatur: manipulus spicarum torrebat: triticum conterebat. Liquidæ res erant, sanguis, vinum, oleum, aqua. Hæc effusione offerebantur.
- 4 Tertia Conclusio: Ratione formæ & finis diuiditur in Holocaustum, sacrificium aut Hostiam pro peccato, & Hostiam pacificam. Holocaustum erat sacrificium perfectissimum, quia in eo tota res in fumum resoluta fumum ad Deum ascendebat, ita ut nihil inde cederet in usum humananum. Vnde perfectissime per hoc significabatur omnia esse

esse ipsius Dei, & ad eius honorem referenda esse. Quare potissimum ad hunc finem institutum erat hoc sacrificium, licet interdum etiam fieret ob peccatum populi & Sacerdotium, vt *Leuit. 1.*

Sacrificium pro peccato partim cremabatur, partim cedebat in usum Sacerdotum, qui in atrio templi ex eo vescabantur. Solebat enim offerri non pro peccatis internis, sed pro quibusdam externis, vt pro peccatis commissis per ignorantiam circa ceremonias, vt patet *Leuit. 4. & 5.* Item pro peccato furti, periurij & calumniæ, vt patet *Leuit. 6. & 7.*

Hostia pacifica partim cremabatur, partim edebatur tum à Sacerdotibus, tum ab iis qui obtulerant. Solet offerri, vel in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis, & tunc eodem die comedî debebat: vel ad noua beneficia impetranda; & tunc differri poterat eius consumptio in diem posterum, non tamen ulterius.

5 Quarta Conclusio: Ratione finis diuiditur in sacrificium Latreuticum, Eucharisticum, Impetratorium & Propitiatorium, quæ diuisio parum dissert à priori. Latreuticum dicitur, quod solum fit ad Deum colendum, testando eius Principatum, & nostram seruitutem. Hoc potissimum fit Holocausto. Eucharisticum fit in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis: Impetratorium pro accipiens. Vtrumque dicebatur in lege veteri Hostia pacifica. Propitiatorium offertur pro peccatis, & pro peccatorum poenis ac flagellis auertendis. Hoc idem est, quod Hostia pro peccato.

6 Circa has diuisiones duo notanda sunt ex D. Thom. in 1.2. quest. 102. art. 3. ad 8. & 10. *Vnum est, quod si conferamus sacrificia Mosaica inter se ratione præstantiae, pri-*  
*mum locum obtineat Holocaustum: secundum Hostia pro*  
*peccato; tertium Hostia pacifica pro beneficio accepto:*  
*quartum Hostia pacifica pro beneficio accipiendo. Ratio*  
*est, quia præcipue obligamur honorare Deum propter in-*  
*finitam eius Majestatem. Secundo, propter offendam in*  
*ipsum commissam. Tertio, propter acceptum beneficium.*  
*Quarto, ob sperata.*

*Alterum est, quod Holocaustum significet statum homi-*  
*num*

462 CAP. XXV. DE SACRAMENTIS  
num perfectorum, qui se totos Dei obsequio consecra-  
runt: Hostia pacifica statum proficientium, qui partim  
Deo gratias agunt pro accepta iustificatione: partim pe-  
tunt ab eo perseverantiam in acquisita iustitia: Hostia pro  
peccato statum incipientium, seu poenitentium, qui quer-  
runt à Deo veniam peccatorum.

#### Q V A E S T I O I V .

*An Missa sit propriè Sacrificium?*

1. **L**utherani & Calvinistæ negant esse tale sacrificium,  
quale suprà descripsimus. Ratio præcipua eorum est,  
quia in tota actione cœnæ nihil est quod Deo offeramus  
præter orationes. Non enim Encharistiam Deo offerimus,  
sed potius offertur illa nobis à Deo in testimonium pro-  
missionis. Vide Lutherum in formula Missæ pro Ecclesia  
Vvietemb. vbi admittit omnia, quæ fiunt in Missa usque ad  
Euangelium & Symbolum inclusiæ: non tamen admittit  
oblationem Hostiæ quæ fit ante consecrationem. Vnde in-  
ter cætera sic ait: *Proinde omnibus illis repudiatis, quæ obla-  
tionem sonant cum uniuerso Canone, retinecamus quæ pura &  
sancta sunt.* Vide eund. Luth. de Missa priuata & uincione  
Sacerdotum, vbi fatetur se à diabolo doctum & persuasum  
esse, quod Missa sit summa abominatio: idque non per  
sonnum & quietem, sed palam dum vigilaret.

2. Prima Conclusio: In veteri Testamento prædictum est  
fore aliquod verum, & propriè dictum sacrificium in lege  
Gratiæ, seu in Ecclesia Christi. Ita D. August. Epist. 49. q. 3. vñ  
ait: *Nostrum sacrificium non solum Euangelicis, sed etiam Pro-  
phetis libris demonstratum est.* Solent autem sex Vaticinia  
Prophetarum ad hoc probandum adduci.

3. Primum habetur 1. Reg. 2. v. 37. & seqq. usque ad finem ca-  
pitis, vbi quidam Propheta prædicit Heli Sacerdoti fore  
aliquando tempus, quo cesset Sacerdotium ipsius, & Pa-  
trum suorum, & surgat nouus Sacerdos, qui ambulet co-  
ram Christo Dei omnibus diebus. Quem locum multi Pa-  
tres exponunt de Sacerdotio & sacrificio Christianorum,  
quod succedit Aaronico, & manebit usque ad mundi con-  
summationem. Sic Cyprian. lib. 1. contra Iud. c. 17. Aug. lib. 17.  
Quæst.

*Ciuit. cap. 5. integro. Euseb. lib. 1. de demonst. Euang. cap. 26. Gregorius, Beda & Encherius in Comment. super hunc locum.*

Dices : Illud Vaticinium impletum est in Samuele , vel in Sadoch. Nam Samuel successit Heli. Et deinde Salomon elecit Abiathar, qui descendebat de familia Heli, & constituit pro eo Sadoch. Et addit scriptura 3. Reg. 2. v. 27. id factum esse ut impleretur sermo Domini quem locutus est super domum Heli in Siloh.

Respondet S. August. loc. cit. Vaticinium illud impletum esse in Samuele & Sadoch, quatenus illi gerebant figuram Sacerdotum Christianorum. Itaque electione Heli fuit figura electionis Sacerdotij Aaronici : & sumptio Samuelis & Sadoch , fuit figura Assumptionis Sacerdotij Christiani. Hoc probat idem sanctus Doctor ex eo , quia scriptura, cum dicit eiiciendum Heli cum Patribus suis , aperte loquitur de Aarone, quia nominat eum, quod primus ab exitu de Aegypto constitutus est à Deo Sacerdos.

4 Secundum Vaticinium habetur Prou. 9. v. 1. ita : *Sapientia edificauit sibi domum : excidit columnas septem : immolauit victimas suas : miscuit vinum & proposuit mensam suam.* Hunc locum exponunt Patres de sacrificio Ecclesiae , præfertim S. August. lib. 17. Ciuit. Dei, cap. 20. Et Cypr. lib. 2. Epist. 3. vbi sic ait : *Per Salomonem Spiritus sanctus typum Dominicū sacrificij premonstrat, immolatæ Hostiæ, & panis & vini, sed & altaris & Apostolorum faciens mentionem.*

5 Tertium Vaticinium habetur Isa. 19. v. 21. his verbis : *Eis cognoscent Aegyptij Dominum in die illa : & colent illum in Hostiis & muneribus : & vota vovebunt Domino & soluent.* Ex hoc loco probant Euseb. lib. 1. demonst. Euang. cap. 6. Et D. Hieron. in locum cit. Legem Mosaicam esse translatam, quia Sacerdotium est translatum , cum apud Aegyptios, id est , apud Gentiles verò Deo offerantur sacrificia.

Resp. Caluin. 4. Inst. 18. §. 4. Isaiam loqui de sacrificiis spiritualibus , quæ ab omnibus Christianis offeruntur : sed facile refellitur , quia Isaias in eodem capite meminit altaris Domini in loco visibili constituti. Sic enim loquitur vers. 19. *In die ilba erit altare Domini in medio terre Aegypti.* At visibile altare non requiritur ad sacrificia spiritualia.

6 Quartum Vaticinium habetur Isa. 26. v. 21. ita : *Et assumam*

*ex iis Sacerdotes & Leuitas dicit Dominus, quia sicut cœli no-  
ui, & terra noua, &c. & Ierem. 33. v. 17. dicitur: non interibit  
de Dauid, qui sedeat super thronum domus Israël: & de Sa-  
cerdotibus & Leuitis non interibit vir à facie mea, qui offerat  
Holocausta, & incendat sacrificium, & cedat victimas  
omnibus diebus.*

Hæc duo loca intelliguntur de Sacerdotibus Christi, qui perpetuò permanebunt usque ad mundi consumma-  
tionem secundùm D. Hieronymum in Esaia, & Theodo-  
r. in Ieremiam. Nam uterque Propheta apertissime lo-  
quitur de conuersione gentium, & ædificatione Ecclesiæ  
Christi. Quod etiam fatetur Kemn. in 2. part. Exam. Trident.  
Concilij.

Dupliciter tamen respondebit idem Kemnitius. Primo, ista  
Vaticinia impleta esse in ipso Christo, qui fuit verus Sa-  
cerdos & successit Sacerdotibus V. Tertii. Secundo, adhuc  
impleri in omnibus Christianis, qui sunt spirituales Sa-  
cerdotes. Sed neutra responsio valet. Non prior, quia illa  
Vaticinia disertè loquuntur in numero plurali de Sacer-  
dotibus. Ergo non possunt intelligi de solo Christo. Nec  
posterior, quia uterque Propheta distinguit Sacerdotes à  
reliquo populo. Ergo per Sacerdotes non intelligit om-  
nes Christianos.

Quintum Vaticinium est Dan. 8. v. 12. Et Dan. 12. v. 11. ubi  
quidam Rex dicitur abluturus iuge sacrificium. Porro Rex  
ille secundùm litteram est Antiochus, & per allegoriam  
est Antichristus, ut fatetur Kemnit. & alij aduersarij. Sicut  
ergo Antiochus abstulit iuge sacrificium Iudeorum: ita  
Antichristus auferet iuge sacrificium Christianorum. Et  
sicut Antiochus fuit figura Antichristi: sic iuge sacrificium  
Iudeorum fuit figura iugis sacrificij Christianorum.

Kemnitius dupliciter Resp. Primo, ex allegoriis non du-  
ci solidum argumentum. Secundo, per iuge sacrificium Chris-  
tianorum intelligi posse spirituale, ut prædicatione Euangelijs,  
& Sacramentorum administrationem. Sed neutrum  
satisfacit. Non prius, quia quædam allegoriæ explicantur  
ab ipsa Scriptura, quædam non explicantur. Quando ex-  
plicantur à Scriptura, tunc solidissimum argumentum ex  
iis duci potest non minus quam ex sensu litterali. Hæc  
autem

autem nostra allegoria explicatur à scriptura , quia quemcumque Daniel scribit de Antiocho , perfectissimè conueniunt Antichristo, Ioan. *Apocal. c.13.* & Paul. *2. Thess. 2.* Imò ipse Daniel *c.11. v.36.* dicit Regem istum, qui auferet iuge sacrificium, contra omnes Deos pugnaturum, neque Deum Patrum suorum reputaturum. Hoc enim de Antiocho non potest intelligi, quem constat palam coluisse deos Patrum suorum, vt D. Hieron. in *comm.* ostendit. Optimè autem potest intelligi de Antichristo , qui extolleat se super omne quod dicitur Deus, vt habetur *2. Thess. 2. v.4.*

Nec posterius sufficit, quia inge sacrificium Iudeorum, de quo secundùm literam loquitur Daniel , fuit sacrificium propriè dictum , id est , duo Agni , qui offerebantur quotidie in Holocaustum, unus manè, alter vesperi, *Exod. 29. v.38.* & *Num. cap. 28. v.3.* Cùm ergo illud sacrificium fuerit typus nostri sacrificij , necesse est nostrum quoque sacrificium esse propriè dictum.

*Sextum & præcipuum Vaticinium est illud Malach. i. v.7.*  
*Offertis super altare meum panem pollutum , & dicitis : in quo polluimus te ? In eo quod dicitis mensa Domini despœta est. Si offeratis cæcum ( animal ) ad immolandum, nonne malum est ? Et si offeratis claudum & languidum, nonne malum est ? Et infra v.10. Non est mibi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum , & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est Nomen meum in Gentibus : & in omni loco sacrificatur & offertur Nomini meo oblatio munda, quia magnum est Nomen meum in Gentibus, dicit Dominus exercituum.*

Hoc loco Malachias agit contra Sacerdotes Iudeorum, & duo prædictit. *Primo*, illorum sacrificia esse abroganda. *Secundo* successorum nouum sacrificium Christianorum. In priori continetur reiectione , seu reprobatio Iudeorum. In posteriori continetur elecção, seu vocatio Gentium.

Verba Malachiæ sic explicanda sunt : *Offertis super altare meum panem pollutum, id est, in sacrificiis vestris offertis panem, qui non est factus & paratus secundùm præscriptum legis, Leu. 6. & 7. Et dicitis, in quo polluimus te ? id est, polluitis, seu contemnitis me offerendo panem pollutum contra legis præscriptum ; & tamen, quasi nihil mali agatis, quæ-*

ritis in quo me pollueritis? In eo quod dicitis mensa Domini despecta est, id est, in eo polluitis me, quia dicitis non esse magni momenti, etiam si panes qui offeruntur in altari, non sint facti secundum legem. Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum est? id est, an non polluitis & contemnitis me, quando vilissima, quæque ex animalibus offeritis mihi, cum tamen prohibuerim vobis ne cæca, clauda & languida mihi offerretis? Leuit. 22. vers. 22. Non est mili voluntas in vobis, & munus non suscipiam de manu vestra, id est, sacrificia vestra, quæ hoc modo contra legem offeritis, mihi non placent. Ab ortu solis, &c. id est, Christiani, qui ex Gentibus ad fidem conuertentur, maiore Religione co-  
lent Nomen meum in orbe terrarum, quam vos hactenus feceritis in Iudæa. Et in omni loco sacrificatur, &c. id est, ubique mihi à Christianis offeretur non pollutum sacrificium, quale vos offertis, sed mundum.

9 Hactenus verba Malachiæ. Sed nunc quæstio est, quid intelligat per sacrificium, seu oblationem mundam quam Christiani offerunt Deo? Caluinus 4. Institit. 18. §. 4. Melanchc. in Apol. Conf. Aug. Kemnitius in 2. part. Exam. Plessæus lib. 3. de Euch. cap. 2. interpretantur de sacrificio spirituali & impropriè dicto, cuiusmodi est oratio, gratiarum actio, & alia bona opera, Catholici econtrariò de sacrificio visibili & propriè dicto, quod aiunt esse sacrificium Missæ, seu oblationem Corporis & sanguinis Christi.

Probatur primo, quia Malachias dicit oblationem Ecclesiæ, seu Christianorum fore mundam. Ergo secundum aduersarios non intelligit bona opera Christianorum, quia ipsi docent omnia bona opera nostra esse immunda & peccata mortalia. Secundo probatur ex propriis, quia Malachias opponit mundam oblationem Ecclesiæ, pollutis Iudæorum sacrificiis. Vel ergo opponit illa ex parte offerentium, vel ex parte rei oblatæ. Non ex parte offerentium, quia sicut Sacerdotes in veteri lege poterant esse mali; sic etiam in noua possunt esse mali. Ergo ex parte offerentium non potest esse differentia seu oppositio. E. debet esse ex parte rei oblatæ; quia scilicet panes & animalia quæ offerebantur in veteri lege, erant obnoxia pollutioni. Id autem quod offeratur in noua lege, non est obnoxium pollutioni. Hoc autem non

non potest esse aliud, quam Corpus & sanguis Christi, quia reliqua omnia quæ offerri possunt à Christianis, sunt obnoxia pollutioni. Sensus ergo Malachia est, sacrificia Iudeorum ideo abroganda esse, quia possunt vitiari, & pollui ex parte rei oblatæ; successorum autem aliud sacrificium, quod ex parte rei oblatæ semper erit mundum & Deo acceptum. Hinc tertio probatur, quia oblatio Ecclesiæ non solum est munda, sed etiam noua: neque solum opponitur sacrificio Mosaico, sed in locum eius succedit. At bona opera non succedunt in locum sacrificij Mosaici, quia fuere ab initio mundi. Ergo bona opera non sunt oblatio munda, de qua dicit Malachias.

Respondet Leonard. Hutterus *in triumpho contra Bellarm.* p. 211. per oblationem mundam non intelligi omnia bona opera, quæ faciunt Christiani, sed prædicationem Euangelij, quæ dicitur noua, non simpliciter sed comparatè, quia videlicet clarior & illustrior est in noua lege, quam in veteri.

Sed hic auctor sibi repugnat. Nam paulò post pag. 214. expressè docet omnes pios ac fideles N. Test. offerre Deo sacrificium mundum, de quo loquitur Malachias. Constat autem non omnes prædicare Euangeliū. Ergo de prædicatione Euangeliū non loquitur Malachias. Deinde repugnat aliis Lutheranis & Caluinistis, qui non solam prædicationem Euangeliū; sed omnia alia bona opera volunt intelligi.

*Quarto* probatur, quia sicut Malachias dicit sacrificium Iudeorum fuisse pollutum, & sacrificium Ecclesiæ fore mundum: Sic etiam dicit, Nomen Dei per sacrificium Iudeorum fuisse contemptum & despectum, & per sacrificium Ecclesiæ glorificandum. At contemptum fuit in publico, & visibili sacrificio. Ergo etiam gloriificari debet in publico, & visibili sacrificio. Hoc autem non fit per bona opera quæ sèpè sunt spiritualia & occulta.

Resp. Hutterus p. 212. hoc fieri per prædicationem Verbi non solum ex parte prædicantium, sed etiam ex parte audiendum, quia sicut illi docendo, sic hi credendo Nomen Dei gloriificant. Et hoc sensu ait omnes Christianos esse Sacerdotes. Sed contrà; quia actus credendi est internus.

Ergo per eum publicè non glorificatur nomen Dei. Externa autem professio fidei quæ publicè fieri solet, non minùs est obnoxia pollutioni, quam sacrificia Iudæorum, quia sèpè fit ex hypocrisi. Ergo non potest vocari oblatio munda, prout opponitur sacrificiis Iudæorum.

*Quinto probatur, quia sacrificium Christianorum non offertur ab omnibus, sed à solis Sacerdotibus, qui ex reliquo populo electi & segregati sunt, iuxta illud Ef.66. v.21. Assumam ex iis Sacerdotes. Et Hebr.5.v.4. Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Ergo sacrificium Christianorum non consistit in bonis operibus, quæ ab omnibus offerri possunt. Sexto probatur ex Patribus explicantibus locum Malachie de sacrificio Missæ, Iren. lib.4. c.32. Chrys. Ps.95. Euseb. lib.1. Dem. Euang. c. vlt. Aug. lib.1. contra aduersarium legis & Prophet. c.20. Damasc. lib. 4. c. 14. Et Iust. Mart. in dialogo cum Triphone contra Iudeos; vbi eos sic alloquitur: *De nostris Gentium, quæ in omni loco offeruntur sacrificii, hoc est, pane Eucharistie, & poculo similiter Eucharistie, iam tum locutus Malachias prædixit nos quidem glorificare Nomen, vos autem profanare.**

10 Secunda Conclusio. Non solum Prophetæ in V. Test. sed etiam Christus in Evangelio, prædixit fore aliquod verum & propriè dictum sacrificium in Ecclesia, vt patet ex illo Ioan.4. v.21. *Mulier crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque Hierosolymis adorabitis Patrem. Et v. 23. Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & Veritate.*

Hoc loco videtur Christus allusisse ad Vaticinium Malachiae, & notauit Euseb. lib.1. demonst. Euang. Theodoretus & Rupertus in comm. Mal. Sed, quicquid de hoc sit, constat eum loqui non de quacumque adoratione, sed de solemnis, & publica per sacrificium propriè dictum: vt benè aduerit Maldonatus h̄c.

11 Antequam hoc probem notandum visitatum esse in scripturis, vt per Adorationem intelligatur sacrificium. Et patet Ioan.12. v.20. *Erant quidam Gentiles ex his, qui ascenderant, ut adorarent in die festo. Et Act. 8. v.27. Eunuchus venerat adorare in Hierusalem. In his locis adorare est idem quod sacrificare. Ideo enim ex remotis regionibus veniebant homines*

homines in Hierusalem, quia non licebat alio loco sacrificium offerre. Adoratio autem simplex, sicut etiam preces, poterant ubique fieri. Idem patet ex verbis Abraham, qui cum iussus esset sacrificare filium suum, & iam instrutus gladio & igne ad sacrificandum procederet, dixit famulis Gen.22.v.5. *Expectate hic cum asino: Ego autem & puer illuc usque properantes, postquam adorauerimus, reuertemur ad vos.* Vbi etiam adorare est idem quod sacrificare, quia loquitur de adoratione illi a Deo imperata. Deus autem imperauerat illi sacrificium propriè dictum.

Nunc, quod Christus eodem modo loquatur de publica adoratione per sacrificium, probatur ex scopo totius sermonis. Mulier Samaritana proposuerat Christo quæstionem de Schismate Iudæorum & Samaritanorum. ita: *Domine, video quia Propheta es tu: Patres nostri in mōte hoc adorauerunt. Et vos dicitis, quia Hierosolymis est locus ubi adorare oportet.*

Hæc mulieris quæstio necessariò intelligenda est de adoratione per sacrificium, quia, ut scribit Ioseph. lib. 11. Antiq. c. 7. & 8. Schisma Iudæorum & Samaritanorum inde natum est, quod Samaritani ( post captiuitatem Babyloniam ) ædificauerint templum in monte Garizim propè urbem Sichimorum, & ibi sacrificandum esse contendent: Iudæi autem contra dicebant in solo templo Hierosolymitano legitimè sacrificari posse. Hanc ergo quæstionem, quæ tunc vigebat, Samaritana proposuit Christo, tanquam Prophetæ.

Secundo idem probatur ex verbis Samaritanæ, quia loquitur de adoratione certo loco alligata, & quæ alibi legitimè fieri non poterat. *Vos, inquit, dicitis, quia Hierosolymis est locus ubi adorare oportet.* At nunquam dixerunt Iudæi adorationem oportere fieri Hierosolymis nisi ratione sacrificij, quia simplex adoratio ubique erat licita. Ergo Samaritana loquitur de adoratione per sacrificium. Hinc sequitur Christum etiam respondisse de tali adoratione, cum dixit: *Venit hora, quando neque in monte hoc, neque Hierosolymis, sed in omni loco offeretur Deo sacrificium.* Et hoc est quod prædictus Malach. *In omni loco offeretur Nomi meo oblatio munda,*

Tertio probatur, quia cum Christus dicit: *Venit hora, & nunc est*; manifestè significat se loqui de adoratione noua, quæ antea non erat, & quæ ab ipso haberet initium. E. non loquitur de adoratione simplici, aut de precibus & adorationibus quæ semper fuere in vsu: sed de adoratione per sacrificium ab ipso instituendum.

Dices: Christus videtur loqui de interna, & spirituali adoratione, vt patet ex his: *Veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & Veritate*. Resp. illa verba optimè explicantur de adoratione externa per sacrificium, hoc modo: *Veri adoratores*, id est, qui verum Deum legitimè colent, nempe Christiani, &c. *adorabunt Patrem*, id est, Deo sacrificabunt. *In Spiritu & Veritate*, id est, sacrificio spirituali & vero, non carnali & typico, vt Iudæi faciebant.

12 Vbi nota spiritum opponi carni, & veritatem figuræ. Iudæi adorabant Deum in carne & figura, quia eorum sacrificia erant carnalia, quatenus consistebant in mactatione carnis animalium: & simul erant figuræ, seu typi futurorum, quatenus præfigurabant sacrificium nouæ legis. At Christiani adorant Deum in Spiritu & Veritate, quia illorum sacrificium est spirituale, quatenus Spiritus sancti virtute per verba Consecrationis efficitur: & simul est verum, quatenus in eo figuræ veteres impletæ sunt.

Hinc patet etiam bonos Iudæos non adorasse Deum in Spiritu & Veritate, iuxta sensum explicatum, quia illorum sacrificia erant carnalia, & umbræ futurorum. Licet alio sensu adorarint in Spiritu & veritate, quatenus interna fide, & sincero corde Deum coluerunt.

13 Tertia Conclusio. Hoc sacrificium nouæ legis, de quo Prophetæ, & Christus prædixerunt, consistit in Mysterio Eucharistiae, prout in Ecclesia Christi conficitur & celebratur. Probatur primo ex dictis, quia Prophetæ & Christus de illo solo possunt intelligi. Secundo, ex sacrificio Melchisedech, quod fuit figura sacrificij nouæ legis.

14 Vbi nota duplex fuisse Sacerdotium ante Christum, unum Melchisedechi, alterum Aaronis, quæ duo partim conueniunt, partim discrepant. Conueniunt in eo, quod utrumque fuit figura & typus Sacerdotis Christiani, & quod sacrificium utriusque representauerit sacrificium nouæ legis.

legis. In eo discrepant, quod Melchisedech perfectiore modo fuerit figura Christi, quam Aaron; adeo ut Apostol. Hebr. 7. dicat Christum esse Sacerdotem secundum ordinem Melchisedechi, non Aaronis.

Ac primo, Melchisedech fuit figura Christi in notatione nominis. Dicitur enim Melchisedech, id est, Rex iustitiae. At Christus est verus Rex iustitiae, non solum quia iudicat populum in iustitia, Psal. 71. v. 2. sed etiam quia ex perfecta iustitia pro nobis Deo satisfecit. Secundo, in notatione officij. Nam Melchisedech fuit Rex Salem, id est, Rex pacis, quod optimè conuenit Christo, Ephes. 2. v. 14. *Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum.* Et Col. 1. v. 20. *Pacificans per sanguinem crucis sue quæ in terris, sue quæ in cœlis sunt.* Tertio in origine, nam Melchisedech introducitur sine patre & matre, ad significandam Christi diuinitatem & humanitatem, quia Christus ut homo non habuit patrem, & ut Deus non habuit matrem. Quarto, in duratione, quia Melchisedech introducitur, neque initium dierum, neque finem habens, ideoque representat æternitatem Sacerdotij Christi, cui aliud Sacerdotium successurum non est.

In hac representatione deficit Sacerdotium Aaronis, quia fuit temporale, & abrogatum est per successionem Sacerdotij Christiani.

Quinto, in obligatione; quia Melchisedech obtulit panem & vinum, & sic fuit figura sacrificij incruenti, quod Christus in coena instituit, & quod semper in Ecclesia usurpabitur. Aaron autem obtulit animalia occisa, & sic fuit figura sacrificij crucis, quod semel tantum oblatum est. Sexto in præstantia, quia Melchisedech benedixit Abraham, Gen. 14. v. 19. *Sine ulla autem contradictione, quod minus est à meliore benedicitur,* ut Apostolus ait Hebr. 7. v. 7. E contrario autem Abraham obtulit decimas Melchisedecho tanquam superiori, v. 19. In Abramō autem decimata est tribus Leui, quæ in illius lumbis continebatur. Hebr. 7. v. 9. Vnde sequitur Aaronem, qui fuit de tribu Leui, fuisse inferiorem Melchisedecho: & consequenter Sacerdotium Aaronicum fuisse inferius Sacerdotio ipsius Melchisedechi.

Ex dictis sic concludo: Melchisedech in oblatione panis & vini perfectissime representauit Christum offe-

rentem Corpus & sanguinem suum in sacrificio in ultima cœna. Atqui Melchisedech obtulit panem & vinum tanquam Sacerdos Dei altissimi. Ideoque verè sacrificauit. Ergo etiam Christus in ultima cœna verè sacrificauit : alioqui non exactè figuram illam impleuisset.

*Secundo* concludo : Melchisedech non solùm repreſen-tauit Christum offerentem sacrificium , sed etiam iugiter ac perpetuò offerentem. At Christus non offert perpetuò sacrificium cruentum in cruce, quia hoc semel tantum obtulit per ſe. E. debet eſſe incruentum sacrificium, quod per-petuò offerat per ſuos Miniftrōs , quia Sacerdotium non potest dici perpetuum & æternum , niſi actus sacrificandi eſſet perpetuus ; alioqui Sacerdotium eſſet otiosum. Con-firmatur , quia Sacerdotium Christi vocatur æternum du-plici titulo. *Primo* , quia durauit ab origine mundi. *Se-cundo*, quia durabit uſque ad finem mundi. Hoc enim signi-ficauit Apoſtolus Hebr.7. v. 3. cùm ait : *Neque initium die-rum, neque finem vitæ habens.* Sicut ergo propter hanc Sa-cerdotij æternitatem necesse fuit , ut Christus ante Incar-nationem sacrificaret per figurās & typos : ita necesse eſt, ut post mortem sacrificet per ſuos Miniftrōs , ne Sacerdo-tium uillo uñquam tempore ſit otiosum.

Lutherani & Caluinistæ , ut vim utriusque argumenti euadant , concedunt quidem Melchisedech fuifle Sacer-dotem & figuram Christi : negant tamen obtuliffe panem & vinum in sacrificium. Vnde conſequenter negant Sacer-dotum Christi , quod eſt ſecundūm ordinem Melchise-dech, conſistere in oblatione panis & vini Euchariftici. Ita Caluin. lib.4. Inſt. c.18. §.2. Pless. lib.3. de Eucbar. c.2. Kemn. in 2.p. Exam. & Hutt. in triumph. cont. Bell. c.59. afferentes Mel-chisedech protuliffe panem & vinum ad reficiendos mil-i-tes Abrahæ, qui fatigati ex proelio redibant. Sed haec resp. apertè repugnat scripturæ. Sic enim legimus, Gen.14.v.18. *At verè Melchisedech Rex Salem proferens panem & vinum ( erat enim Sacerdos Dei altissimi ) benedixit ei, & ait : Ben-e-dictus Abraham Deo excelfo , &c.* Hoc loco proferre panem eſt idem, quod offerre, ut patet ex illa particula : *erat enim Sacerdos Dei altissimi.* Non enim protulit panem, ut hospes aut amicus, ſed ut Sacerdos, E. protulit ad sacrificandum.

Ex hoc sensu explicant Patres. Clem. Alex. lib. 4. Strom. circa finem, sic habet: Melchisedech Rex Salem, Sacerdos Dei altissimi vinum & panem sanctificatum dedit in typum Eucharistiae. Cypr. l. 2. Ep. 3. explicans illud Psalmi, Tu es Sacerdos in eternum secundum ord. &c. ita subiungit: qui ordo inde descendit, quod Melchisedech Sacerdos Dei fuit, quod panem & vinum obtulit: nam quis magis Sacerdos Dei summi, quam Christus, qui Sacrificium vero Patri obtulit, & obtulit hoc idem quod Melchisedech obtulerat, id est, panem & vinum, suum sc. Corpus & Sanguinem. Et Euseb. Cesar. l. 1. demonst. Euang. cap. 3. ait: quemadmodum Melchisedech, qui Sacerdos Gentium erat, nusquam videtur Sacrificii corporalibus solis functus (animantium) sed solo pane & vino: Ita Saluator noster, & qui perfecisti sunt Sacerdotes in omnibus gentibus, vino & pane corporis illius & sanguinis mysteria representant.

Aug. Ep. 95. ad Innoc. Papam ait: Melchisedech prolatu Sacramento mensa Dominicæ nouit eternum eius Sacerdotium figurare. Hier. in Ep. ad Marcellam: Requurre ad Genesin, & inuenies Melchisedech rex Salem, qui iam tunc in typo Christi panem & vinum obtulit, & mysterium Christianum in Saluatoris corpore & sanguine dedicauit. Similia habent Ambr. libr. 5. de Sacram. c. 1. Epiph. hær. 55. Chrysost. homil. 36. in Genesin. Theodoreetus & Arnobius in Psal. 109. Eucherius l. 2. in Genesin, cap. 18. & alijs passim.

16 Confirmatur, quia nulla erat causa cur Melchisedech præberet militibus Abrahæ refæctionem corporalem. Ut enim ex textu colligo, Abraham rediit ex prælio cum ingenti præda, ex qua non solum milites suos refecerat, sed etiam decimas obtulit Melchisedecho.

Obiiciunt Aduersarij. Primo, Latinam editionem esse corruptam, quæ sic habet: Erat enim Sacerdos Dei altissimi. Nam in Hebræo non est particula causalis Enim; sed coniunctiva, Et. Vnde Calu. & Kemn. ita vertunt. Melchisedech protulit panem & vinum. Erat autem Sacerdos Dei altissimi, & benedixit Abrahæ. Et sic distingunt duas actiones Melchisedechi, quarum una conueniat illi, ut regi, scil. liberalis refectio in pane & vino: altera vt Sacerdoti, nempè benedictio quam Abrahæ ob victoriam impertiebat.

Resp. licet in Hebræo non sit particula causalis (Enim)

Gg 5 sed

sed coniunctiua (Et) tamen hæc ponitur pro causali, ut frequenter fit in scripturis. Ratio est, quia non solum in textu Græco & Latino, sed etiam in Hebræo & Chaldæo terminatur periodus post illa verba: *Erat Sacerdos Dei altissimi.* Ergo officium Sacerdotis non refertur ad benedictionem quæ sequitur, sed ad oblationem panis & vini, quæ præcedit. Imò ad benedicendum non est opus officio Sacerdotis, quia non soli Sacerdotes, sed omnes maiores possunt benedicere. Sic Salomon rex benedixit populo. 3. Reg. 8. & David similiter, 2. Reg. 6. & Iosue cap. 8. & 22. Non igitur Melchisedech, quia Sacerdos erat, benedixit Abrahæ, sed quia maior erat, ut patet ex Hebr. 7. vbi ex eo, quod Melchisedech benedixerit Abrahæ non colligit, Melchisedecum fuisse Sacerdotem, sed Abrahamo maiorem fuisse.

17 Obiiciunt secundo, si Melchisedech fuisse figura Christi in oblatione panis & vini, certè Apostolus hoc non omisisset, cùm tam accuratè descriperit omnia quæ ad illam figuram pertinere videbantur. Respondeo ob duas causas omisit Apostolus mentionem panis & vini. Primo, quia nihil ad propositum faciebat. Propositum eius erat, ut ostenderet excellentiam Sacerdotij Christi super Sacerdotes Leuiticos. Eam sic ostendit: Melchisedech fuit excellentior Aaron. Sed Christus est Sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Ergo Sacerdotium Christi est excellentius Sacerdotio Aaronico.

Maiorem probat tripliciter. Primo, quia Melchisedech benedixit Abrahæ, & consequenter Aaroni, qui erat in lumbris Abrahæ, maior autem benedixit minori. Secundo, quia accepit decimas ab Abrahamo & consequenter ab Aaron. Tertio, quia non legitur habuisse initium dierum aut finem. Porro inter has causas non ponit oblationem panis & vini, quia videtur per se parum facere ad commendandam excellentiam Sacerdotalem. Non enim videtur plus esse offerre panem & vinum, quam offerre Sacrificia Mosaica, in quibus præter panem & vinum offerebantur etiam animalia.

Altera causa est ex parte Hebræor. qui nondum erant apti ad capiendum mysterium Eucharistiae, quod per oblationem panis & vini præfiguratum fuit. Hoc indicat Apostolus

stolis cap. 5. v. ii. cùm ait: *De quo (Melchisedecho) nobis gran-*  
*dis sermo & in interpretabilis ad dicendum, quoniam imbecilles*  
*facti estis ad audiendum.*

18 Obiiciunt Tertio, ex figuris non sunt fabricanda dog-  
 mata (secundum Kemn.) nisi in scripturis eæ figuræ expli-  
 centur. Sed nusquam explicatur figura panis & vini. Ergo  
 ex ea non licet colligere Sacrificium Eucharistiae. Respond.  
 Quamuis scriptura non explicet disertè figuram panis &  
 vini: tamen ita insinuat, ut omnes antiqui Patres & inter-  
 pretes eam intellexerint. Nam scriptura aperte dicit; Chri-  
 stum esse Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech.  
 Ergo Christus in Sacerdotio debet peculiari modo conue-  
 nire cum Melchisedech, id est, debet conuenire in eo, quod  
 est proprium Sacerdotij Melchisedech. Sed nihil est pro-  
 prium illius Sacerdotij, nisi forma sacrificandi in pane &  
 vino. Ergo in illa forma debet conuenire.

Minor probatur, quia cætera quæ dicuntur de Melchi-  
 sedech, non sunt illi propria quatenus Sacerdos est, cuius-  
 modi sunt benedicere, decimas accipere, non succedere al-  
 teri, non habere successorem & genealogiam. Hæc enim  
 omnia conueniunt aliis præter Melchisedech. Nam etiam  
 Leuitici Sacerdotes benedicebant & decimas accipiebant.  
 Abel nec alteri successit, nec habuit successorem. Helias non  
 legitur habuisse genealogiam. Nihil ergo proprium est Mel-  
 chisedecho, nisi oblatio panis & vini. Ergo in hoc consistit  
 figura Christi Sacerdotij.

Dices: Ergo Apostolus *Hebreor. 7.* male explicat hanc fi-  
 guram, quia non dicit illam consistere in oblatione panis  
 & vini, sed in aliis rebus. Respondeo. Apostolus figuram  
 non explicat, sed solum ostendit excellentiam Christi su-  
 per Aaronem.

Dices Secundo: Oblatio panis & vini non fuit propria  
 Melchisedecho, quia reperiebatur etiam in Aaronico Sa-  
 crificio, vt patet *Exod. 29.* & *Num. 28.* Resp. Oblatio panis &  
 vini, quatenus erat principale & integrum Sacrificium, fuit  
 propria Melchisedechi. Nam in Sacrificiis Aaronicis non  
 adhibebatur tanquam integrum.

19 Obiiciunt quarto: Si Melchisedech nihil aliud obtulit,  
 nisi panem & vinum. Ergo non repræsentat oblationem

Christi

476 C A P . X X I V . D E S A C R A M E N T I S  
Christi in Cruce; ac proinde Christus non potest dici Sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Resp. duo sunt sacrificia Christi, vnum in Cruce cruentum: alterum in cœna incruentum. Prius nec est secundum ordinem Melchisedech, nec Aaronis; posterius est secundum ordinem Melchisedech, non tamen secundum ordinem Aaronis.

Et quidem, quod Sacrificium Crucis non fuerit secundum ordinem Melchisedech, patet, quia fuit cruentum, cum tamen Sacrificium Melchisedech fuerit incruentum. Quod etiam non fuerit secundum ordinem Aaron, patet, quia Christus non fuit Sacerdos secundum ordinem Aaron, cum non fuerit de tribu Leui, sed de tribu Iuda.

20 Obiiciunt *quinto*, Christus dicitur esse Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, non dicitur autem Sacerdos in æternum propter oblationem panis & vini, sed propter alias causas. *Primo*, quia viuit in æternum. *Secundo*, quia Sacrificium Crucis est efficax in æternum. *Tertio*, quia semper in cœlo interpellat pro nobis. *Quarto*, quia per ipsum semper habemus accessum ad Patrem. *Quinto*, quia semper potest saluare accedentes per ipsum ad Deum.

Respondeo, Christus reuera dicitur Sacerdos in æternum, quia per ministros suos quotidie offert sacrificium Eucharistiae usque ad finem mundi. Hoc recte colligit D. Thomas ex Apostolo *Hebræor. 8. vers. 3.* vbi dicit omnem Pontificem debere aliquid offerre, ac proinde Christum, cum sit Pontifex in æternum debere semper aliquid offerre. At non potest dici semper offerre sacrificium ob illas allatas causas. ergo ob Sacrificium Eucharistiae, quod quotidie offert per suos ministros. Minor patet, quia reliqua illæ cause non sunt sufficentes. Non *prima*, quia non sufficit vita sola æterna, nisi adsit usus sacrificandi æternus. Nec *secunda*, quia aliud est efficaciam alicuius sacrificij esse æternam; aliud est usum sacrificij esse æternum. Nec *tertia*, quia interpellatio non est proprium officium Sacerdotis. Nec *quarta*, quia quod per Christum habeamus accessum ad Patrem, non arguit illum esse Sacerdotem, sed Mediatorem. Nec *quinta*, quia saluare non est proprium Sacerdotis, sed salvatoris.

21 *Tertio*, probatur conclusio ex figura Agni Paschalis, & aliorum

aliorum Sacrificiorum veteris Testamenti, quam Bellarm.  
1.1.cap.7. & 8. fusè explicat. Vis argumenti est haec, celebra-  
tio Agni, verbi gratia, Paschalis fuit expressa figura celebra-  
tionis Eucharistiae in cœna. Sed illa erat verum Sacrifi-  
cium. Ergo & haec.

*Quarto*, probatur conclusio ex Act. 13. v. 2. *Ministrantibus  
autem illis Domino, λειτουργούσι, id est, sacrificantibus*, secun-  
dum Bellarminum cap. 13. & multos alios. Vide Ioannem  
Lorinum ibi.

*Quinto*, probatur ex consensu Ecclesie totius.

*Sexto*, probatur ratione, quia in Eucharistiae mysterio  
sunt omnia quæ requiruntur ad Sacrificium. Nam *primo*, est  
Sacerdos qui offert, *secundo*, est Hostia, quæ offertur, nempè  
Christus sub specie panis & vini. *Tertio*, est Deus, cui offer-  
tur. *Quarto*, est Ecclesia fidelium, pro qua offertur. *Quinto*,  
est altare in quo offertur. *Sexto*, est actio sacrificandi, seu  
offerendi, de qua plura in sequenti quæstione.

22 Prima Obiectio: Eucharistia est Sacramentum. Ergo  
non potest esse Sacrificium, quia haec duo inter se pugnant.  
Respondeo. Quamuis haec duo formaliter inter se distin-  
guantur: non tamen ita pugnant, quin possint vni rei diuer-  
sa ratione conuenire. Nam Eucharistia est Sacramentum,  
quatenus est visibile signum inuisibilis gratiae & refectio-  
nis spiritualis. Est autem Sacrificium quatenus Deo offer-  
tur. Addo esse etiam Testamentum, quatenus est publicum  
& authenticum instrumentum diuinæ voluntatis ac pro-  
missionis.

23 Secunda Obiectio: Christus est Sacerdos in æternum.  
Ergo nullos habet Sacerdotes successores. Ergo iam in Ec-  
clesia nulli sunt Sacerdotes. Ergo nec sunt Sacrificia. Re-  
spondeo. Christus est Sacerdos in æternum, ac proinde non  
habet successores, sed tantum Ministros & Vicarios qui in  
eius absentia offerunt hic visibile Sacrificium. Imo hac  
ratione Christus dicitur Sacerdos in æternum, quia semper  
per suos Ministros sacrificat.

24 Tertia Obiectio: Sacrificium Crucis habet vim infini-  
tam. Ergo non egemus alio Sacrificio. Ergo multiplicare  
tot sacrificia Missæ nil est aliud quam negare virtutem &  
sufficientiam sacrificij Crucis. Respondeo, Sacrificium

Missæ

Missa est re idem cum sacrificio crucis , & sic non egemus alio Sacrificio , sed solum repetitione eiusdem.

Dices : Si Sacrificium Crucis habet infinitam vim, non solum non egemus alio sacrificio , sed neque repetitione eiusdem sacrificij.Respondeo.Repetitio ad hoc requiritur, ut virtus Sacrificij Crucis nobis applicetur.

Dices iterum : Ad hanc applicationem sufficiunt media à Christo instituta, qualiter prædicatio Verbi & Sacrae cœnæ administratio. Respondeo. Inter haec media est etiam Sacrificium Missæ.

### Q V A E S T I O   V .

*In quo consistat essentia huius Sacrificij ex parte rei oblata?*

**1** **D**uo spectari debent in Sacrificio. *Primo*, res quæ sacrificatur & offertur. *Secundo*, actio Sacrificandi. De priore hic , de posteriore post agetur. Est ergo quæstio, quænam sit res illa quæ propriè Sacrificatur in Missa , an scilicet panis & vinum, an verò corpus & Sanguis Christi Domini?

**2** Prima Opinio est, solum panem & vinum esse rem oblatam, non autem Corpus & Sanguinem Christi. Probatur *Primo*, quia illud offertur & sacrificatur, quod immutatur , seu destruitur in honorem Dei , ut patet in Sacrificiis Mosaicis. At solus panis & vinum mutantur & destruuntur, non autem corpus & Sanguis Domini. Ergo, &c. *Secundo*, quia res oblatam in Sacrificio supponitur actioni sacrificandi, ut patet in Sacrificio Agni Paschalis , vbi res oblatam est Agnus viuus, non autem cadauer eius. Sed panis & vinum supponitur actioni Sacrificandi. Ergo est res oblatam. *Tertio*, ex praxi Ecclesiæ, quæ offert panem & vinum, & vocat Hostiam , seu rem oblatam. Et in quadam Antiphona dicit: *Sacerdos in æternum Christus secundum ordinem Melchisedech panem & vinum obtulit.* Eodem modo loquuntur Patres Cypr. epist. 63. *Panem & calicem mistum vino obtulit.* Alexander I. epist. 1. ait: *Panis tantum & vinum aqua permistum in Sacrificio offerantur.*

**3** Secunda Opinio est omnino contraria, solum Christum esse rem oblatam in Missæ Sacrificio , quod dupliciter explicari

plicari solet. *Primo*, ut Christus, quatenus existit in propria specie, sit res oblata tanquam materia sacrificij, quia supponitur actioni Sacrificandi; quatenus verò existit sub speciebus panis & vini, sit res oblata tanquam terminus Sacrificationis, quia resultat per actum sacrificandi.

*Secundo*, ut Christus, quatenus existit sub speciebus panis & vini, sit materia huius sacrificij, quæ actioni eius supponitur: quatenus verò sumitur & manducatur, sit res oblata, quæ propriè dicitur sacrificari. Iuxta quam explicationem consequenter dicendum esset consecrationem non pertinere intrinsecè ad actionem sacrificandi, sed esse quasi præambulam. Sicut incarnatione non pertinet intrinsecè ad actionem sacrificij cruenti in Cruce, sed quasi materiam præparat ad sacrificandum.

4 *Tertia Opinio* est, in mysterio Missæ duplex esse Sacrificium, vnum panis & vini; alterum corporis & sanguinis Christi; prius ordinari ad posterius tanquam ad id quod primario intentum est, ac proinde utrumque censeri tanquam vnum sacrificium: in priori rem oblatam esse panem & vinum; in posteriori Corpus & Sanguinem Christi. Ita Gaspar Cassalius lib. 1. de Sacrif. Miss. c. 10. & Ruard. Tapp. in defens. art. 16. Louan. contra Luth.

5 *Prima Conclusio*. Rcs, quæ primò & principaliter offeruntur in Sacrificio Missæ, Christus est. Probatur *primo*, ex his verbis: *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis frangitur: Hic est sanguis meus, qui pro vobis effunditur*; vbi frangi & effundi sumuntur pro offerri, seu sacrificari, ut multi exponunt. *secundo*, ratione, quia Sacrificium Crucis cruentum, & sacrificium Missæ incruentum non differunt quoad rem oblatam. Sed res oblata in Sacrificio Crucis est Christus, iuxta illud 1. Corinth. 5. vers. 7. *Pascha nostrum immolatus est Christus*. Ergo etiam res oblata in Sacrificio Missæ est Christus.

Hinc Concilium Tridentinum sess. 22. can. 2. ait: *In hoc Sacrificio Missæ idem ille Christus ineruentè immolatur, qui in Ara Crucis semel seipsum cruentè obtulit*. Et in hac conclusione non licet Catholicum aliquem hominem dubitare.

6 *Secunda Conclusio*. Christus, ut in propria specie existens nullo modo est res oblata in sacrificio. Probatur, quia duplicitate potest aliquid esse res oblata. *Primo*, ut materia,

quæ

quæ supponitur actioni sacrificandi. Secundo, vt terminus, qui fit aut resultat per actionem sacrificandi. Christus, quatenus in propria specie existit, neutro modo potest esse res oblata. Nam & materia quæ supponitur actioni sacrificandi, & terminus, qui resultat ex illa actione debet esse visibiliter præsens in loco sacrificij. At Christus in propria specie non est præsens in loco sacrificij. Ergo Christus nec est materia, nec terminus.

Dices: Illa est materia sacrificij, circa quam versatur actio sacrificandi. Sed consecratio, quæ est actio sacrificandi, versatur circa Christum in propria specie existentem, quia adducit eum & constituit præsentem sub speciebus sacramentalibus. Ergo, &c.

Respondeo. Si consecratio non solum est actio adductiua, sed etiam quasi substancialiter productiua, ut aliqui putant, iam non versatur circa Christum in propria specie existentem, quia eum aliunde non adducit, ut sub speciebus sacramentalibus illum constituat, sed per se ac substancialiter illum ponit sub speciebus.

¶ Si autem est actio tantum adductiua, ut alij volunt, iam etiam non versatur circa Christum in propria specie existentem: sed partim circa substancialam panis ac vini tanquam circa terminum a quo; partim circa Christum sub speciebus panis & vini constitutum tanquam circa terminum ad quem.

7 Tertia Conclusio. Christus, ut existens sub speciebus sacramentalibus, est res oblata in hoc sacrificio, non quidem propriè, ut materia, quæ actioni sacrificandi supponitur, sed ut terminus sacrificationis.

Probatur, quia Christus, ut existens sub speciebus sacramentalibus non supponitur actioni consecrationis, ut per se notum est, sed consecratio est essentialiter actio sacrificandi, ut post dicetur. Ergo Christus, ut existens sub speciebus non est materia, sed terminus sacrificationis.

8 Quarta Conclusio. Species Sacramentales panis & vini, intrinsecè pertinent ad rem oblatam in hoc Sacrificio; ita ut res oblata per modum termini non sit Christus nudè sumptus, sed simul cum speciebus, seu quatenus cum ipsis vnum compositum Sacramentale constituit. Colligitur

gitur ex Concilio Tridentino *sess. 22. can. I.*

Probatur, quia de ratione visibilis sacrificij est, ut res oblata sit visibilis. Sed sacrificium Missæ est visibile. Ergo res oblata debet esse visibilis. Ergo Christus præcise sumptus non est res oblata, sed quatenus per species est visibilis.

Dices: Hinc sequitur *primo*, sacrificium Missæ non esse idem, quoad rem oblatam cum sacrificio Crucis, quia ibi solus Christus fuit res oblata; hic autem compositum ex Christo & speciebus.

*Secundo*, principalius offerri species sacramentales, quam Christum, quia species præcipue sunt visibles, ac proinde potissimum spectant ad rationem visibilis sacrificij.

*Tertio*, non offerri totum Christum, sed solam carnem sub specie panis, & solum sanguinem sub specie vini, quia nihil aliud significatur per illas species visibiles, nisi caro & sanguis; neque vi verborum aliud ibi continetur.

Respondeo *primo*, res oblata est eadem substantialiter in sacrificio Crucis & Missæ, licet non sit eadem accidentaliter.

*Secundo*, Christus principaliter offertur ad honorem Dei; Species autem sacramentales sunt quasi extrinseca accidentia rei oblatæ.

*Tertio*, totus Christus offertur in sacrificio Missæ, sicut totus præsens est sub speciebus sacramentalibus, licet aliquid ipsius sit præsens vi verborum, & aliquid per naturalem concomitantiam: ut *sùprà explicatum est*.

9. Quinta Conclusio. Panis & vinum offeruntur in hoc sacrificio tanquam materia ex qua sacrificium conficitur. Nam duo considerari possunt in pane & vino, nempe substantia & accidentia. Substantia potest vocari materia transiens, ex cuius destructione conficitur res oblata per modum termini. Accidentia pertinent ad rem oblatam ex parte termini.

Ad argumenta primæ opinionis Respondeo ex dictis. Si enim spectemus rem oblatam ex parte materiæ quæ actioni sacrificandi supponitur, non est aliud quam panis & vīnum. Si autem spectemus rem oblatam ex parte termini, qui offertur & Sacrificatur Deo, non est aliud quam Christus

482 CAP. XXV. DE SACRAMENTIS  
existens sub speciebus. Nec inde sequitur esse duo sacrificia, sed esse duos terminos vnius sacrificij, nemp̄ terminum à quo & ad quem ; quia substantia panis & vini est terminus, qui destruitur : Christus autem existens sub speciebus est terminus qui acquiritur.

Est tamen notanda differentia inter hoc Sacrificium & Mosaica. Nam in his materia sacrificij erat res principalis oblata, cuius destrucción erat etiam præcipue intenta in cultum Dei. Sed in illo non materia, sed terminus Sacrifictionis est res præcipue oblata, & destrucción materiae non est tam per se intenta, quam effectio termini, quia destrucción substantiae panis est tantum via ad corporis Christi introductionem.

Ratio huius differentiæ sumi debet. *Primo*, ex dignitate ipsius rei. *Secundo*, ex modo actionis, quæ magis tendit ad efficiendum quam destruendum. *Tertio*, ex intentione offerentis.

---

### Q V A E S T I O VI.

*In quo consistat essentia huius Sacrificij ex parte actionis?*

1 **S**VNT sex actiones in Missa, de quibus dubitari potest est oblatio panis & vini ante consecrationem. Secunda, est ipsa consecratio. Tertia, est oblatio corporis & sanguinis Christi post consecrationem. Quarta, est fractio & commixtio Sacramenti. Quinta, est consumptio Sacramenti à Sacerdote consecrante facta. Sesta, est distributio & sumptio à fidelibus facta. Quæritur ergo, an omnes hæ actiones, an verò aliqua ex iis sit de essentia huius sacrificij?

Bellarminus lib. 1. cap. 27. docet secundam & quintam pertinere ad essentiam sacrificij, reliquas non item.

2 Prima Conclusio. Oblatio panis & vini, quæ sit ante consecrationem, nullo modo pertinet ad essentiam huius sacrificij, sed est tantum quædam ceremonia accidentalis ab Ecclesia instituta. Alanus lib. 3. de Sacrificio Miss. cap. 18. & multi recentiores. Probatur primo, quia Christus non legitur hanc oblationem præmisso ante consecrationem, & tamen obtulit perfectum & integrum sacrificium. Ergo

hæc oblatio non est pars Sacrificij. Secundo, quia per hanc oblationem nihil fit circa rem oblatam præter extrinsecam quandam orationem. Nam eleuatio quæ fit à Sacerdote, aut consignatio Crucis, & aliæ similes actiones sunt omnino accidentales; ac proinde si omittantur, nihil fit contra substantiam & perfectionem sacrificij.

3 Secunda Conclusio. Oblatio corporis & Sanguinis Christi, quæ fit post consecrationem, non est etiam de essentia huius sacrificij. Probatur primo, quia talem oblationem Christus non adhibuit, quia statim facta consecratione distribuit Corpus & Sanguinem suum discipulis. Secundo. Nec Apostoli eam in principio adhibuerunt secundum S. Gregorium l.7. Epist. 63, ubi scribit Apostolos solam orationem Dominicam adhibuisse ad verba consecrationis. Tertio, quia hoc sacrificium principaliter offertur in persona Christi. At verba huius oblationis non dicuntur in persona Christi, sed ministri & totius Ecclesiae, ut patet ex illis verbis: *Vnde memores nos serui tui, &c.* Quarto, quia non est de essentia sacrificij, ut offerens verbo explicet oblationem: sed satis est, quod opere illam exerceat, ex intentione colendi Deum. Ergo verbalis oblatio non pertinet ad essentiam, sed oblatio realis quæ sufficenter fit per consecrationem, ut paulò post dicitur.

Quæres. Cur ergo adhibetur hæc oblatio, si non pertinet ad essentiam? Respondeo, ut sit quædam testificatio, quod tota Ecclesia consentiat in oblationem à Christo factam.

4 Tertia Conclusio. Fractio & commissio huius Sacramenti non pertinet etiam ad essentiam huius Sacrificij. Ita S. Thom. quæst. 83. artic. 6. ad 6. ubi dicit: Si contingat fractionem omitti, non propterea fieri imperfectum sacrificium. Probatur, quia Christus non adhibuit hanc actionem. Quamuis enim fregerit panem, non tamen fregit ad certum mysterium significandum, sed ad distribuendum; Neque post fractionem miscuit cum vino consecrato, ut nos facimus; sed immediate porrexit manducandum Discipulis. Non ergo fuit fractio mystica, ut nostra, sed usualis. Nec satis constat, an facta fit ante consecrationem, an postea.

Dices: Christus legitur intinctum panem porrexisse Iude. Respondeo. Ille panis non fuit consecratus, nec intinctus in vino, sed iuscule.

5 Quarta Conclusio, Distributio, seu dispensatio Eucharistiae, quæ fit in communicatione Laicorum, non est de essentia huius sacrificij. Probatur primo, ex praxi Ecclesie, quæ frequenter celebrat tale sacrificium sine tali distributione. Secundo, quia frequenter fit talis distributio peracto sacrificio. Tertio, quia tota actio sacrificandi, quæ sacrificio essentialis est, debet immediatè fieri à sacerdote. At distributio potest fieri per Diaconum, & consumptio fit à populo. Ergo nec distributio nec consumptio Laica est de essentia. Quarto, quia in omni sacrificio participatio vietime à populo facta supponit sacrificium consummatum, ut colligitur ex 1. Corinth. 10. vers. 18. *Nonne qui edunt Hostias, participes sunt altaris?* Non enim idem est sacrificium offerre, & de altari participare.

6 Quinta Conclusio. Consecratio pertinet ad essentiam huius sacrificij. Ita Bellarminus loco citato. Cassius lib. 1. cap. 20. & plerique alij, exceptis paucis. Probatur Primo, quia sacrificium Missæ offertur in persona Christi. Nihil autem facit Sacerdos tam perspicue in persona Christi, quam consecrationem in qua dicit: *Hoc est Corpus meum.* Secundo, quia Christus nihil aliud fecisse legitur, nisi acceptum panem consecrassæ & distribuisse. At verò non sacrificauit distribuendo, ut dixi ante, sed consecrando. Tertio, probatur, quia Apostoli, si nihil addebat ad verba consecrationis præter orationem Dominicam, necessario debuerunt sacrificare consecrando, quia constat, orationem Dominicam non esse verum sacrificium.

Quarto, quia potestas consecrandi est de essentia Sacerdotis nouæ legis, Ergo & ipsa consecratio est de essentia sacrificij. Antecedens patet, quia forma quæ essentialiter constituit sacerdotem nouæ legis, est character sacerdotialis. Sed hic per se primò est potestas consecrandi. Sequela patet, quia Sacerdotium per se primò est ob sacrificium. Ergo illa actio ad quam per se primò datur potestas sacerdotalis, erit etiam primariò de essentia sacrificij.

Quinto. Quia antiqui Patres ita sentiunt, quia docent obla

oblationem, seu immolationem, quæ est propriè sacrificatio, consistere in consecratione. Irenæus lib. 4. cap. 32. dicit Christum tunc docuisse oblationem noui Testamenti; cùm dixit: *Hoc est Corpus meum.* Cyprianus in serm. de cana Domini, dicit: *Tunc Euccharistiam fieri Holocaustum, quando verbis consecrationis panis benedicitur.* Chrysostomus de predicatione Iudeæ, dicit, verba Christi: *Hoc est corpus meum, usque ad consummationem mundi prestare sacrificio firmitatem.* Vide etiam Ambrosium Psalm. 39. & Gregorium lib. 4. dial. cap. 58.

7 Prima obiectio. Ita se habet consecratio ad sacrificium incruentum, sicut ipsa incarnationem ad cruentum. Sed hæc non est pars sacrificij. Ergo nec illa. Maior patet, quia sicut Deus factus Homo per Incarnationem, postea est in Cruce oblatus. Ita Christus factus panis vitæ per consecrationem, postea offertur in altari. Confirmatur ex veteribus sacrificiis. Nam productio Agni paschalis non erat pars sacrificij, sed effectio rei sacrificandæ. Ergo similiter consecratio non est pars, sed præparatio rei offerendæ.

Respondeo, hoc argumentum procederet, si Christus in hoc sacrificio esset res oblata per modum materiæ, quæ actioni sacrificandi supponitur: nunc autem est res oblata per modum termini, qui ex sacrificeatione resultat. Vnde consecratio non est præparatio materiæ, sed est ipsa actio sacrificandi. Aliter se res habet in sacrificio Crucis & Agni Paschalis. Nam Christus, ut homo viuus, fuit materia sacrificij cruenti; sicut agnus viuus fuit materia Mosaici sacrificij.

8 Secunda Obiectio. In die Parasceues offertur verum sacrificium sine consecratione, quia fit oblatio ex præsanctificatis. Ergo consecratio non est de essentia sacrificij. Antecedens probatur primo ex oratione, quam Ecclesia in officio illius diei profert, dicens: *In spiritu humilitatis & in animo contrito suscipiamur a te Domine, & sic fiat Sacrificium nostrum in tuo conspectu hodie, ut placeat tibi Deus.* Et post: *Orate fratres, ut meum & vestrum sacrificium, &c.* Secundo, ex sancto Augustino epist. 118. cap. 2. ubi ait: *Omnibus diebus offertur Deo sacrificium in Ecclesia.*

Respondeo. In die Parasceues non offertur Deo sacrificium.

486 CAP. XXV. DE SACRAMENTIS  
ficiem Missæ incruentum, vt docet Sanctus Thomas quæst.  
83. art. 2. ad 2. quia eo die cruentum Sacrificium oblatum  
est in Cruce. Idem sentiunt Scholastici plerique in 4. di-  
stinct. 13. & Rabanus noster in lib. de institut. cleric. cap. 67.  
vbi hoc confirmat ex figura huius mysterij, quia in veteri  
lege eo die, quo semel intrando Summus Sacerdos in-  
trabat in sancta Sanctorum, alij Sacerdotes non sacrificab-  
bant. Vnde Hugo de sancto Victore libro 3. Miscellaneo-  
rum, cap. 43. sic habet: *Non sacrificant amici, dum trucidant  
inimici.*

Et ratio est, quia nullum potest fieri sacrificium nouæ  
legis, nisi in persona Christi, qui est principalis offerens.  
At in Parasceue, quando celebratur officium, nihil fit in  
persona Christi. Ergo tunc non offertur sacrificium. Et  
confirmatur, quia non est conueniens, vt Christus eo die  
introducatur loquens & offerens, quo mortuus recon-  
litur.

Quando ergo in officio Parasceue sacrificium nomina-  
tur, vel latè sumitur pro quoque mysterio, vel signi-  
ficatur ipsa Hostia consecrata, quia non solùm actio sa-  
crificandi, sed etiam victima sacrificata potest sacrificij  
nomine appellari. Quod autem generatim dicit sanctus  
Augustinus: *Omnibus diebus, &c.* non excludit singularem  
exceptionem vnius diei.

9 Sexta Conclusio. Probabile est, non solam consecra-  
tionem, sed etiam sumptionem Sacerdotalem esse de es-  
sentiâ huius sacrificij, non quidem quatenus est qualis-  
cunque usus Sacramenti, sed quatenus est perfecta con-  
sumptio & immutatio victimæ oblatæ. Ita Dominicus So-  
tus in 4. distinct. 13. quæst. 1. art. 6. Bellarminus lib. 1. cap. 27. Et  
quidam alij, quibus fauet Diuus Thomas quæst. 83. art. 6. ad  
3. vbi dicit: *Si contingat post consecrationem utriusque speciei  
aliquid mortiferum reperiri in calice, propter quod non possit  
a Sacerdote sumi, debere iterum vinum apponi & consecrari,  
vt Sacrificium perficiatur.* Ergo sentit sumptionem Sacer-  
dotalem pertinere ad essentiam sacrificij, quia si sola con-  
secratio sufficeret, iam sacrificium esset perfectum ante  
sumptionem.

Probatur Conclusio primo, quia de ratione Sacrificij  
genera

generatim est, ut Sacerdos sacrificans de victima oblatâ participet, ut docet Diuus Thomas *quaest. 82. artic. 4. ex Concil. duodecimo Toletano;* & ex Dionysio & Augustino, quos ille citat. Ergo necesse est, ut Sacerdos participet Eucharistiam in Missâ, alioqui non erit Missâ perfectum sacrificium.

*Secundo*, quia de essentia sacrificij est, & præsertim Holocausti, ut tota victima consumatur, & realiter immutetur; sed hoc non sit in hoc sacrificio, nisi per sumptionem Sacerdotis, quia ante sumptionem Christus manet realiter sub speciebus tanquam victima sacrificanda. Ergo sumptio, per quam perfectè immutatur, & amittit esse Sacramentale, pertinet ad essentiam sacrificij.

10 Septima Conclusio. Probabilius est sumptionem Sacerdotalem non esse de essentia huius sacrificij, sed esse quid posterius, quod pertineat ad perfectionem tantum accidentalem; ac prœinde totam essentiam sacrificij in consecratione consistere. Ita D. Thomas *quaest. 79. art. 5. vbi dicit*, Eucharistiam habere rationem sacrificij, in quantum sumitur. Et *quaest. 82. art. 4. ad 1. vbi dicit*, quod consecratio Chrismatis, vel cuiuscumque alterius materiæ non sit sacrificium, sicut est consecratio Eucharistie. Et *quaestione 83. articulo 4. vbi inter cætera prolixè sic ait*: *Quarto petit Sacerdos hoc sacrificium peractum, esse Deo acceptum, cum dicit; Supra quæ propitio ac sereno vultu respicere digneris, &c.* Hanc autem orationem profert Sacerdos statim post consecrationem. Ergo tunc peractum est sacrificium ex sententia Diui Thomæ. Alios Patres omitto & Scholasticos.

Hæc conclusio probatur. *Primo*, quia Christus in Evangelio non legitur sumpsisse Eucharistiam. Ergo ex Evangelio non constat sumptionem pertinere ad essentiam sacrificij.

*Secundo*, quia Patres docent sola consecratione contineri hoc sacrificium; ut Ambros. in *Psal. 39. Cyprian. de cœna Domini. Gregor. lib. 4. Dialog. cap. 56. Nyssenus orat. x. de Resurrectione.* & *Concil. Tolet. 12. c. 5.* Apud Gratianum *cap. Relatum*, de consecrat. distinct. 2.

*Tertio* probatur, quia in hoc sacrificio principalis offe-

rens est Christus , ergo sola illa actio est essentialis oblationis huius sacrificij , quæ fit in persona Christi : sed hæc est sola consecratio , ergo non sumptio ; quia Sacerdos consecrat in persona Christi , & sumit Eucharistiam consecratam in persona propria , vel Ecclesie. Et confirmatur , quia in sumptione duo spectari possunt , videlicet collatio Sacramenti & acceptio. Collatio potest fieri à Diacono ; acceptio ab omnibus fidelibus. Vnde neutra fit in persona Christi.

*Quarto* , quia sola consecratio est sufficiens actio ad sacrificandum , quia in illa fundari tota potest significatio , & mystica & moralis , quæ sufficiat ad sacrificium. De mystica patet , quia hoc Sacrificium ordinatum est ad representandam mortem & passionem Christi. Sed hæc sufficienter representatur per solam consecrationem , quatenus in eo seorsim Corpus , & seorsim Sanguis Christi consecratur , ad representandam effusionem Sanguinis Christi in Cruce , & eiusdem sanguinis à corpore separacionem.

De morali significatione similiter patet , quia omnia sacrificia sunt ordinata ad recognitionem supremi cultus Deo debiti , tanquam omnium rerum auctori. At hæc recognitio optimè fit per consecrationem , quatenus per eam fit mirabilis & supernaturalis rerum mutatio in hunc finem , ut res omnium nobilissima , nempè Christus Dominus offeratur , seu præsens sit in altari ad honorem Dei testificandum.

II Prima Obiectio. De essentia sacrificij est , vt victimæ realiter immutetur , & à Sacerdote participetur , vt ostensum est in 6. conclus. Sed Christus , qui est victimæ huius sacrificij , nec immutatur , nec participatur à Sacerdote per solam consecrationem. Ergo consecratio non est de essentia.

Respondeo primo , de essentia sacrificij est , vt res oblata aut destruatur realiter , aut immutetur. Res autem oblata est duplex. Altera , supponitur actioni sacrificandi , vt materia : altera , ex illa actione resultat , vt terminus. In antiquis sacrificiis materia erat principalis res oblata , quæ debeat realiter immutari. In nostro sacrificio terminus resul-

resultans per realem immutationem est principalis res oblata.

Respondeo secundo, non est de essentia sacrificij, vt Sacerdos participet de victima, vt expressè patet in Holocausto, de quo nemo participabat in veteri lege.

12 Secunda Obiectio. Realis immutatio, quæ fit in visibili sacrificio, debet esse sensibilis. At illa mutatio aut transubstantiatio, quæ fit per ipsam consecrationem non est sensibilis, sed occulta. Ergo non sufficit ad rationem sacrificij visibilis. Respondeo. Consecratio, quatenus ex terreno verbo perficitur, est sufficienter sensibilis. Sicut etiam Christus, quatenus per externam speciem panis & vini repræsentatur, censetur esse visibilis victima in hoc sacrificio.

13 Tertia Obiectio. Si sacrificium Missæ perficeretur sola consecratione, iam in sola consecratione fieret perfecta oblatio pro viuis & defunctis. Ergo tunc statim haberet suum effectum ex opere operato. Sed hoc falsum est, quia post consecrationem factam solet Ecclesia facere commemorationem pro defunctis.

Respondeo. Applicatio sacrificij, quoad effectum ex opere operato, quæ non fit, nisi per intentionem offerentis, debet fieri ante consecrationem, siue viuentibus, siue defunctis, applicetur, quia effectus ex opere operato non debet esse quasi suspensus, sed debet statim dari, quando sacrificium perficitur; quod fit in consecratione utriusque speciei. Non posset autem tunc dari, nisi præcessisset vel tempore, vel natura intentio applicantis.

Neque ex ritu Ecclesiæ, quem seruat in Missa, aliud colligi potest. Nam quando Sacerdos post consecrationem orat Deum, vt sacrificium proficit viuis ac defunctis; hoc ideo facit, quia Hostiam oblatam iam habet præsentem, & ex opere operantis cupit aliis prodesse.

14 Quarta Obiectio: Si sumptio non est essentialis pars sacrificij, iam non est iure diuino necessaria. Sed hoc falsum est, quia Sacerdos sacrificans iure diuino tenetur ad sumendum Sacramentum sub utraque specie, vt docet D. Thomas quest. 82. artic. 4. Vnde apud Gratianum cap. Relatum de consecrat. d. 2. sic legimus: *Quale erit sacrificium*

490 CAP. XXV. DE SACRAMENTIS  
ciūm, cuius neque ipse sacrificans particeps esse dignoscitur? Idem colligitur ex Tridentino sess. 13. cap. 8. vbi dicit, Ecclesiæ morem semper fuisse, ut Sacerdotes communicent seipso. Et D. Thom. quest. 83. art. 6. ad 1. dicit: Si contingat Sacerdotem consecrantem non posse sumere Eucharistiam, debere alium eius loco substitui, ut perficiat sacrificium; quod etiam habetur in regulis Missalis Romani, &c apud Gratian. cap. Nihil. 7. quest. 1.

Respondeo primo. Est quidem præceptum, ut Sacerdotes utramque speciem sumant; non tamen constat, an sit præceptum iuris diuini. Respondeo secundo, hoc præceptum siue sit iuris diuini, siue humani, non ideo datum est Sacerdotibus, ut per sumptionem utriusque speciei sacrificent; sed ut partcipent de oblatu sacrificio, & ipso opere ostendant se consentire sacrificio ad Dei honorem, ut significat D. Thom. quest. 82. art. 4. Vnde non sequitur sumptionem pertinere ad actionem sacrificandi essentialiter, sed tantum pertinere ad usum sacrificij.

15 Oœtaua Conclusio: In consecratione, quam solam diximus esse de essentia huius sacrificij, tria spectari possunt. Primo, destrœctio panis & vini facta in cultum & honorem Dei. Secundo, adductio seu præsentia Christi sub speciebus panis & vini, quæ etiam fit ad cultum & honorem Dei. Tertio, mystica mactatio, quæ fit per consecrationem utriusque speciei, quatenus ex vi verborum Corpus & sanguis Christi Sacramentaliter separantur, licet re ipsa coniuncta sint per naturalem concomitantiam. Est ergo quæstio, an consecratio habeat rationem sacrificij, quatenus est destrœctio panis & vini; an vero quatenus est adductio seu præsentia Christi; an denique, quatenus spectatur sub ratione mysticæ mactationis. Huic annexa est alia quæstio, an ad rationem sacrificij requiratur consecratio utriusque speciei, an sufficiat consecratio unius.

Aliqui putant, consecrationem cuiuscumque speciei per se sumptam, quatenus includit destructionem panis & adductionem Corporis Christi, aut destructionem vini, & adductionem sanguinis Christi sufficienter & essentialiter esse veram significationem; nulla habita ratione mysticæ mactatio

mæctationis. Ita Ruardus & Cassal. *toc. citatis.* Ratio, quia in consecratione vnius speciei non solum reperitur actio sacrificandi, sed etiam perfecta victima quæ sacrificatur & offertur, nempe Christus sub specie Sacramentali.

Aliqui contra sentiunt, consecrationem utriusque speciei necessariam esse, non quatenus est destrucción panis & vini, & adductio Corporis & sanguinis Christi, sed quatenus est mystica mæctatio, seu quatenus est expressa repræsentatio mortis & passionis Christi. Ita Alanus *lib. 2. de sacrificio, cap. 19. & 20.* quem sequitur Sebastianus Episc. Oxoniensis in tractatu de sacrificio, *cap. 11. & 14.* Ratio est, quia destrucción panis non potest per se pertinere ad essentiam sacrificij, cùm neque per se intenta sit, neque fiat ad placandum Deum, neque panis sit res principaliter oblatæ. Præsentia autem Corporis & sanguinis Christi pertinet ad rationem Sacramenti, quia ratio Sacramenti consistit in reali præsentia Corporis & sanguinis Christi sub speciebus Sacramentalibus. Ratio autem sacrificij debet esse distincta à ratione Sacramenti.

Supereft ergo ut essentia sacrificij consistat in mystica mæctatione, quæ supponit consecrationem utriusque speciei. Sed neutra opinio videtur sufficiens.

16 Dico ergo primo: Hoc sacrificium essentialiter includere consecrationem utriusque speciei sub ratione mysticæ mæctationis. Ita præter Alanum & Sebastianum citatos, Bellarm. *lib. 4. de Eucharistia, cap. 22.* Et fuit D. Thom. *quest. 80. art. 12. ad 3.* vbi dicit, repræsentationem Dominicæ Passionis in consecratione peragi; ideoque non posse Corpus sine sanguine consecrari. Et *quest. 83. art. 1.* vbi dicit, in mysterio Eucharistiae immolari Christum, quatenus continet expressam repræsentationem cruenti sacrificij. Vnde sic argumentor: Hoc sacrificium incruentum debet esse repræsentatio sacrificij cruenti. Ergo debet include-re consecrationem utriusque speciei, quatenus habet rationem mysticæ mæctationis, id est, quatenus expressè repræsentat mortem & Passionem Christi. Hoc sensu loquitur S. Augustinus in *can. Semel, de consecr. d. 2.* cùm ait: *Semel oblatus est Christus in seipso, & quotidie immolatur in Sacramento.* Et Ambrosius *ibidem cap. in Christo,* vbi dicit: *Hoc sacrificium*

492 CAP. XXV. DE SACRA MENTIS  
sacrificium esse exemplum illius, quo Christus in cruce  
oblatus est.

17 Dico secundo: hoc sacrificium essentialiter includere  
consecrationem, non modo sub ratione mysticæ mactatio-  
nis, sed etiam prout continet realem conuersionem pa-  
nis & vini in Corpus & sanguinem Christi. Ratio est, quia  
hoc sacrificium est reale. Ergo requirit consecrationem.  
Hæc autem realis sacrificatio non potest consistere in me-  
ra significatione & representatione. Ergo debet consistere  
in reali consecratione, quatenus simul est representativa  
mortis & passionis Christi:

Confirmatur à simili, quia sicut Sacramentum nouæ le-  
gis non est sola significatio, sed est res vel actio significans;  
ita sacrificium Missæ non est nuda repræsentatio mortis  
Christi, sed est consecratio, aut transubstantiatio repræ-  
sentans mortem seu passionem Christi.

Dices: Hæc similitudo solum probat externam prola-  
tionem verborum quibus fit consecratio, esse de essentia  
huius sacrificij, non autem occultam transubstantiatio-  
nem. Respondeo. Ex eo quod sensibilis consecratio est  
necessaria, sequitur etiam necessariam esse transubstan-  
tiationem, quatenus aliquo modo fit sensibilis per exter-  
nam consecrationem. Ratio est, quia mystica mactatio non  
fit per nuda signa, sed verè & realiter præsentando ac offe-  
rendo res illas, quæ mysticè separari dicuntur.

Hoc constat ex fide Catholica, quia fide credimus in  
hoc sacrificio Corpus & sanguinem Christi offerri non  
tantum significatiuè, sed verè & realiter. Ergo requiritur  
actio consecrandi non solum quatenus est externa & sen-  
sibilis, sed etiam quatenus facit Christum Dominum rea-  
liter præsentem.

---

### Q V A E S T I O VI.

*An sacrificium Missæ essentialiter differat ab omnibus  
aliis sacrificiis?*

1 **E**xposui haec tenus, in quo consistat essentia huius sa-  
crificij, tum ex parte rei oblatæ seu victimæ, tum  
ex parte actionis sacrificandi. Vnde hinc facile constabit  
an essen-

an essentialiter differat ab aliis sacrificiis. *Primo*, ab incruento sacrificio ultimæ cœnæ. *Secundo*, à cruento sacrificio Crucis. *Tertio*, à sacrificiis veteris Testamenti. Ulterius constabit, an sit essentialiter perfectius sacrificium illis omnibus.

*2. Prima Conclusio*: Sacrificium Missæ non differt specie & essentia, sed tantum numero, & accidentaliter à sacrificio ultimæ cœnæ. *Prīus patet*, quia illa duo sacrificia conueniunt tum ex parte rei oblatæ, tum ex parte actionis sacrificandi. Ergo conueniunt essentialiter. *Posterior probatur*, quia differunt in multis conditionibus accidentalibus. *Primo*, in qualitate rei oblatæ, quia in cœna Christus mortalis est oblatus: nunc autem offertur immortalis & gloriosus. Hæc differentia respectu sacrificij est accidentalis, quia nec substantiam rei oblatæ, nec dignitatem & valorem ipsius mutat.

*Secundo*, differunt in offerente proximo & immediato, quia in ultima coena Christus per se obtulit, nunc offert per Ministrum. Hæc etiam differentia accidentalis est, quia quando principale offerens est idem, tunc, siue per se, siue per Ministrum offerat, non variatur essentialiter actio sacrificandi seu offerendi, sed tantum accidentaliter. Poteſt enim dupliciter talis actio spectari. *Primo*, quoad valorem moralem. *Secundo*, quoad speciem & entitatem physicam. Neutro modo variatur essentialiter. Non *primo*, quia sicut largitio Eleemosynæ est eiusdem valoris, siue immediatè fiat à Domino, siue mediante famulo; sic etiam oblatio sacrificij; idque cæteris paribus. Nec *secundo*, quia actio sacrificandi nihil aliud est physicè, quam externa consecratio, & occulta transubstantiatio. Externa consecratio consistit in prolatione verborum, quatenus fit humana vox. Hæc autem prolatione est eiusdem rationis, siue fiat à Petro, siue à Paulo. Occulta transubstantiatio fit à solo Deo; ac proinde semper est eiusdem speciei secundum entitatem physicam.

*Tertio* differunt in effectu morali, quia sacrificium in ultima coena fuit meritorium & satisfactorium ex parte personæ Christi, nunc autem non est tale, quia persona Christi iam non est in statu merendi & satisfaciendi. Quamuis autem non sit satisfactorium, & meritorium ex parte

494 CAP. XXV. DE SACRAMENTIS  
parte personæ Christi , est tamen morale instrumentum,  
quo applicatur nobis effectus meriti Christi,& satisfactio-  
nis eius. Et hæc etiam differentia quoad priorem partem  
est tantum accidentalis,quia tantum oritur ex diuerso sta-  
tu principalis offerentis , ita tamen , vt seruetur quedam  
proportio, quia etiam nunc proximus offerens meretur &  
satisfacit per eam actionem ex opere operantis, si fuerit in  
statu gratiæ.

*Quarto* differunt in significando , quia Sacrificium vlti-  
mæ coenæ significabat mortem Christi futuram ; nunc au-  
tem significat præteritam. Hæc differentia non oritur ex  
parte signorum, sed ex statu, & conditione rei significatae.  
Nam quando signa consistunt in rebus , & non in verbis,  
tunc simpliciter rem repræsentant sine circumstantia tem-  
poris præteriti aut futuri. Sicut imago Crucifixi simplici-  
ter repræsentat Christum sine circumstantia temporis.

*Quinto* differunt, quia Sacrificium coenæ non fuit ima-  
go alterius Sacrificij incruenti, sed potius veritas respectu  
præteriorum Sacrificiorum , præsertim Melchisedechi ; &  
exemplar respectu nostri Sacrificij. Nostrum autem,quam-  
uis sit etiam veritas respectu antiquorum , est tamen vera  
imago , & repræsentatio Sacrificij coenæ. Hæc differen-  
tia est etiam accidentalis,quia spectat ad originem extrin-  
secamque causalitatem, non ad naturæ diuersitatem ; sicut  
filius est imago patris , & una imago potest esse exemplar  
alterius , licet sint eiusdem rationis.

*Sexto* differunt in circumstantiis temporis, loci , mate-  
riæ panis & vini , & in aliis similibus.

3 Secunda Conclusio : Sacrificium Missæ conuenit cum  
Sacrificio Crucis in re oblata , differt tamen in actione sa-  
crificandi , & in quibusdam aliis dicendis. Ita Tridentin.  
*sess.22.can.2.* *Prius* patet ex dictis,quia Christus est res oblata  
in utroque Sacrificio. *Posteriorius* probatur , quia Sacrifi-  
cium Crucis per realem Passionem & mortem oblatum  
est : nostrum autem per consecrationem, & per Transsub-  
stantiationem perficitur. Differunt ergo in actione sacri-  
ficandi.

Hinc oritur *secunda* differentia in mystica significatio-  
ne , quia Sacrificium Crucis non fuit repræsentatio , vel  
imago

imago alterius Sacrificij, sed potius prototypon omnium; nostrum autem est representatio illius.

*Tertio*, differunt in effectu, quia Sacrificium Crucis operatum est nostram redempcionem, quoad sufficientiam: nostrum autem applicat fructum illius, quoad efficaciam.

4 Quæres: An hæ tres differentiæ sint essentiales? Respond. duæ posteriores sine dubio sunt accidentales, vt colligitur ex præcedenti conclusione. De prima, quæ sumitur ex actione sacrificandi, potest dubitari, quia alijs putant esse accidentalem. *Primo*, quia non audent defendere hæc duo Sacrificia distingui specie & essentialiter, cùm Apostolus ad Hebræos per multa capita doceat in Ecclesia Christi non esse aliud Sacrificium præter illud, quod Christus obtulit, id est, non esse aliud specie, & essentia distinctum, quamvis sit aliud numero & accidentaliter distinctum. *Secundō*, quia essentia Sacrificij potissimum sumenda est ex re oblata, & ex motiuo offerendi. Sed in his non differunt hæc duo Sacrificia. Ergo non differunt essentialiter. Ergo illa differentia, quæ sumitur ex actione sacrificandi, est accidentalis. Maior patet, quia Sacrificium est actus Religionis. Ergo ex obiecto & motiuo debet sumere speciem atque essentiam.

Alij contrà sentiunt esse differentiam essentiale, & allata argumenta non conuincere. *Primo*, quia Apostolus solum docet in Ecclesia Christi non esse aliud Sacrificium oblatum ad perficiendam nostram redempcionem præter id quod Christus obtulit. Quod verissimum est. *Secundo*, quia si allata ratio probaret actionem sacrificandi nihil facere ad differentiam; probaret etiam rem oblatam nihil ad eam facere.

Quod sic ostendo, quia actus virtutis sumit speciem suam ex motiuo operandi, non autem ex obiecto materiali, circa quod versatur. Sed Sacrificium est actus virtutis. Ergo non sumit suam speciem ex re oblata, quæ sacrificatur, sed ex motiuo offerendi. Maior patet, quia actus Eleemosynæ non sumit diuersam speciem ex diuerso obiecto materiali, v. g. ex pecunia, pane, vino, &c. Sed ex diuerso motiuo virtutis. Si enim fiat ex motiuo misericordia,

496 C A P . X X V . D E S A C R A M E N T I S  
ricordiæ , erit essentialiter actus misericordiæ . Si ex mo-  
tivo charitatis , erit essentialiter actus charitatis , & sic  
deinceps.

Hinc vterius sequeretur nostrum Sacrificium non dif-  
ferre specie ac essentia à veteribus , si sub eodem motivo  
virtutis consideretur ; quod tamen videtur absurdum , quia  
nostrum Sacerdotium essentialiter differt à veteri Sacer-  
dotio.

Ego verò respondeo cum distinctione , quia Sacrificium  
potest duplicitate spectari . *Primo* , quatenus est actus vir-  
tutis . *Secundo* , quatenus est externum , & sensibile signum  
in Dei cultum & honorem ordinatum . Si priori modo  
spectetur , tunc certum est Sacrificia non differre specie ,  
quando est idem motiuum offerendi . Nam imperatus actus  
virtutis sumit suam speciem essentialiē ex motiuo ope-  
randi , ut benè dictum est . Si posteriori spectetur modo ,  
dicendum est Sacrificij essentiam pendere , tum ex re sen-  
sibili , quæ offertur , & ad significandum proponitur ; tum  
etiam ex actione & ritu sacrificandi . Hoc modo essentia-  
liter differunt Holocasta nouæ & veteris legis , tametsi  
in motiuo virtutis possint conuenire , quia & res oblata , &  
actio sacrificandi est diuersa . Eodem modo essentialiter  
inter se differunt Sacra menta nouæ legis ; quia licet ex  
eodem motiuo possint conferri , aut suscipi ; tamen ex par-  
te materiae sensibilis , & externæ actionis diuersa sunt .

5 Tertia Conclusio . Sacrificium Missæ differt essentialiter  
à veteribus Sacrificiis , si hæc spectentur , quatenus  
sunt externa , & sensibilia signa ad cultum Dei ordinata .  
Ac *primo* , differunt in re oblata . *Secundo* , in actione Sa-  
crificante . *Tertio* , in principali offere nte , quia olim Aaron ,  
nunc Christus est . *Quarto* , in valore & efficacia ; quæ om-  
nia patent partim ex dictis , partim etiam ex dicendis .

Ex dictis colligitur sacrificium Missæ essentialiter per-  
fectius esse omnibus sacrificiis antiquæ legis ; non tamen  
essentialiter perfectius esse Sacrificio coenæ & crucis , quia  
conueniunt in principali re oblata .

## P V N C T V M VIII.

*An Sacrificium Missæ essentialiter differat à  
Sacramento Eucharistie?*

1. **C**erta sunt duo. *Primo*, eandem esse actionem realem in utroque mysterio; quia est una eademque actio, qua conficitur Sacramentum Eucharistie, & qua sit consecratio, seu oblatio Sacrificij. *Secundo*, utrobique esse eundem terminum actionis, nimirum Christum sub specie panis & vini. Quæritur ergo an sit etiam una eademque essentia utriusque Mysterij, an potius alia sit ratio, seu essentia Sacrificij, & alia Sacramenti. Deinde, si sint duas rationes seu essentiæ distinctæ, utra earum sit prior ordine temporis, naturæ & perfectionis.

2. **P**rima Conclusio. Essentia sacrificij Missæ distincta est ab essentia Sacramenti Eucharistie. *Primo*, quia essentia Sacrificij partim consistit in actione sacrificandi, partim in victimâ sacrificata & oblata. At essentia Sacramenti Eucharistie nullo modo consistit in actione, sed in sola re permanente, quæ resultat ex actione. *Secundo*, Essentia sacrificij Missæ requirit consecrationem utriusque speciei ad representandam mortem & Passionem Christi. At essentia Sacramenti saluatur sub una etiam specie. *Tertio*, Sacrificium per se & immediate ad cultum Dei ordinatur: Sacramentum autem ad nostram iustificationem.

3. **S**ecunda Conclusio. Essentia sacramenti prius tempore perficitur, quam essentia Sacrificij. Patet ex dictis, quia sacramentum essentialiter perficitur per consecrationem unius speciei; at Sacrificium per consecrationem utriusque. Constat autem consecrationem unius speciei ordine temporis priorem esse consecratione utriusque speciei.

**Quæres**: An idem ordo seruetur in effectu sacramenti & Sacrificij? **Resp.** in effectu seruatur contrarius ordo. Nam effectus Sacrificij confertur peracta consecratione utriusque speciei: effectus autem sacramenti confertur in usu seu sumptione Eucharistie, quæ ordine temporis sequitur ipsam consecrationem. Et hoc clarum est.

4. **T**ertia Conclusio. Ordo naturæ seu causalitatis pos-

test esse duplex in hoc Mysterio, nempe intentionis & executionis. Ordine intentionis prior est ratio, seu essentia Sacrificij, quam sacramenti, quia principalius intenditur cultus & honor Dei, quam nostra utilitas. Vnde potestas Sacerdotalis primariò refertur ad Sacrificium Deo offerendum, & secundariò ad sacramentum confidendum. At ordine executionis essentia Sacrificij est posterior, quia ex parte rei oblatæ supponit totum id, quod pertinet ad rationem sacramenti, & ultra hoc requirit aliquid aliud ad rationem Sacrificij, nempe ma&gt;stationem mysticam & consecrationem utriusque speciei. Ergo supponit quodammodo rationem sacramenti in genere cause materialis.

5. Dices primo, ergo ratio Sacrificij essentialiter includit rationem sacramenti, quod est absurdum, quia sunt duas rationes specificæ, quarum una non potest aliam includere, aut contrahere, Resp. Si Sacrificium sumatur pro re oblata, tunc includit rationem sacramenti, & aliquid superaddit. Si sumatur pro actione sacrificandi, tunc non includit rationem sacramenti, sed tamen dicit ordinem & respectum ad sacramentum Eucharistiae, tanquam ad rem oblatam & sacrificatam, idque sub utraque specie.

6. Dices secundo, hinc sequitur sacramentum Eucharistiae posse re ipsa separari à Sacrificio per intentionem consecrantis; quia, si sacrificium supponit rationem sacramenti, & aliquid superaddit, poterit Minister confidere sacramentum, & relinquere illud aliud, quod ulterius requiritur ad rationem sacrificij. Resp. hoc verum est, si Minister consecraret unam tantum speciem, quia tunc efficeret verum sacramentum, & non sacrificium. Si tamen consecraret utramque speciem, tunc non possit separare sacramentum à sacrificio, etiamsi intenderet separare. Nam sicut ex institutione Christi, necessario connexum est sacramentum cum effectu sacramenti in subiecto sufficienter disposito; adeo ut Minister sua intentione non possit impedire effectum sacramenti, si velit efficere sacramentum: Sic etiam consecratio utriusque speciei & actio sacrificandi connexa sunt, ut alterum sine altero non possit existere.

existere. Vnde si Minister velit consecrare vtramque speciem, necessario debet offerre sacrificium, etiam si actu cogitet se id nolle facere.

Et ratio, quia quicquid hic facit Minister, hoc facit in Persona Christi, sed intentio Christi est, ut per consecrationem vtriusque speciei offerat seipsum Deo ad representandam suam mortem. Ergo, quando Minister operatur in persona Christi, totum id præstat, quod Christus intendit. Ergo per suam priuatam intentionem non potest separare unum ab alio, sed vel vtrumque facere vel neutrum. Si enim intendit agere in persona Christi, totum facit; si non intendit, nihil facit.

7. Quarta Conclusio. Dignitas & perfectio vtriusque Mysterij dupliciter spectari potest. *Primo*, physicè, seu in esse rei. *Secundo* moraliter, seu in esse virtutis. Si priori modo comparatio fiat, tunc est eadem dignitas sacrificij Missæ & Sacramenti Eucharistiae tam ex parte actionis, quam terminis; quia vtrobique est eadem actio & idem terminus actionis, ut supra dixi. Si posteriori, tunc maior perfectio est Sacrificij, quam Sacramenti; quia melius est in ratione virtutis confidere Eucharistiam ad Dei cultum & honorem, quam ad nostram utilitatem.

8. Dices *Primo*, Sicut Sacrificium ordinatur ad cultum & honorem Dei, sic etiam Sacramentum. Rursum, sicut Sacramentum ordinatur ad nostram utilitatem, sic etiam Sacrificium. Ergo vtrobique est par ratio. Imò plus prodest nobis Sacramentum, quam Sacrificium, quia per Sacramentum confertur gratia iustificans ex opere operato, non autem per Sacrificium. Resp. Sacrificium per se & principaliter ordinatur ad cultum & honorem Dei, secundariò autem ad nostram utilitatem. At contrà fit in Sacramento, quia hoc per se institutum est ad nostram sanctificationem, & consequenter ad Dei Gloriam. Vnde per se & ex vi institutionis præstantius est Sacrificium in ratione virtutis, quam Sacramentum.

Nec obstat, quod Sacramentum fortasse plus profit nobis, quam Sacrificium, quia hoc non pendet ex perfectione & honestate actionis, sed ex voluntate & institutione Christi, qui voluit & instituit; ut per actum minus præstan-

rem ratione virtutis daretur maior effectus. Et hoc potest facere. Sicut fit in aqua Baptismi, cùm aqua per se sit vile Elementum. Quanquam adhuc dubium est an maior effectus sit sacramenti, quām sacrificij, de quo postea.

9. Dices *Secundo*, sacrificium ordinatur ad vsum sacramenti, tanquam ad suum finem. Finis autem est perfectior quām medium ad finem. Ergo sacramentum est perfectius, quām sacrificium. Resp. Sacrificium per se primariò ordinatur ad cultum & honorem Dei ; per accidens autem & secundariò ad vsum sacramenti. Deinde sēpe fit ut res magis perfecta ordinetur ad minus perfectam ; quo pacto Incarnatio V E R B I ordinatur ad nostram redemptionem, quæ per se minor est, cùm consistat in salute aliquot hominum.

### Q V A E S T I O I X.

*Quis sit principalis offerens in sacrificio Missæ?*

1. **H**oc etiam aliquo modo spectat ad essentiam huius sacrificij explicandam, quæ, tametsi potissimum consistat, tum in actione sacrificandi, tum in re oblata ; tamen suo modo pendet etiam à principali offerente.

Ratio *Prima*, quia actio sacrificandi non solum à re oblata, sed etiam à principali offerente habet suum valorem ac dignitatem. *Secundo*, quia cùm sacrificium & Sacerdotium sint essentialiter connexa, non potest perfectè explicari tota ratio sacrificij, nisi constet de principali Sacerdote, qui ad illud offerendum ordinatur. Est ergo quæstio, quis sit principalis offerens in sacrificio Missæ, Bellarm. l. 2. de *Missæ*, cap. 4. distinguit triplicem offerentem, nempe Christum. Ministrum & ipsam Ecclesiam. Addit Christum esse primarium Sacerdotem, & offerre per alios Sacerdotes, tanquam per ministros ; Ecclesiam autem offerre ut populum per ipsum Sacerdotem.

2. Prima Conclusio. Christus est summus Sacerdos, qui principaliter offert sacrificium Missæ in Ecclesia per Sacerdotes alios ut Ministros. Ita D. Thom. q. 82. art. 7. ad 3. & q. 83. a. 1. ad 3. Et Conc. Lateranen. in c. Firmiter. de Summa Trinit. & fide cathol. vbi dicit Christum in hoc Mysterio simul

simul esse Sacerdotem & sacrificium. Et Trident. *sess. 22.*  
*cap. 1. & 2.* vbi dicit eundem Christum , qui in cœna &  
cruce obtulit , esse in hoc Mysterio principalem offeren-  
tem ; ac proinde oblationem hanc esse mundam,nec pro-  
pter Sacerdotum offerentium iniquitatem posse inqui-  
nari.

Probatur *primo*, ex Hebr.7. v.17. vbi Paulus dicit Christum esse Sacerdotem æternum secundum ordinem Melchisedech ; quia scilicet perpetuò sub specie panis & vini offert sacrificium per suos Ministros. Hoc sensu distinguit Apostolus inter legem nouam & veterem ; quod in illa plures essent Sacerdotes offerentes , quorum unus alteri succedebat ; nunc autem unus sit Sacerdos, qui nullos habeat successores, sed tantum Ministros.

*Secundo*, probatur ratione, quia sacrificium Missæ,sicut ex parte rei oblatæ est mundum & purum ; sic etiam ex parte principalis offerentis debet esse tale. Ergo principalis offerens non potest esse homo obnoxius peccatis , sed solus Christus,qui nunquam fecit peccatum. Confirmatur, quia sacrificium consistit partim in actione offerendi,partim in re oblata. Ergo ut sit omnino purum & sanctum, non satis est, quod res oblata sit pura, sed præterea requiritur ut persona offerens sit pura ; quia alioqui actio offerendi non esset omnino pura.Huc refertur illud Malach.1.  
v. 11. *In omni loco sacrificatur & offertur Nomini meo oblato munda* ; non solum ex parte rei oblatæ , sed etiam ex parte principalis offerentis , non tamen ex parte aliorum hominum offerentium.

*3.* Hinc patet discrimen inter sacrificia vetera & nostrum. Nam illa poterant esse polluta & immunda dupliciter. *Primo* ex parte rei oblatæ , secundum Malachiam,  
*v.1. v.8.* *Si offeratis cœcum ad immolandum, nonne malum est?* *Secundo* , ex parte principalis offerentis , secundum Esa.  
*cap.1. vers.13.* *Ne offeratis ultra sacrificium frustra , incensum abominatio est mihi : Manus enim vestra sanguine plena sunt: lauamini, mundi estote, &c.* At nostrum sacrificium nec ex parte rei oblatæ , nec ex parte principalis offerentis potest esse immundum,quia Christus simul est res oblata & principalis offerens.

Quod autem aliquando Ministri Christi sint immundi, hoc non obest sacrificio, quia oblatio illius semper fit in persona Christi.

Quæres autem, quo sensu dicatur Christus esse principalis offerens in sacrificio Missæ: an quia ipse sacrificium hoc instituit? an verò, quia tota vis & efficacia huīus sacrificij fundatur in meritis Christi; an potius, quia Christus per Humanitatem physicè concurrit ad actionem sacrificandi? an denique, quia Sacerdos in persona Christi offert & consecrat? Respondeo per sequentes conclusiones.

4. Secunda Conclusio. Non ideo Christus dicitur præcisè principalis offerens, quia ipse hoc sacrificium instituit in memoriam suæ Mortis ac Passionis. *Primo*, quia aliud est instituere sacrificium, & aliud offerre. Deus instituit Mosaica sacrificia; non tamen ideo fuit principalis offerens. *Secundo*, quia hoc non est satis, ut oblatio sit munda & Deo grata ex parte offerentis. Nam Mosaica sacrificia erant à Deo instituta, & tamen quando ab iniquis offerebantur, non erant grata & munda. Ergo ad munditiam illorum non sufficit institutio, sed requiritur mundities offerentis.

*Tertio*, quia sacrificium Crucis dicitur habere infinitum valorem à principali offerente. Hoc enim non potest dici ratione solius institutionis. Ergo ratione oblationis. Minor patet, quia Mosaica sacrificia, tametsi essent à Deo instituta, non tamen habebant infinitum valorem.

5. Tertia Conclusio. Nec ideo præcisè dicitur Christus principalis offerens, quia virtus & efficacia huīus sacrificij fundatur in meritis Christi. Hoc enim non sufficit ad rationem offerentis.

*Primo*, quia sacrificia Mosaica habuerunt etiam vim suam ex meritis Christi, & tamen non idcirco Christus erat principalis offerens in veteri lege.

*Secundo*, quia virtus & efficacia Baptismi & aliorum sacramentorum fundatur etiam in meritis Christi, nec tamen Christus est principalis Minister Baptismi.

*Tertio*, quia Deus posset instituere aliquam obligationem

cū

cum æquali efficacia, non ex meritis Christi, sed ex solo suo beneplacito; & tamen Deus non ideo diceretur principalis offerens.

*Quarto*, quia sacrificium Missæ dicitur esse æquale sacrificio Cœnæ & Crucis ex parte offerentis. At hæc duo non fuerunt infiniti valoris, quia niterentur meritis Christi infinitis; sed potius contraria, quia persona offerens erat infinita, ideo ipsa sacrificia erant infiniti meriti & valoris.

6. *Quarta Conclusio.* Nec ideo præcisè dicitur Christus esse principalis offerens in hoc sacrificio, quia per suam Humaniratem, tanquam per instrumentum Divinum physicè concurrit ad actionem sacrificandi. *Primo*, quia multi negant hunc physicum concursum, & vix defendi potest. *Secundo*, quia Deus non solùm physicè, sed etiam principaliter efficit actionem Transubstantiationis, & tamen non ideo censetur principalis offerens.

*Tertio*, quia physicè loquendo plus facit Minister, quam Christus. Nam Minister per actionem physicam concurrit principaliter ad prolationem verborum, quibus fit consecratio; quod Christus non facit. Si ergo hoc non sufficit Ministero, ut dicatur principalis offerens, multò minus sufficiet Christus secundum eius sanctissimam Humanitatem.

7. *Quinta Conclusio.* Ideo dicitur Christus principalis offerens in sacrificio Missæ, quia Minister offert in persona Christi. Nam Minister in hoc Mysterio se gerit sicut legatus Principis, qui sustinet & repræsentat personam Principis. Ita Diuus Thomas *in locis citatis*, dicens Sacerdotem consecrare in persona Christi, & illius vicem gerere. Et Cyprianus *Epist. 63. vbi* sic habet: *Sacerdos in altari vice Christi fungitur.*

Ratio est, quia hoc sufficit ad rationem principalis offerentis. Nam qui dat Eleemosynam per famulum, recte dicitur principalis donans, & illa donatio erit Deo grata, si donans sit iustus, etiamsi famulus sit iniquus. Ergo similiter dicendum est in proposito.

8. *Sexta Conclusio.* Solus Sacerdos, qui legitimè ordinatus

504 CAP. XXV. DE SACRAMENTIS  
ordinatus est, potest legitimè & validè offerre sacrificium  
Missæ in persona Christi. Probatur *primo*, ex Concilio Ni-  
cæno *can. 14.* vbi negat Diaconum habere potestatem of-  
ferendi hoc sacrificium. Ergo multo minus hanc potesta-  
tem habent alij qui sunt Diacono inferiores.

*Secundo ratione*; quia sacrificium & Sacerdotium ne-  
cessariò connexa sunt. Ergo vbi est propriè dictum sa-  
crificium, ibi requiritur propriè etiam dictum Sacerdo-  
tium.

9. Quæres: An quilibet Sacerdos legitimè ordinatus  
possit legitimè offerre in persona Christi? Aliqui putant  
eos solos id præstare posse, qui sunt ab Ecclesia tolerati,  
non autem excommunicatos, suspensos, depositos, degra-  
datos, schismaticos, hereticos. Hos enim nec legitimè nec  
validè offerre sacrificium, etiam si conentur id facere. Ita  
*Magister in 4. dist. 13.* *Gratianus in cap. quod quidem 1. qu. 1.*  
*Guilielmus Parisiensis in trattatu de sacramento Ordinis.*  
*Quibus fauet Scotus in 4. dist. 13. quest. 2.* Ratio Gratiani  
est, quia Patres docent extra Ecclesiam non esse verum  
sacrificium. Sed omnes Sacerdotes qui non tolerantur ab  
Ecclesia, sunt extra illam. Ergo non offerunt verū sacri-  
ficium.

Respondeo, hæc sententia potest habere triplicem sen-  
sum. *Primus* est, Sacerdotes præcisos ab Ecclesia non posse  
validè consecrare sacramentum Eucharistiae, & conse-  
quenter non posse validum sacrificium offerre. Hic sen-  
sus est falsus, quia consecratio facta à vero Sacerdote  
cum debita materia, forma & intentione, semper est  
valida.

*Secundus* est, Sacerdotes præcisos ab Ecclesia, licet pos-  
sint validè consecrare & Sacramentum Eucharistiae confi-  
cere; non tamen posse eam consecrationem efficere sub  
ratione Sacrificij, quia ad rationem Sacrificij necesse est  
ut offeratur à Sacerdote, tanquam à Ministro publico &  
mediatore inter Deum, & populum. Sacerdos autem  
præciosus non potest esse mediator inter Deum & popu-  
lum, quia nemo potest hoc facere nisi consentiente popu-  
lo. At populus non consentit ut Sacerdos præciosus ab Ec-  
clesia id faciat.

Hic

Hic sensus est etiam falsus, quia omnis Sacerdos, quamuis ab Ecclesia praecisus, potest validum sacrificium efficere, tametsi licet & legitime non faciat. Ita D. Thom. quest. 82. art. 7. Et 8. Ratio est, quia potestas ordinis est indelebilis. Ergo manet in Sacerdotibus ab Ecclesia praecisis. Ergo validè possunt Sacrificium offerre, licet peccent offerendo.

*Tertius* est, Sacerdotes praecisos ab Ecclesia non posse offerre Sacrificium ut Ecclesiæ ministros, & in persona ipsius Ecclesiæ; licet possint offerre ut Ministri Christi, & in persona Christi. Hic sensus potest esse verus si bene explicetur. Nam *primo*, certum est tales Sacerdotes habere characterem, seu potestatem offerendi Sacrificium in Persona Christi; ac proinde si offerant, validum esse Sacrificium. Hanc enim potestatem habent vi ordinis, quam nunquam amittunt. *Secundo* certum est, eosdem Sacerdotes non posse offerre Sacrificium in persona Ecclesiæ, nisi ex commissione Ecclesiæ. Ergo si ab Ecclesia praecisi sunt, non consentur habere commissionem Ecclesiæ.

Vbi nota totum officium Missæ constare partim ex substantia sacrificij; partim ex orationibus & ceremoniis. Vnde licet totum fiat à Sacerdote ut à publico ministro, non tamen eodem modo. Nam in substantia Sacrificij gerit personam Christi; in aliis personam Ecclesiæ. Igitur Ecclesia non potest illum priuare potestate quam habet ex commissione Christi, potest tamen priuare potestate quam habet ex commissione Ecclesiæ, quod fit per censuras Ecclesiasticas.

*10.* Quod autem obiicitur ex Patribus, extra Ecclesiam non esse verum Sacrificium, potest dupliciter exponi. *Primo*, non esse Sacrificium verum, id est, non esse efficax & fructuosum, sive offerentibus, sive cooperantibus. Ita exponit glossa in capit. extra Ecclesiam 1. quest. 1. & D. Thom. quest. 82. art. 7. ad 3. Vbi sic habet: *Si Sacerdos ab unitate Ecclesiæ praecisus Missam celebret, quia potestatem Ordinis amittit, consecrat verum Corpus & Sanguinem Christi: Sed quia est ab Ecclesiæ unitate separatus, orationes eius efficaciam non habent.*

*Secundo* exponi potest, non esse Sacrificium verum ex-

506 CAP. XXV. DE SACRAMENTIS  
tra Ecclesiam, id est, extra ritum quem seruat Ecclesia,  
vel, ut loquitur glossa *loco citato*, extra formam Ecclesiae  
ipsius.

II. Septima Conclusio. Ecclesia seu fideles, qui sunt in Ecclesia, dicuntur etiam suo modo offerre Sacrificium. Ut docet Rupertus lib. 2. de diuinis Officiis, cap. 6. Rabanus lib. 1. de inst. Cler. cap. 32. Augustinus 10. ciuit. 20. & alij. Et probatur primo, quia populus fidelis in veteri Testamento dicebatur offerre Sacrificium. Ut Exod. 5. v. 1. dicitur: *Hec dicit Dominus Deus Israël; Dimittite populum meum, ut sacrificet mibi in deserto.* Num. 26. v. 3. Hæc sunt sacrificia quæ offerre debetis. Luc. 23. v. 36. *Offeretis Holocaustum Domino.* Idem patet exemplo Saulis, Dauidis, Salomonis, & aliorum, qui leguntur obtulisse, non per se, sed per Sacerdotem, ut explicat S. Augustinus in libro quæstionum veteris Testamenti, in quæst. 46.

Secundo probatur ex canone Missæ, præsertim ex illis verbis: *Et omnium circumstantium, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt.* Item ex illis: *Hanc igitur oblationem seruitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ.*

Tertio probatur ratione, quia sacrificium ex natura sua est cultus publicus & solennis totius populi; ac proinde nomine totius populi exhibetur Deo per Sacerdotem.

12. Quæres: Quo sensu dicatur populus offerre sacrificium? Ratio dubij est, quia nullo modo videtur populus concurrere ad sacrificandum. Vel enim concurrit actu interno, per internam deuotionem; vel externo, per externam oblationem. Posterius falsum est. Prius non sufficit, quia sacrificium est oblatio visibilis & externa. Ergo solo affectu interno non potest perfici.

Respondeo primo, populus in veteri Testamento dicebatur duplici sensu offerre. Primo, quia offerebat materiam sacrificij; ut oves, capras, turtures, &c. Vnde S. Augustinus *loco citato* sic habet: *Ipse enim semper dicitur offerre, cuius oblationes sunt, quas super altare imponit Sacerdos.* Secundo, quia Sacerdos nomine illius qui adferebat materiam, Deo sacrificabat, ut illi prodeisset. Vnde Augustinus *ibidem* ait: *Quamvis proprio Sacerdos fungatur officio, ille*

tamen offerre dicitur, cuius nomine agit Sacerdos; ipsi enim imputatur cuius munera offeruntur.

Respondeo secundo, Fideles in nouo Testamento dicuntur triplici sensu offerre. Primo, generali quadam ratione; quia sunt membra Ecclesiæ, cuius nomine Sacerdos offert. Nam totum corpus Ecclesiæ, quatenus Sacerdotem offerentem includit, rectè denominatur offerens, quia offert per membrum suum tanquam per instrumentum ad id deputatum. Secundo, speciali ratione, quia non solum sunt membra Ecclesiæ, sed etiam exterius cooperantur Sacerdoti sacrificanti, quod fit petendo, vel procurando sacrificium, dando stipendum, vel elemosynam Sacerdoti, inferiendo sacrificanti. Tertio, quia interno affectu consentiunt sacrificio, & petunt esse participes fructuum illius.

## QVÆSTIO X.

*An sacrificium Missæ sit propitiatorium?*

1. Explicata hactenus est essentia huius sacrificij, nunc qualitas explicabitur. Quæritur ergo, quale sit sacrificium. Dixi supra in veteri Lege fuisse quatuor genera sacrificiorum. Primo, λατρευτικόν, seu honorarium, quod solum fiebat ad Deum colendum. Secundo, Εὐχαριστία, quod præter Dei cultum fiebat in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis. Tertio, impetratorium, quod fiebat pro beneficiis accipiendis. Quartο, propitiatorium, quod fiebat ad placandum Deum pro commissis peccatis. Primus vocari solet Holocaustum. Secundum & tertium, Hostia pacifica. Quartum, Hostia pro peccato. Nunc quæstio est sub quo genere comprehendatur sacrificium Missæ. Catholici docent ad omnia reuocari posse. Lutherani & Calvinistæ concedunt reuocari posse ad λατρευτικόν, & Εὐχαριστίαν, ( tametsi negent esse sacrificium propriè dictum ) non tamen ad propitiatorium & impetratorium.

2. Prima Conclusio: Sacrificium Missæ potest esse latreuticum, seu honorarium, quia potest offerri ad solum cultum & honorem Dei, sicut oīlī holocausta offerebantur. Hoc loco nulla est difficultas.

3. Secunda

3. Secunda Conclusio : Potest etiam esse Eucharistum, seu laudis & gratarum actionis, ut S. Augustinus in *Enchiridio*, cap. 110. docet, quia potest offerri in gratarum actionem pro accepto beneficio passionis Christi. Idem August. lib. 1. contra aduersarium Legis, & Prophetarum, cap. 18. circa illud Psalm. 49. vers. 23. Sacrificium laudis honorificabit me. Vbi sic ait : *Quod est autem sacratus laudis sacrificium, quam in actione gratarum? & unde maiores Deo agende sunt gratiae quam pro ipsis gratia per Christum?* *Quod totum fideles in Ecclesie sacrificio faciunt, cuius umbra faciunt omnia priora genera sacrificiorum.*

4. Tertia Conclusio : Similiter potest esse sacrificium propitiatorium pro peccato, ut docet Concil. Trident. sess. 22. cap. 2. & can. 3. Et passim antiqui Patres, præsertim qui Liturgias scripsere. Iacobus Apostolus in *Liturgia*, ait : *Oferimus tibi incutendum sacrificium pro peccatis nostris & ignorantibus populi.* Basilius in *Liturgia*, ait : *Effice nos dignos, qui offeramus hoc sacrificium reverendum ad abolenda delicta nostra, & pro piaculo populi tui.* Chrysostomus in *Liturgia* : *Idoneos nos redde ad offerenda tibi sacrificia pro peccatis nostris, & populi ignorantibus.* August. q. 57. in *Leuit.* ait : *Illi sacrificiis, (antiquis) quæ pro peccatis offerebantur, unum hoc sacrificium significabatur, in quo verè sit remissio peccatorum.* Similia habent alij Patres.

Probatur tribus argumentis. Primùm sumitur ex veteribus sacrificiis propitiatoriis, quæ fuerunt figuræ nostri sacrificij. Ergo sicut illa offerebantur pro peccatis; ita & nostrum offerri potest; alioqui figuratum non responderet suæ figuræ. Confirmatur, quia nulla causa assignari potest, cur, si illa fuerint propitiatoria, nostrum esse non possit.

Nam primo nostrum est verè ac propriè dictum sacrificium non minus, quam illa, ut supra probauit. Secundo, est commemoratiuum passionis Christi non minus quam illa. Tertio, continet Hostiam Deo gratiorem quam illa. Cur ergo non æquè, vel magis sit propitiatorium quam illa?

5. Dices cum Caluſiſtis, quia iam non indigemus sacrificio propitiatorio, sicut olim indigebant in veteri Testamento;

ſtamento, quia ſacrificium Crucis abundē ſuffecit pro tollendis omnibus peccatis. Respondeo. Sicut ſacrificium Crucis, quod singulari quodam modo eſt propitiatorium, non impediuit, quo minus vetera ſacrificia ſuo modo fuerint propitiatoria; ſic etiam non potest impedire quo minus ſacrificium Miffæ fit propitiatorium. Nam ſacrificium Crucis habuit vim ſuam ab initio mundi; & habebit vi-que ad mundi consummationem. Ergo ſi impediret ſacrificium noſtrum, quo minus eſſet propitiatorium, impediuiſſet etiam vetera; vel, ſi illa non impediuit, nec noſtrum impedire debet.

6. Dices ſecundo: Vetera ſacrificia non erant verè propitiatoria, quia non habebant vim tollendi peccata & placandi Deum, ſed ſolū dicebantur propitiatoria, quia repræſentabant ſacrificium Crucis, quod eſt verè propitiatorium. Ergo idem dicendum eſt de ſacrificio Miffæ. Respondeo, & ſacrificium Miffæ, & ſacrificium Crucis & ſacrificia vetera dicuntur verè propitiatoria, licet non eodem modo & æquè perfecte. Nam vetera erant propitiatoria, non ſolū quia repræſentabant ſacrificium Crucis, quod eſt verè propitiatorium, ſed etiam quia vim habebant ad expiandas maculas legales & placandum Deum, quoad poenias temporales. ſacrificium autem Crucis fuit perfecte propitiatorium, quia exhibuit ſufficientiſſimum preium ad placandum Deum, & redimenda omnia peccata.

Sacrificium Miffæ dicitur etiam perfecte propitiatorium, quia applicat illud preium quod in ſacrificio Crucis oblatum eſt.

7. Secundum argumentum ſumitur ex verbis institu-tionis Matth. 26. v. 28. *Hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis ef-funditur in remiſſionem peccatorum.* Et Luc. 22. v. 20. iuxta Græcum textum: *Hoc eſt poculum nouum testamentum in meo ſanguine, quod pro vobis funditur.* Ex his verbis colligo Eucharistiam institutam eſſe ad peccati remiſſionem, quod etiam fatentur Lutherani; licet non Caluinistæ, qui te-xtum corrupuerunt. Vel ergo hoc illi conuenit, ut ſacrifi-cium eſt, vel ut sacramentum eſt. Non posterius, quia ut sacramentum eſt, non habet ex institutione vim tollendi peccata.

peccata, sed nutriendi & conseruandi vitam spiritualem. Ut enim sacramentum est, non prodest, nisi sumenti; sumens autem debet scipsum probare antequam accedat. Quia si accederet cum conscientia peccati mortalis, iudicium sibi manducaret & biberet. 1. Cor. 11. v. 29.

Sequitur ergo Eucharistiam habere vim tollendi peccata & placandi Deum quatenus sacrificium est, non quatenus sacramentum est.

Tertium argumentum sumitur ex illo Hebr. 5. v. 1. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his, quae sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis.* Vbi docetur præcipuum munus Sacerdotis esse offerre sacrificium pro peccatis. At in Lege noua est perfæctissimum Sacerdotium. Ergo debet illi respondere sacrificium propitiatorium pro peccatis.

9. Quarta Conclusio: Sacrificium Missæ est etiam impetratorium, ut patet ex Liturgiis Iacobi, Clementis, Basili & Chrysostomi, in quibus memoremur inter offerendum orare pro pace, & copia fructuum, & aliis beneficiis temporalibus. Idem docent alij Patres. Tertullianus in lib. ad Scapulam, sic habet: *Sacrificamus pro salute Imperatoris.* Cyriillus catech. 5. mystag. ait: *Super ipsa propitiationis Hostia obsecramus Deum pro communi Ecclesiæ pacem, pro tranquillitate mundi, pro Regibus & Militibus, pro ægrotis & afflictis, & in summa pro omnibus, qui egerint auxilio.* August. 22. cinctus. 8. egregium hoc dictum habet: *Vnus ex Presbyteris obtulit ibi (in domo infestata à Dæmonibus) sacrificium corporis Christi, orans, quantum potuit, ut cessaret illa vexatio; & Deo protinus miserante cessauit.* Similia habent Chrysostomus hom. 18. in Acta Apostolorum. Gregor. hom. 37. in Evangelia. Beda lib. 4. hist. Angl. cap. 22.

Probatur primo ex veteribus sacrificiis impetratoriis, quæ fuerunt figuræ sacrificij Missæ. Dauid obtulit pacifica pro peste auertenda, & impetravit. 2. Reg. 24. vers. 25. Onias obtulit Hostiam salutarem pro vita Heliodori, quam & impetravit. 2. Machab. 3. vers. 32. Hebrei immolarunt Hostias pro vita Darij & eius filiorum. 1. Esd. 6. vers. 10.

Probatur secundo ex illo 1. Tim. 2. v. 1. *Obsecro fieri orationes,*

*tiones, postulationes & gratiarum actiones pro omnibus hominibus, ut quietam & tranquillam vitam agamus. Hunc locum exponunt Patres de publicis orationibus, quae sunt in Missa, afferentes Apostolum præcepisse, ut sacrificium etiam offerretur pro temporali pace & tranquillitate Ecclesiae; ut S. Augustinus epist. 59. ad Paulinum. Chrysost. Theoph. & Oecumenius in hunc locum. Et Ambros. l. 6. de sacramentis, cap. ult.*

*Tertio probatur ratione, quia si sacrificium Missæ potest placare Deum, ut condonet peccata inimicis suis; multò magis impetrabit à Deo, ut tribuat beneficia temporalia amicis. Et ex dictis concludo, omnes differentias veterum sacrificiorum uno Eucharistię sacrificio contineri; ut docet Trident. sess. 22. cap. 1. Augustinus lib. 1. contra aduers. leg. & proph. cap. 20. Chrysostom. in Psal. 95. Et Leo Papa serm. 8. de Passione Domini. Vnde etiam Ecclesia in Missa Dominicæ V I. post Pentecost. sic orat: Deus, qui legalium differentiam Hostiarum unius perfectione sacrificij sanxisti, &c.*

### QVÆTIO XI.

*An sacrificium Missæ habeat aliquem effectum  
ex opere operato?*

1. **A**gendum est de valore & effectu huius sacrificij, de quo Bellarm. l. 2. cap. 4. generatim ita sentit: *Primo*, sacrificium Missæ habere vim tum ex opere operantis, tum ex opere operato. *Secundo*, non tamen habere vim ex opere operato ad modum sacramentorum, quæ in genere causæ efficientis immediatè ad iustificandum concurrunt, sed per modum impetrationis; ita ut propria eius efficientia sit impetrare. *Tertio*, valorem illius esse finitum. Hæc omnia examinanda sunt. Et *primo* queritur, an hoc sacrificium habeat aliquem effectum ex opere operato.

2. Prima Opinio Scholaistica simpliciter negat. *Primo*, quia omnis effectus ex opere operato pendet ex Christi promissione. Sed nulla promissio legitur facta huic esse mysterio, quatenus sacrificium est, sed tantum quatenus

512 CAP. XXV. DE SACRAMENTIS  
tenus sacramentum. Secundo, quia Trident. tribuit singulis sacramentis proprios effectus ex opere operato; & nullum tribuit sacrificio Missæ ex opere operato. Tertio, omnis effectus huius sacrificij magis pendet ex voluntate offerentis, quam ex dignitate rei oblatæ. S. Thom. q. 97. a. 5. At effectus ex opere operato non pendet ex voluntate offerentis.

3. Secunda Opinio planè contrarium sentit, nempe hoc sacrificium ex opere operato conferre omnes effectus gratiæ, quos Christus per passionem suam nobis meruit; ac proinde causalitatem eius tam latè patere quam causalitatem sacrificij Crucis. Hoc dicunt hi Autores inter se, quod sacrificium Crucis operetur illos effectus quoad sufficientiam; sacrificium Missæ quoad efficaciam, seu applicationem.

Addunt aliqui Primo, cum hæc duo sacrificia Crucis & Missæ sint inter se æqualia, tam ex parte principalis offerentis, quam ex parte rei oblatæ, vnum ab altero non pendere in virtute operandi; sed esse tanquam duas causas vniuersales æquæ primarias in suo genere; quamvis ex voluntate Christi diuersum usum habeant, ut dixi, quia vnum ordinatur ad sufficientiam omnium effectuum gratiæ, alterum ad efficaciam. Secundo addunt sacrificium Missæ non operari immediate ex opere operato; sed tantum mediantibus sacramentis; ita ut sit vniuersalis causa quæ cum singulis sacramentis concurrat ad applicandos effectus gratiæ, quos Christus per sacrificium crucis meruit. Vide Catharinum Dominicanum, in opusculo de sacrificio Missæ. Cui fauet Ruardus Tapperus, artic. 16. Louaniensem, vbi sic habet: *Ad omnia valet sacrificium Altaris, ad quæ valuit victimæ Crucis.* Et D. Thom. in cap. 6. Ioannis, lection. 6. cùm ait: *Vtilitas huius sacramenti magna est & vniuersalis.* Magna quidem, quia cùm sit sacramentum Dominicæ passionis, continet in se Christum passum. Vnde quicquid est effectus Dominicæ passionis, totum etiam est effectus huius sacramenti. Nihil enim aliud est hoc sacramentum, quam applicatio Dominicæ passionis ad nos. Vniuersalis autem, quia vita, quam confert, non est vita solum vnius hominis, sed totius

totius mundi. Et paulò pōst : Alia Sacra menta habent singulares effectus ; sed in immolatione huius Sacramenti est vniuersalis effectus ; quia continetur in ipso causa vniuersalis omnium Sacramentorum, nempe Christus.

**4 Prima Conclusio :** In sacrificio Missæ, quantum ad va-  
lorem, & effectum attinet, tria spectari possunt. *Primo* id,  
quod habet ex vi actualis oblationis, vt est à Sacerdote  
tanquam proximo offerente. *Secundo* id, quod habet ex vi  
actualis oblationis, vt est ab ipso Christo tanquam princi-  
pali offerente. *Tertio* id, quod habet ex vi institutionis, aut  
promissionis Christi. *Primo* & *secundo* modo considera-  
tur, quatenus est actus virtutis. *Tertio*, quatenus est ex-  
ternus Dei cultus, quo profitemur diuinam Majestatem, &  
nostram subiectionem.

**5 Secunda Conclusio :** Oblatio huius sacrificij, qua-  
tenus est à proximo offerente, potest esse meritoria, sa-  
tisfactoria & impetratoria ex opere operantis, si pro-  
ximus offerens sit in statu gratiæ. Probatur, quia homo  
iustus, qui existit in statu gratiæ, potest per quodlibet bo-  
num opus mereri, satisfacere & impetrare, si adsit debita  
intentio. Sed oblatio huius sacrificij est opus bonum &  
religiosum. Ergo proximus potest per illam mereri, satis-  
facere & impetrare, sicut per alia bona opera, si sit in statu  
gratiæ.

Hoc interest, quod pro se tantum possit mereri de  
condigno ; satisfacere autem, & impetrare etiam pro aliis.  
Hæc generatim suppono ex materia de merito & satis-  
factione.

**6 Tertia Conclusio :** Oblatio huius sacrificij, quatenus  
est à Christo principali offerente, non est de nouo meri-  
toria vel satisfactoria ex opere Christi operantis, sed tam-  
en impetratoria. Probatur, quia Christus non est iam  
in statu merendi vel satisfaciendi, vt dictum est in materia  
de Incarnatione ; est tamen in statu orandi & impetrandi,  
sicut Hebr.7. vers.27. dicitur : *Semper viuens ad interpellan-  
dum pro nobis.* Ergo oblatio sacrificij, quatenus à Christo  
est, non habet rationem meriti aut satisfactionis, sed im-  
petrationis.

Dices : Hæc impetratio, & effectus eius pertinet ad  
K k opus

514 CAP. XXV. DE SACRAMENTIS  
opus operatum. Respondeo. Non ita est, quia opus operatum pendet ex promissione Christi. Hęc autem impretratio pendet ex actuali oratione, qua Christus impetrat nobis aliquem suę passionis effectum.

Dices: Ergo hic effectus non est omnino certus & infallibilis. Respondeo. Hoc concedi potest, quia non est omnino certum, Christum nunc in cęlo existentem actu coniungere orationem suam cum qualibet oblatione huius sacrificij, atque illam ad aliquid impetrandum referre seu ordinare. Est tamen certum posse ita fieri. Vnde est etiam verisimile aut semper, aut plerumque fieri. Quoties autem fit, semper habet infallibilem effectum ex opere operantis. Sicut, quoties homo iustus exercet opus meritorium, infallibiliter sortitur effectum ex opere operantis.

7 Quinta Conclusio : Oblatio huius sacrificij, quatenus est externum signum ad Dei cultum ordinatum, ex vi institutionis & promissionis Christi habet aliquem effectum ex opere operato, ut proxima causa illius. Est contra primam & secundam opinionem. Nam prima negat habere effectum ex opere operato. Secunda negat esse causam proximam illius effectus quem habet ex opere operato.

Probatur primo, quia hoc sacrificium ex vi institutionis habet singularem vim & efficaciam applicandi aliquem fructum passionis Christi, ut docet Concilium Tridentinum *sessione 22. can. 1. & 2.* Hęc autem applicatio includit causalitatem ex opere operato, quia fit ex vi institutionis Christi. Nam si solū fieret ex merito vel satisfactiōne operantis, nihil singulare haberet hoc sacrificium ex vi institutionis. Neque in hac parte superaret sacrificia Mosaica, quæ poterant similem effectum ex opere operantis, vel per modum impetrationis conferre.

Dices: Adhuc superat, quia sacrificium Missæ propter maiorem dignitatem plus potest impetrare quam Mosaica. Respondeo. Non solū debet superare in eo, quod ex opere operantis plus impetraret, sed potius in eo, quod ex peculiari institutione habet vim applicandi passionem Christi; ut patet ex Tridentino *locu citato*. Hoc autem pertinet

pertinet ad opus operatum , non autem ad opus solius  
operatoris.

Probatur secundo , quia fructus huius sacrificij non pen-  
det ex bonitate Ministri , ut passim docent Theologi . Ergo  
signum est dari ex opere operato . Si enim daretur ex ope-  
re operatoris , magis penderet ex sanctitate operatoris , quam  
eius pro quo offertur . Sicut fit in opere satisfactorio .

Dices : Fructus huius sacrificij ideo non pendet ex bo-  
nitate ministri , quia Christus est principalis offerens , cuius  
personam sustinet Minister ; ac proinde satis est , Christum  
esse sanctum ac iustum , ut sacrificium dicatur habere effec-  
tum ex opere operatoris . Respondeo . Effectus sacrificij  
Missæ non confertur ex eo , quod Christus tanquam prin-  
cipalis offerens de nouo satisfaciat , cùm non sit in statu sa-  
tisfaciendi : sed ex eo quod satisfactio Christi , quæ olim  
facta est , applicetur per sacrificium Missæ . Hæc autem ap-  
plicatio , ut sit certa & infallibilis , debet esse ex opere ope-  
rato , & ex vi institutionis .

Tertio probatur , quia sacrificium nouæ legis non de-  
bet esse minus perfectum in ratione sacrificij , quam Sa-  
cramenta in ratione Sacramenti . Sed omnia Sacramenta  
nouæ legis habent ex opere operato effectum . Ergo & sa-  
cificium .

Quarto probatur , quia si Sacrificium Missæ non prodest  
aliis , nisi ex opere operatoris , nulla erit differentia ex hac  
parte inter hoc sacrificium , & sumptionem Eucharistiaæ ,  
quia etiam sumptio potest hoc modo prodesse aliis , sicut  
& alia opera Religionis per impetrationem . At consequens  
falsum est , quia omnes docent sacrificium Missæ posse of-  
ferri pro aliis ; quod non docent de sumptione Euchari-  
stiaæ . Ergo debet esse aliqua diuersitas .

8 Quinta Conclusio : Sacrificium Missæ non tam latè pa-  
tet quoad applicationem , seu efficaciam effectuum gratiæ  
ex opere operato , quam latè patet sacrificium Crucis  
quoad sufficiëtiam eorumdem effectuum . Nam sacrificium  
Crucis multò latius se extendit . Primo , ex parte hominum ,  
quia sufficiens est prodesse omnibus : at sacrificium Mis-  
sæ nullam efficaciam habere potest in iis , qui Christum  
præcesserunt : neque in his omnibus , qui Christum secuti-

*Secundo* ex parte effectuum gratiae, quia sufficientia sacrificij Crucis extendit se ad remissionem peccati originalis; ad quam nullo modo extenditur efficacia sacrificij Missæ ex opere operato. Idem est de remissione cuiuscumque peccati mortalis quoad culpam, & de infusione gratiae iustificantis, ut infra explicabitur. Idem de charactere Baptismi, Ordinis & Confirmationis.

9 *Sexta Conclusio*: Non recte dicitur sacrificium Missæ tanquam causam vniuersalem habere vim applicandi omnes effectus gratiae Christi, medianibus Sacramentis. *Primo*, quia fallum est omnes effectus gratiae applicari per Sacramenta. Nam ante Baptismum adulorum procedunt multæ illuminationes, & auxilia gratiae excitant, quæ non applicantur per Sacramenta, sed ex libera Dei voluntate. *Secundo*, quia similiter falsum est, sacrificium Missæ cum singulis Sacramentis concurrere ex opere operato. Nam Sacra menta non nituntur in sacrificio Missæ, sed in merito, & satisfactione Christi.

10 *Septima Conclusio*: Sacrificium Missæ non habet ullam effectum ex opere operato, nisi quatenus nititur in sacrificio Crucis, & ab illo vim & efficaciam habet. Probatur, quia omnis efficacia huius sacrificij debet fundari in aliquo merito, & satisfactione Christi. Sed non fundatur in nouo merito, & satisfactione. Ergo in antiquo merito, & satisfactione sacrificij Crucis.

Confirmatur, quia passio & satisfactione Christi in Crucifixione est vniuersalis causa omnium effectuum gratiae, siue hi per Sacramenta, siue per quodcumque aliud instrumentum conferantur. Hoc sensu dicitur *Hebr. 10. vers. 14.* Christus una oblatione Crucis consummasse sanctificatos; quia ab illa una pendet omnis gratia, & sanctificatio nostra.

Ex dictis sequitur, haec duo sacrificia, licet æqualia sint in principali offerente, & in re oblata, tamen tribus modis differre. *Primo*, quia alterum altero latius patet. *Secondo*, quia ordinantur ad diuersos fines, unum ad sufficiemtiam, alterum ad efficaciam. *Tertio*, quia unum pendet ab alio

alio in virtute operandi. Vide plures differentias *supra*  
*questione 7. conclusione 2.*

ii Octaua Conclusio : Non est de intrinseca ratione hu-  
ius sacrificij , quatenus sacrificium est , vt habeat aliquem  
effectum, seu potestatem effectuum ex opere operato ; sed  
hoc ei annexum est ex libera Dei institutione. Vbi nota  
tria spectari posse circa hoc in hoc sacrificio. *Primo*, quod  
sit sacrificium in communi , & hoc modo moraliter signi-  
ficat cultum Dei , ad quem significandum omnia sacrificia  
per se ordinantur. *Secundo* , quod sit tale sacrificium in  
specie ; & hoc modo mysticè significat Christi Passionem,  
ad quam repræsentandam singulariter institutum est. *Tertio* ,  
quod habeat virtutem ad conferendum effectum ex  
opere operato ; & hoc est illi annexum ex Christi volun-  
tate. Duo priora sunt illi quasi intrinseca , quia primum  
est commune , & essentiale omni sacrificio : Secundum  
est essentiale huic sacrificio. Tertium est omnino extrinse-  
cum. Potuisse enim Christus substantialiter instituere sa-  
crificium Missæ , sine illa virtute conferendi virtutem ex  
opere operato.

Dices : Essentiale & intrinsecum est sacrificio propitia-  
torio habere vim placandi Deum , & remittendi pecca-  
ta. Sed sacrificium Missæ est propitiatorium. Ergo est illi  
essentiale habere tales effectum ex opere operato. Resp.  
potest esse sacrificium propitiatorium sine effectu ex ope-  
re operato, per modum solius impetrationis, vel ex merito  
operantis.

Dices : Licet hoc verum sit de sacrificio propitiato-  
rio in communi ; non tamen de hoc in particulari , quod  
in suo genere perfectum est. Respondeo, fateor hoc sacri-  
ficium in particulari habere effectum ex opere operato,  
sed ex Christi promissione , non autem intrinsecè , & ex  
natura rei.

ii Ad primum argumentum primæ opinionis resp. pro-  
missionem factam huic sacrificio partim colligi ex tradi-  
tione Ecclesæ ; partim ex illo : *Hic est sanguis meus, qui pro-  
mutris effunditur in remissionem peccatorum.* Nam multi hoc  
intelligunt de effusione mystica quæ sit in oblatione sa-  
crificij.

318 CAP. XXV. DE SACRAMENTIS  
Ad secundum, Resp. Concil. Tridentinum sess. 22, cap. 2,  
satis insinuauit suam mentem, cum dixit: per hanc in-  
cruentiam oblationem uberrimè percipi sacrificium cru-  
cis: Quod autem non addiderit illam particulam: Ex ope-  
re operato, parum refert, quia non est necesse omnes subti-  
litates Scholasticas in Concilio inuenire & definire.

Ad tertium, Resp. effectum huius sacrificij, qui est ex  
opere operantis, multum pendere ex affectu & voluntate  
proximi offerentis; non autem effectum illum, qui est ex  
opere operato. Is enim pendet ex Christi institutione &  
promissione.

---

### QVÆSTIO XII.

*An propria efficientia huius sacrificij sit impetrare?*

1 **E**X dictis tria habemus. Primo hoc sacrificium habere  
vim ex opere operantis, & ex opere operato. Se-  
cundo, ex opere operantis Ministri habere vim merendi, sa-  
tisfaciendi & impetrandi: ex opere operantis Christi ha-  
bere solum vim impetrandi. Tertio, ex opere operato  
habere vim applicandi merita & satisfactionem Christi:  
Nunc queritur primo, an hec vis applicandi possit voca-  
ri impetratoria? Secundo, an praeter hanc vim applicandi  
ex opere operato habeat aliquam peculiarem vim impe-  
trandi, distinctam ab omni alia virtute, de qua haec tenus  
dictum est?

2 **P**rima Conclusio. Vis applicandi merita Christi ex  
opere operato, quam habet hoc sacrificium ex Christi in-  
stitutione, potest quidem vocari vis impetrandi, non ta-  
men propriè. Nam impetratio propriè dicta est, quando  
quis de novo aliquid impetrat, quod antea concessum  
non erat. Hec autem vis applicandi merita Christi sup-  
ponit concessionem à Deo factam; & solum actu applicat  
quod concessum est. Vnde rectius vocari solet solutio,  
quam impetratio.

3 **S**ecunda Conclusio. Praeter hanc vim applicandi sa-  
tisfactionem Christi ex opere operato, quam habet sacri-  
ficium Missæ ex promissione Christi, habet etiam specia-  
lem vim impetrandi omnes illos effectus pro quibus obti-  
nendis

nendis offerens; quæ vis impetrandi non pendet à bonitate proximi ministri offerentis; nec fundatur in actuali oratione & oblatione Christi principalis offerentis, sed in antiquo merito & satisfactione eiusdem Christi, tanquam principalis offerentis. Vnde siue Sacerdos sit bonus, siue malus, sacrificium Missæ semper retinet hanc vim impetrandi.

Probatur *primo*, ex vsu Ecclesiæ, quia semper in Ecclesia seruatum est, ut in oblatione Missæ oret Minister pro viuis & defunctis; pro Ecclesiæ pace, & aliis hominum commodis, vel necessitatibus. Ergo communis consensus Ecclesiæ est Christum instituisse hoc sacrificium, ut esset nobis aptissimum remedium ad impetrandum à Deo, & ad dandam vim & efficaciam nostris petitionibus.

*Secundo*, declaratur ratione, quia impetratio potest dupliciter fieri. *Primo*, propriè per orationem. *Secundo*, per alia bona opera, quatenus coniunguntur orationi, & sunt ad Dei obsequium ea intentione, ut illum inclinemus ad id concedendum quod petimus. Cum ergo hoc sacrificium sit magnum Dei obsequium, & possit adiungi alicui petitioni, non est dubium, quin plurimum valere possit ad impetrandum.

Quod autem re ipsa ita fiat, colligitur. *Primo* ex dictis, quia Ecclesia ita sentit. *Secundo*, quia Christus voluit hoc sacrificium semper offerri in sua Persona, ut semper haberet valorem impetrandi apud Deum. *Tertio*, ob eandem causam voluit ut fieret per representationem suæ Passionis.

¶ *Tertia Conclusio*. Hæc vis impetrandi & effectus inde proueniens multis modis differt à virtute applicandi satisfactionem Christi, & ab effectu illius ex opere operato.

*Primo*, quia posterior hæc virtus fundatur in speciali promissione: Prior autem ex natura talis sacrificij necessariò consequitur. Valqr enim ad impetrandum intrinsecè sequitur ex sanctitate & dignitate huius sacrificij, tum ex parte rei oblatæ, tuin ex parte principalis offerentis.

*Secundo* differt, quia ad effectum ex opere opereato non est necesse, ut offerens specialiter petat & intendat consequi illum effectum, sed satis est si sacrificium validè offerat;

sicut sit in Sacrementis. Non enim necesse est, ut minister Baptisini intendat remissionem peccati originalis, sed factis est si validè Sacramentum administret, & in suscipiente non ponatur obex. Nam effectus ex opere operato non penderet ex voluntate ministri, sed ex Christi promissione. Sicut ergo Sacramentum alicui applicatum confert suum effectum infallibiliter ex opere operato, siue minister velit siue nolit: sic etiam sacrificium alicui applicatum, seu pro aliquo oblatum, absque alia speciali determinatione offerentis confert suum effectum ex opere operato. At verò effectum per modum impetrationis nullum confert, nisi ex peculiari intentione sacrificantis, vel offerentis specialiter applicetur ad hoc vel illud beneficium obtinendum. Ratio, quia nullum opus est actualiter imperatorum, nisi quatenus adiungitur orationi. Ergo per orationem debet determinari ad certum effectum impertrandum.

*Textio* differt, quia effectus ex opere operato est infallibilis, cum fundetur in absoluta promissione respectu eius qui non ponit obicem. Alter autem effectus non est infallibilis, quia nec fundatur in speciali promissione, nec debetur ex iustitia, quia nititur in merito proximi offerentis.

5 Dices: fundatur in illa generali promissione: *Petite & accipietis*. Ergo vi illius est infallibilis. Respondeo, illa promissio facta est orationi habenti omnes conditiones requisitas. Si ergo talis oratio coniungatur cum sacrificio, tunc quidem impetratio erit infallibilis, non tamen vi sacrificij, sed vi orationis cui promissio facta est. Si autem oratio non habet omnes conditiones requisitas, tunc impetratio non erit infallibilis, nec vi sacrificij, nec orationis.

6 Dices secundo, erit infallibilis vi principalis offerentis, quia scilicet fundatur in Christo, qui infallibiliter impetrat quod petit. Respondeo primo, petitio Christi potest esse duplex. Vna perfecta ex absoluta & efficaci voluntate, & hæc infallibiliter impetrat. Altera ex inefficace & antecedente voluntate, & hæc non semper impetrat, quia im-  
petratio accommodatur voluntati.

Respon

Respondeo secundo, persona Christi potest dupliciter spectari in hoc Sacrificio. Primo, quatenus solum representatur in persona Ministri ex vi primae institutionis. Secundo, quatenus actu offert per nouam & propriam voluntatis actionem. Impetratio ergo de qua nunc agimus, solum fundatur in persona Christi, priore modo considerata; & sic non includit absolutam voluntatem Christi de effectu impetrando, quia Christus in institutione huius sacrificij non voluit absolutè, ut quicquid per ipsum peteretur, haberet infallibilem effectum. De tali enim voluntate nil constat ex scriptura aut traditione: Voluit tamen ut hoc sacrificium ex se haberet valorem impenetrandi ea quæ petuntur; non autem necessitatem imponendi.

7 Dices Tertio, si ex se habet valorem impenetrandi, quare ergo non semper ac infallibiliter impetrat? Respondeo, hoc potest prouenire ex solo Dei beneplacito, qui vult vni concedere, quod petit; alteri negare; vel absolute ex mero suo arbitrio; vel quia præuidet vni profuturum, quod alteri noceret, si daretur.

8 Quarto differt, quia vis impenetrandi latius patet, quam vis causandi ex opere operato, cum ex parte hominum, tum ex parte effectuum, ut infra explicabitur.

### QVÆSTIO XIII.

*Quos effectus habeat hoc sacrificium?*

1 EX dictis constat hoc sacrificium tribus modis prodesse. Primo, ex opere operantis. Secundo, ex opere operato. Tertio, per modum impetrationis: nunc quæritur, quos effectus habeat circa illos tres modos allegatos?

2 Prima Conclusio. Hoc sacrificium ex opere operantis potest habere eosdem effectus, quos potest habere iustus homo in quolibet opere bono, ut supra insinuauit. Homo autem iustus potest tria spectare in quolibet opere bono. Primo, potest pro se condigno mereri augmentum gratiæ & gloriæ; Item auxilia gratiæ actualis, quæ requiruntur ad perseverantiam. Secundo, potest non solum pro se, sed etiam pro aliis satisfacere quoad poenam tempora-

## CAP. XXV. DE SACRAMENTIS

Iem. *Tertio*, potest similiter pro se & aliis multa impetrare à Deo. Hæc omnia potest etiam præstare Sacerdos existens in gratia per sacrificium Missæ, seu per opus religionis bonum & honestum.

3 Secunda Conclusio. Hoc sacrificium ex opere operato habet vnum effectum, nempe remissionem peccatorum, quoad pœnam temporalem, non tamen quoad culpam. Priùs pater, quia ex opere operato habet vim applicandi Christi satisfactionem per modum solutionis pro nostris peccatis, quoad pœnam temporalem, ut patet in sacrificio, quod offertur pro Defunctis. Non enim potest illis prodesse, nisi applicando satisfactionem C H R I S T I pro pœna temporali, quam deberent pati in purgatorio.

Posteriori patet, quia culpa, præsertim mortalis, non tollitur, nisi duobus modis. *Primo*, per contritionem extra sacramentum. *Secundo*, per attritionem in sacramento Baptismi aut Pœnitentiæ, alias sequeretur peccatorem posse iustificari per sacrificium Missæ sine contritione & sacramento, quod est inauditum.

4 Tertia Conclusio. Hoc sacrificium per modum impenetrationis potest habere eosdem effectus qui habentur per orationem. Quicquid enim Sacerdos potest pro se vel aliis impetrare per orationem, extra sacrificium Missæ, potest facilius multo impetrare per orationem coniunctam cum sacrificio Missæ.

Dices : Hic modus impetrandi non videtur distingui ab opere operantis, de quo dictum in 1. conclusione. Respondeo multum distinguitur, quia non requirit sanctitatem ministri, quam requirit opus operantis. Vbi nota Sacerdotem dupliciter spectari. *Primo*, ratione propriæ sanctitatis, quatenus est vir iustus. *Secundo*, ratione officij, quatenus est minister Christi, nulla habita ratione propriæ sanctitatis. Priore modo impetrat ex opere operantis : posteriore ex Christi institutione. Vnde sequitur Sacerdotem bonum duplice titulo posse aliquid impetrare per sacrificium. *Primo*, quatenus vir bonus. *Secundo*, quatenus minister Christi est.

## QVÆSTIO XIV.

*An valor & effectus huius sacrificij sit infinitus?*

1. **Q**uidam affirmant; alij negant. Nota: Valorem sacrificij distingui ab effectu. Nam valor significat moralē dignitatem, quam habet tum ex parte offerentis, tum ex parte rei oblatæ. Effectus autem id quod de facto datur intuitu illius dignitatis.

2. **P**rima Conclusio. Hoc sacrificium, quatenus à suo principali offerente offertur, est infiniti valoris ad impetrandum, & tamen effectus illius est finitus. *Prius* patet, quia tum ex parte rei oblatæ, tum ex parte principalis offerentis habet infinitam dignitatem, non minus, quam sacrificium Crucis. *Posteriorius* patet, quia effectus, præsertim qui liberè sequitur, non debet mensurari secundūm valorem & dignitatem sacrificij, sed secundūm voluntatem & promissionem Christi. Sicut enim merita Christi secundūm se fuerunt infiniti valōris; & tamen habuerunt effectum finitum ex Dei ordinatione: sic etiam in proposito dicendum est.

3. **S**ecunda Conclusio. Hoc sacrificium; quatenus offertur in persona Ecclesiæ, habet effectum & valorem finitum ad impetrandum. Nam hīc valor consideratur & fundatur in sanctitate Ecclesiæ, quæ est finita. Vnde sequitur hunc valorem posse nunc esse maiorem, nunc minorem prout est maior vel minor sanctitas in Ecclesia.

4. **T**ertia Conclusio. Valor & fructus huius sacrificij, ut est ex opere operantis, respectu Sacerdotis, vel cuiuscunque alterius offerentis priuati, est finitus, tum in ratione meriti, quia non meretur, nisi certos gradus gratiæ & gloriæ, tum in ratione satisfactionis, quia non tollit, nisi certam & finitam pœnam, id est temporalem: tum etiam in ratione impetrationis, quia persona sic offerens est finita; ac proinde eius actio est finiti valoris.

Dices: res oblata est infinita. Ergo oblatione est infiniti valoris. Confirmatur, quia dignitas rei oblatæ aliquid confert ad valorem oblationis. Ergo maior dignitas plus confert. Ergo infinita dignitas confert infinitum valorem.

Respon-

Respondeo, valor actionis non tam crescit ex dignitate obiecti circa quod versatur; quam ex dignitate personæ operantis.

Hoc patet *Primo* exemplo viduæ Euangelicæ, quæ minus offerebat quam reliqui, & tamen eius oblatio erat Deo gratior propter maiorem sanctitatem personæ offerentis. *Secundo*, patet exemplo Christi, cuius singulæ actiones erant infiniti valoris, tametsi multæ versarentur circa obiectum finitum, ut latius dicitur in materia de *Incarnatione*. *Tertio* patet, quia actus fidei, spei, & charitatis, qui à nobis eliciuntur, sunt finiti valoris; & tamen obiectum eorum est infinitum. Ergo valor actionis non crescit simpliciter ex dignitate obiecti, sed tantum secundum quid.

### Q V A E S T I O X V .

*An hoc sacrificium offerri possit pro omnibus viuentibus?*

1 **P**rima Conclusio. Potest offerri pro iis omnibus qui sunt intra Ecclesiam, siue iusti sint, siue peccatores; & re ipsa quotidie pro illis offertur: ut patet ex Canon. Missæ verbis hisce: *Pro omnibus Orthodoxis & Catholicæ atque Apost. fidei cultoribus*. Ratio, quia Sacerdos offert nomine totius populi Christiani, cum sit quasi mediator & intercessor apud Deum pro ipsa Ecclesia.

2 Quæres *primo*, an Sacerdos possit aliquem excludere ab hac generali oblatione? Respond. non potest, *Primo*, quia faceret contra communem usum & intentionem Ecclesiæ. *Secundo*, quia si palam faceret, esset scandolosum; si occulte, signum esset occulti odij.

3 Quæres *Secundo*, quis fructus ex hac quasi oblatione proueniat tum viuenter Ecclesiæ, tum singulis eius membris? Respondeo, si loquamur de effectu ex opere operato, nempè de remissione poenæ temporalis; certum est eum omnibus conferri, qui non habent culpam mortalem; sed etiam reatum poenæ temporalis. Illi enim soli capaces sunt. Si autem loquamur de effectu ex opere operantis, vel per modum impetrationis, is pendet partim ex intentione offerentis, partim ex dispositione eorum, pro quibus fit oblatio, partim ex libera Dei voluntate.

\* Secunda Conclusio. Potest etiam offerri pro omnibus, qui sunt extra Ecclesiam exceptis excommunicatis maiore excommunicatione. Pro his enim non licet publicè offerre, quia hoc prohibitum est iure Ecclesiastico, *in cap. à nobis, de sententia excommunicationis.* Pro aliis omnibus licet. Primo, quia nulla extat prohibitio. Secundo, quia in veteri Testamento offerebantur sacrificia pro Gentilibus, qui erant extra synagogam, ut pro Dario Rege, *1. Esdr. 6. v. 10.* Pro Spartiatis, *1. Mach. 11. v. 11.* Pro Heliodoro, *2. Machab. 3. v. 32.* Tertio, quia idem factum est semper in novo Testamento. Clemens *1. 8. Constit. c. 18.* docet Apostolos obtulisse sacrificium pro Regibus sui temporis, qui erant Gentiles. *Et in Liturgia Iacobi* fit expressa oratio pro extirpatione heresum. Similiter Chrysost. & Basil. *in Liturgia* orant pro toto orbe terrarum; & nominatim pro errantibus ut reuocentur ab errore. Idem Chrysostomus *6. in 1. ad Tim.* dicit pro Rege gentile esse offerendum. *Et Tertul. in 1. ad Scapulam* ait: *Sacrificamus pro salute Imperatoris.*

His omnibus fauet Apostolus *1. Timoth. 2. vbi* præcipit publicas orationes fieri pro omnibus. Et ratio est, quia sicut Christus pro omnibus est mortuus: ita pro omnibus offerri potest Sacrificium, quod repræsentat ipsius mortem.

Obiectio: præter excommunicatos videntur esse multi alii, pro quibus non liceat offerre Sacrificium. Primo, quia S. Augustinus *lib. 1. de origine animæ, cap. 9.* excludit omnes peccatores, cum ait: *Quis offerat Sacrificium Corporis Christi, nisi pro his, qui sunt membra Christi?* Secundo, quia in Concilio Elizabetino *can. 29.* prohibemur offerre pro energumenis, seu vexatis a dæmonie. Tertio, quia in Concilio Braccarense *1. can. 35.* prohibetur oblatione catechumenis.

Respondeo prima, S. Augustinus. loquitur de oblatione pro defunctis, quibus non prodest Sacrificium, nisi sint membra Christi, ut post dicetur. Secundo, in Concilio Elizabetino solùm prohibemur recitare nomina energumenorum in publica oblatione. Tertio, in Concilio Braccarense prohibetur oblatio pro catechumenis qui sine Baptismo defuncti sunt. Nos autem disputamus de viuentibus.

## QVÆSTIO XVI.

*An hoc sacrificium offerri possit pro omnibus defunctis?*

1 **D**Efuncti, vel sunt in cœlo, vel in inferno, vel in Purgatorio; de singulis dicendum est. Potest autem Sacrificium quatuor modis spectari, ut suprà; Primo, prout est λατέριον, id est, honorarium. Secundo, prout est οἰκεῖον. Tertio, ut est propitiatorium. Quarto, ut impetratorium.

2 Prima Conclusio. Si loquamur de beatis in cœlo existentibus, tria certa sunt, unum incertum. Primo, certum est hoc sacrificium, ut est λατέριον, non posse principaliter offerri Sanctis, sed soli Deo, ut dicetur in quest. 18. Secundo, certum est hoc sacrificium, ut est οἰκεῖον, posse offerri Deo pro Sanctis, ut docet S. August. in Euchar. cap. 110. quia possumus Deo gratias agere pro beneficiis in eos collatis. Tertio, certum est hoc sacrificium, ut est propitiatorium, non posse pro illis offerri, quia sunt liberi ab omni peccato quoad culpam & poenam. At incertum est, an hoc sacrificium, quatenus est impetratorium, possit etiam offerri pro Sanctis.

3 Prima Opinio affirmat, quia possumus illis impetrare nouam reuelationem aliquam & gaudium; aut extrinsecam gloriam & honorem. Hoc confirmat usus Ecclesiæ, quia in oblatione ante consecrationem quotidie oramus, ut Sanctis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem. Et in quadam collecta post communionem sic habetur: Sumpimus Domine sancta mysteria, quæ sicut Sanctis tuis profunt ad gloriam; ita nobis, quæsumus, proficiant ad medelam. Item in oratione Missæ S. Leonis Papæ petimus, ut illum beata retributio comitetur. Denique S. Chrysostomus homil. 33. in Matth. dicit, posse nos aliquid facere pro Sanctis ad mercedis & retributionis adiectionem.

4 Secunda Opinio negat, quia non videtur consentaneum, ut nos oremus pro Sanctis in cœlo existentibus, sed potius, ut ipsi orent pro nobis. Vnde Innocentius in cap. cum Marthæ, de celebrat. Missar. dicit, Sanctos non indigere orationibus nostris, quia cum sint perfectè beati, omnia illis secundum vota succedunt. Et ideo mutatum esse modum

dum orandi in quadam oratione B. Leonis. Nam in antiquis Missalibus sic habetur : *Annuo nobis, Domine, ut anime famuli tui Leonis haec proficit oblatio.* Et confirmatur ex illo dicto S. Augustini ; *Iniuriam facit martyri, qui orat pro martyre.* Est autem eadem ratio de aliis Sanctis in cœlo existentibus.

Tertia Opinio distinguit. Nam tria spectari possunt in Beatis. *Primo*, essentialis beatitudo, quæ consistit in visione Dei. *Secundo*, accidentalis beatitudo inhærens, quæ consistit in nouis reuelationibus & gaudiis. *Tertio*, accidentalis beatitudo extrinseca, quæ consistit in externo honore & gloria. Duo priora non possumus impetrare Sanctis. Nam essentialē beatitudinem iam habent, & in ea non possunt crescere & proficere. Ratio autem huius beatitudinis debentur omnes illæ reuelationes, & gaudia, quæ ad illorum statum pertinent. Itaque non est opus, ut nos quicquam eorum ipsis impetremus.

Porro externum honorem, & gloriam possumus illis impetrare, quia cum hoc facimus, magis pro nobis ipsis & proximis censemur orare, quam pro Sanctis, ut recte notat Innocentius loco cit. Nam haec oratio eò spectat, ut Sancti quotidie à nobis magis magisque glorificantur, quod sit, quando eorum virtutes imitamur. Simile quid facimus dicentes in oratione Dominica : *Sanctificetur nomen tuum* (quod fit quando bene vivimus.)

5 Secunda Conclusio. Si loquamur de damnatis qui sunt in inferno, certum est hoc sacrificium, quatenus est propitiatorium, aut impetratorium, non posse pro illis offerri, quia nec culpa, nec poena potest eis remitti ; nec aliquid impetrari, quod culpam aut poenam mitigare possit. Sunt enim in perpetuo statu damnationis & vindictæ. Vide S. Augustinum in Eucharist, cap. 110. & lib. 1. de origine animæ, cap. 9. & 10.

Dices : *Glossa in cap. tempus, 13. quæst. 2.* docet duplices esse damnatos ; quosdam valde malos, qui magna & multa peccata commiserunt ; alios mediocriter malos, qui pauciora & leuiora perpetrarunt, & pro his posse sacrificium offerri non ad plenam liberationem, sed ad relaxationem quandam poenæ. Fauet S. Augustinus in Encyclid, cap. 110.

528 CAP. XXV. DE SACRAMENTIS  
vbi sic ait: *Quibus autem profundunt suffragia, aut ad hoc profant, ut plena sit remissio; aut certe tolerabiliter fiat ipsa damnatio.* Et cap. 112. *Pœnas damnatorum certis temporum interuallis existimem, si hoc eis, Origenistis, placet, aliquatenus mitigare;* *Etiam sic quippe intelligi potest manere in illis damnatio.* Et Sanctus Chrysostomus homil. 3. in Epist. ad Philippienses, postquam dixerat, orandum esse pro defunctis, ita subdit: *Verum istud quidem de illis dicimus, qui in fide abscesserunt; Catechumeni verò neque hac digni consolatione censemur; sed omni hoc sunt auxilio destituti, præter unum solum.* *Quod autem illud? Pauperibus eorum nomine dare licet.* Vnde eis nonnihil refrigerij accedit. Et Damascenus in orat. de defunctis referat de Traiano & Falconilla, quod ex inferno liberati sunt per orationes Gregorij & Teclæ. Addit ex historia Palladij ad Lausum S. Machario aliquando percunctanti cranium aridum cuiusdam idololatræ, an eis prodeissent preces viuentium responsum fuisse ex cranio: *Quando pro mortuis offers preces, nos interim aliquid leuamenti sentimus, & Prudent.* in hymno de novo lumine Paschalis Sabbathi, ait, *Sunt & spiritibus saepe nocentibus pœnarum celebres sub styge feriae.* Denique Innocentius I I L loco cit. dicit quosdam ex mortuis esse valde bonos, qui non egent suffragiis: quosdam valde malos, qui non possunt iuuari: quosdam mediocriter bonos, quibus suffragia profundunt ad expiationem: quosdam mediocriter malos, quibus profundunt ad propitiationem. Vide Sextum Senen. l.6. Biblioth. Sanctæ, annotat. 47. vbi refert quosdam Catholicos, nominatim Præpositum Leodiensis Ecclesiæ Presbyterum, Gilbertum Pictauorum, Guliel. Altisiodorensem, & Rupert. Linconensem Episcopos, qui hanc sententiam secuti sunt.

Aliqui etiam Scholastici putant sacrificium Missæ profuisse posse homini (viatori) existenti in peccato mortali ad remissionem pœnae temporalis, cuius reatus remansit ex peccatis prioribus remissis. Similiter Scotus docet huiusmodi pœnam debitam propter peccata remissa, vel etiam ob venialia posse in inferno finiri; atque ex hac parte diminui inferni pœnam. Ergo secundum Scotum posset hoc sacrificium professe damnatis ad remissionem huiusmodi pœnae temporalis.

Respondeo:

Respondeo : Sententia istius glossæ est omnino falsa & à Theologis reiecta in 4. distinſt. 45. quia in inferno non est locus misericordiae , fed iustitiae & vindictæ. Porrò S. Aug. in Enchir. c. 110. cùm ait: *quibusdam prodeſſe ſuffragia ut piena fit remiſſio, aliis autem ut tolerabilior fit damnatio,* loquitur de iis, qui sunt in purgatorio, quorum aliqui per hoc ſacrificium ſtatim liberantur ; alij aliquam poenæ diminutionem conſequuntur. In c. autem 112. ſolū docet non eſſe erroneum concedere damaſtos puniri citra condignum, ut clarius docet 21. de ciuit. cap. 24.

S. Chrysostomus ſolū videtur negare orandum eſſe publicè pro Catechumenis defunctis ; quod etiam definiuit Concil Braccar. primum, cap. 35. vt ſuprā dixi. Et que Damſenus refert, putantur eſſe fabulosa. Prudentius viſus eſt licentia poētica. Innocent. II I. videtur memoria lapsus, & ex triuenib[us] diuifione S. Augustini feciſſe quadrimembrem. Quicquid tamen ſit, duo posteriora membra diuifionis poſſunt recte intelligi de iis qui ſunt in purgatorio, quorum aliqui ſunt mediocriter boni , quia in hac vita be- ne vixerunt, & habent leuem aliquem reatum poenæ , quibus prodeſſe dicitur hoc ſacrificium ad expiationem, quia per illud facile poſſunt à purgatorio liberari. Alij ſunt mediocriter mali, quia in hac vita male vixerunt, & tandem à reatu culpæ liberati cum magno reatu poenæ diſceſſerunt, quibus hoc ſacrificium raro ad perfectam expiationem (vna vice) frequentius verò ad propitiationem , id eſt , ad poenarum mitigationem ſolet idipſum valere.

Quod ad Scotum & alios quosdam Scholaſticos attinet, eorum ſententia falsa eſt, ut alibi conſtat, ſcilicet in ma- teria de peccatis.

6 Tertia Concluſio : Si loquamur de iis qui in purgato- rio exiſtant, tria certa ſunt, & vnum incertum. Primo, cer- tum eſt hoc ſacrificium utiliter offerri pro illis , ut partim patet ex perpetuo viſu & Traditione Ecclesiæ : partim ex 2. Macbab. 12. verſ. 46. *Sancta & ſalubris eſt cogitatio pro de- functis exorare , ut à peccatis ſoluantur.* Ex quo loco nomi- natim probat S. Auguſtin. lib. de cura pro mortuis , cap. 1. & lib. 1. de origine animæ , cap. II. defunctis prodeſſe ſacrificia pro eis oblata.

*Secundo*, certum est communia suffragia , quæ generaliter fiunt pro omnibus defunctis prodefesse singularis & omnibus ; quia nulla causa est cur aliqui excludantur. *Terzo*, certum est , duplicitate hæc communia suffragia iis prodefesse, cum in ratione noui gaudij , tum in ratione satisfactionis pro poena temporali. At dubium & incertum est de suffragiis particularibus.

Nam Caietanus *tom. I. opusc. tract. 16. quest. 5. docet*, ea tantum prodefesse illis , qui in hac vita peculiariter meruerentur, ut sibi prodefessent ; Eos autem peculiariter hoc meruisse , qui habuerunt specialem devotionem ad claves Ecclesiæ , & folliciti fuerunt pro animabus aliorum. Hoc probat S. Augustinus qui in *Enchiride. c. 110. sic ait*: *Eis hæc prosunt, qui cum viuerent, ut hæc sibi postea prodefesse possent, meruerunt.*

Alij vero, quos citat Diuus Thomas in 4. *distinct. 45. quest. 2. art. 4.* docent suffragia quæ fiunt pro uno , non ei solùm prodefesse, sed etiam omnibus aliis ; nec minus aliis , quam illi. Sicut lucerna accensa pro Principe non minus famulos astantes, quam ipsum Principem illuminat. Alij rectius sentiunt suffragia peculiaria illis omnibus & solis prodefesse in ratione satisfactionis, pro quibus offeruntur.

Quod prosint omnibus, probatur contra Caiet. quia fundamentum communicationis suffragiorum non est aliquod peculiare meritum , sed status gratiæ. Et ita intelligatur S. Aug. dicens: *Eis prodefesse suffragia, qui, cum viuerent, meruerunt, ut sibi prodefesse possent.* Non enim loquitur de aliquo peculiari merito , ut vult. Caiet. sed de vita bene exacta. Vnde quotquot moriuntur in statu gratiæ , merentur secundum S. Aug. ut ipsis prodefesse possint suffragia viorum.

Quod autem prosint illis solis pro quibus offeruntur, probatur: quia non prosunt, nisi per applicationem satisfactionis Christi. Hæc autem satisfactione applicatur ex intentione offerentis. Vnde suffragia particularia non debent comparari lucernæ omnibus lucenti ; sed potius pecuniae quæ soluitur ab uno pro aliis. Huc spectat illud S. Aug. in lib. de cura pro mort. c. 4. ubi dicit, Ecclesiam aliquando orare pro defunctis omnibus in genere, idque propterea , ut illi, quibus defunt parentes , vel amici , qui pro illis orent, habeant saltem auxilium à communi matre, quæ est Ecclesia.

## QVÆSTIO XVII.

*An aq[ue] pro fit hoc Sacrificium, siue pro multis, siue pro paucis offeratur?*

I **S**pectemus fructum ex opere operato, duæ sunt opiniones probabiles. *Prima*, quando idem sacrificium offertur à Sacerdote pro viuis, vel defunctis, tanto plus prodeste singulis, quanto pro paucioribus offertur: Ratio, quia effectus huius sacrificij ex opere operato est certus & determinatus. Ergo, quod diuiditur in plures personas, eò fit minor. Confirmatur, quia hic effectus consistit in applicacione satisfactionis Christi pro poena temporali. At haec satisfactione plus prodest alicui, si illi tota applicetur, quam si in multos diuidatur. Simile est in satisfactione pecuniae. Chirographum enim, quod habet vim satisfaciendi pro 10. florinis, plus prodest alicui, si huic detur soli, quam si pluribus detur.

*Secunda* opinio est contraria, quando idem sacrificium offertur à Sacerdote pro aliis, æquè multum prodeste singulis, siue sint multi, siue pauci, pro quibus offertur. Ratio est, quia si fieri posset, ut plures homines sumerent eandem Hostiam consecratam, singuli perciperent tantum frumentum Sacramentalem ex opere operato, quantum si unus solus perciperet, &c. Similiter si idem numero baptismus applicaretur duobus infantibus, non minus prodest singulis, quam si unius tantum. Ergo eodem modo dici potest de Sacrificio Missæ. Et confirmatur exemplo naturali, quia si una anima rationalis informaret duo corpora, non minus conferret utriusque, quam unius tantum.

## QVÆSTIO XVIII.

*An licet celebrare Missas in honorem Sanctorum?*

I **P**rima Conclusio: Sacrificium Missæ per se institutum est ad Deum colendum, non autem ad Sanctos honorandos: ac proinde non offertur Sanctis, sed soli Deo, Trident. sess. 22. can. 3. Et S. August. 8. ciu. 27. ubi sic ait: *Nos Martyribus non constitutimus templum, Sacerdotia, Sacra, & Sacrificia,*

quoniam non ipsi (Martyres) sed Deus eorum nobis est Deus. Et infra: *Quis audiuit aliquando fidelium stantem Sacerdotem ad altare dicere in precibus: Offero tibi Sacrificium Petre, vel Pau- te, vel Cypriane?* Ratio; quia sacrificia & altaria pertinent ad cultum latræ, qui soli Deo debetur.

2 Secunda Conclusio: Tametsi sacrificium Missæ per se & primariò offeratur ad honorem Dei: potest tamen secun- dariò & consequenter pertinere ad cultum & honorem Sanctorum. Ita S. Aug. loc. cit. Et ratio est, quia ex eo quod aguntur Deo gratiae pro victoriis sanctorum, consequitur honor sanctorum. Ergo sicut secundariò honorantur sancti.

3 Quæres: An possint etiam sancti in Sacrificio Missæ inuocari?

Respondeo, hoc tripliciter intelligi potest. Primo, ut ipsa oblatio sacrificij, quæ est tacita quædam inuocatio, fiat & offeratur sanctis; Et sic non licet eos inuocare, ut patet ex 1. concl. secundo, ut aliqua oratio ad sanctos dirigatur. Hoc etiam non solet fieri in Missa; quanquam si fieret, non male fieret. Tertio, ut oratio ad solum Deum dirigatur, qua ipsum oremus, ut intercedentibus sanctis nos iuuet. Hoc licet, & quotidie fit.

### Q V A E S T I O X I X.

*An licet celebrare Missas priuatas?*

1 **A**Duersarij reiiciunt Missas priuatas in duplo po- tissimum sensu. Primo, quæ sunt in priuato aliquo facello, vel oratorio, Secundo, in quibus solus Sacerdos com- municat, & nullius aliud.

2 Prima Conclusio: Licitum est celebrare Missas in pri- uato facello, vel oratorio. Primo, quia Christus in priuata domo Missam instituit. Secundo, quia Apostoli frangebant panem circa domos. Tertio, quia sancti Pontifices tempore persecutionis non tantum in domibus priuatis, sed etiam in cryptis & foraminibus terra sacra faciebant. Quarto, quia Sozom. 7. hist. c. 5. testatur Gregorium Nazianz. in ex- gua cellula extructo oratorio solitum fuisse celebrare. Si militer Ambrosius, teste Paulino in vita, in domo cuiusdam fœminæ sacrificium obtulit. Et S. Augustinus 22. ciuit. Dei. 8. refert,

refert, quendam ē Presbyteris in domo rustica, sacrificium Corporis Christi obtulisse.

3 Secunda Conclusio. Licitum est etiam celebrare Missas, etiamsi nemo communicet præter sacerdotem. *Primo*, quia nullum extat præceptum in contrarium. *Secundo*, quia olim in primitiua Ecclesia ita factum est, ut colligitur. *Primo*, ex Concil. Nametensi *can. 30.* vbi iubentur Presbyteri non celebrare solam Missam, nisi habeant saltem unum secum qui respondeat. *Secundo*, quia multi initabantur sacris sine illa cura animarum, qui proinde non poterant aliis Sacraenta administrare. Talis fuit S. Paulinus Nolitanus, ut de se scribit in epistola 6. ad Seuerum. *Tertio*, quia Chrysostomus homil. 3. in Epistolam ad Ephesios conqueritur populum suo tempore tam parum fuisse deuotum, ut cum quotidie fieret officium, nemo tamen communicaret.

### Q V A E S T I O   X X .

*An Missa celebranda sit lingua vulgari?*

1 **T**ria pertinent ad Missam, de quibus potest esse questio. *Primo*, lectio scripturarum, & publica oratio. *Secundo*, consecratio & dispensatio Eucharistie. *Tertio*, oblatione sacrificij.

2 Prima Conclusio: Lectio scripturarum in publico & communi vsu Ecclesie non debet fieri vulgari lingua, sed vel Latina, vel Graeca, vel Hebraica pro diuersitate regionum. Probatur ex vsu vniuersalis Ecclesie. Bellarm. lib. 2. de Verbo Dei, cap. 15. Huc referantur, si quæ dicta sunt in prolegomenis in scripturam.

Secunda Conclusio: Consecratio & dispensatio Eucharistie in Ecclesia Latina debet fieri Latinè. Probatur etiam ex communi viu Ecclesie, quia omnia Sacraenta semper administrata sunt Latinè, excepto matrimonio & confessione. Bellarminus lib. 2. de Sacramentis in genere, cap. 31.

4 Tertia Conclusio: Oblatio sacrificij nullo modo requirit linguam vulgarem, sed fieri potest lingua Latina in Ecclesia Latina. Probatur, quia illa oblatio dirigitur ad Deum, non ad populum. Ergo impertinens est, qua lingua fiat, quia Deus omnes linguas intelligit.

## QVÆSTIO XXI.

*An tota Missa debeat recitari alta voce?*

1. **P**rima Conclusio: Nullum extat præceptum diuinum, quo teneamur, vel altè vel submissè recitare Missam; ac proinde iure diuino liberum est, hoc vel illo modo fieri.

Secunda Conclusio: Nihilominus rectè fit, quod quædam legantur submissa voce. *Primo*, ob reuerentiam tantæ mysterij. Ut enim rectè docet Basilius in lib. de Spiritu Sancto, cap. 27. multum confert ad dignitatem & reuerentiam mysteriorum conseruandam, ut non omnia efferantur ad aures vulgi. *Secundo*, ob antiquam Ecclesiæ consuetudinem, ut patet ex Liturgiis Basili & Chrysostomi. *Tertio*, ob exemplum legis Mosaicæ Leuit. 16. iubetur solus Sacerdos intra velum ingredi, & solemne Sacrificium offerre, omnibus aliis foris exspectantibus, & non tantum non audientibus, sed nec videntibus sacerdotem. Hoc etiam ritu sacrificasse Zachariam patet apud Lucam ca. 1.

## II. PARS DE MISSA.

*De Moralibus & casibus conscientie.*

## QVÆSTIO I.

*An Sacerdotes teneantur aliquando Missam dicere?*

1. **S**uppono Sacerdotes teneri ad communicandum, saltem semel in anno, tempore Paschatis, quia ad hoc tenentur omnes fideles. Vnde hæc obligatio non cadit in Sacerdotes, quatenus Sacerdotes sunt, sed quatenus sunt fideles, adulti & baptizati. Quæstio ergo est, an ratione munera fæderatalis teneantur sacerdotes aliquando dicere Missam?

2. Prima Conclusio: Probabile est, nullum esse præceptum obligans singulos Sacerdotes sub mortali peccato, ut aliquando Missam celebrènt. Ita Alexand. Aleni. 4. par. quest. 51. memb. 2. Bonavent. in 4. distinct. 12. part. 2. art. 2. quest. 2. Gabriel. lect. 87. in canon. Richardus in 4. distinct. 13. art. 2. quest. 2. Palatius

Palatius *ibid. disp. 2.* Francisc. Victoria *in sum. num. 24.* Caetanus expunctus est è Codice Romano iam. Ratio, quia nullum extat præceptum, nec humanum, nec diuinum, quod obliget singulos sacerdotes.

Dices: extat præceptum diuinum in his verbis Christi: *Hoc facite in meam commemorationem.* Responderi potest, hoc præceptum non obligare singulos Sacerdotes, sed totam Ecclesiam in communi; vel saltem Prælatos & Pastores Ecclesie.

Dices Secundo, consuetudo Ecclesiastica habet vim præcepti. Resp. consuetudo potius contrarium obtinet, quia multi sacerdotes non sacrificant.

Dices Tertio, Et si nullum extet præceptum, tamen obligatio sacrificandi velut ex natura rei consequitur ex munere Sacerdotali. Resp. illa consecutio non potest sufficien- te ratione extendi. Licet enim Sacerdotibus ex vi sui muneris detur potestas sacrificandi: tamen ex potestate non oritur necessitas. Sicut ex potestate remittendi peccata non oritur necessitas audiendi confessiones.

3 Secunda Conclusio. Est etiam probabile, & fortasse magis securum & pium afferere quemlibet sacerdotem teneri sub peccato mortali ad sacrificandum aliquando & aliquoties, nisi aliquo legitimo impedimentoo excusetur. D. Thom. *in 4. dist. 13. quest. 1. art. 2. quest. 1. ad 2.* Durand. *ibid. quest. 2.* Paludan. *dist. 11. quest. 2.* Maior. *quest. 5.* Antonin. *3. par. tit. 13. cap. 16. §. 12.* Sylvest. *verb. Missa, 1. quest. 7.* Angelus *ibid. num. 44.* Nauar. *cap. 25. num. 48.*

Probatur Primo, quia Sacerdos ex vi sui officij accipit onus intercedendi pro populo apud Deum, & offerendi dona & sacrificia pro peccatis. Ergo nunquam exequendo suum officium peccat. Secundo, quia præter charitatem esse videtur priuare Ecclesiam magno illo fructu quem ex hoc sacrificio participat. Tertio, quia inordinatum est suscipere potestatem consecrandi, & illa non vti. Quarto, quia Trident. *sess. 22. can. 1.* dicit Christum illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem;* præcepisse Apostolis & eorum successoribus, ut offerrent. Ergo iam habemus præceptum diuinum obligans sacerdotes.

Dices: Hoc præceptum pertinet in communi ad Ecclesias

siam aut Parochos qui habent curam animarum, non appetit ad singulos & simplices sacerdotes. Resp. hoc quidem probabiliter dici potest, sed tamen videtur verbis Concilij consentaneum obligari singulos Sacerdotes.

4 Tertia Conclusio. Quanquam magis securum & pium sit asservare sacerdotes aliquando teneri ad sacrificandum: tamen contraria sententia non est damnanda. Ratio, quia non potest solidè refutari. Nullum enim est intrinsecum principium, ex quo evidenter deducamus præceptum obligans singulos Sacerdotes ad sacrificandum: sunt tamen extrinseca principia, scilicet aliorum scandalum: proprium spiritale detrimentum: periculum liberius peccandi & similia.

## Q V A E S T I O     II.

*Quoties in anno teneatur Sacerdos sacrificare ad vitandam culpam?*

1 **S**yuester & Antoninus referunt, quosdam iurisperitos asservuisse, teneri Sacerdotes ad sacrificandum quotidie. D. Thomas dicit illos teneri in præcipuis festis, in quibus fideles communicare consueuerunt. Nauarrus putat eos teneri ter vel quater in anno. Nota: aliud est loqui de singulis Sacerdotibus, & aliud de tota Ecclesia, aut de singulis Ecclesiis, vel Cathedralibus, vel Parochialibus, vel Conuentualibus. Item: aliud est loqui de iure Diuino, aliud de Ecclesiastico.

2 Prima Conclusio. Stando in solo iure diuino, nec singulis Sacerdotibus, nec singulis Ecclesiis, nec toti Ecclesiæ præceptum est quotidie sacrificare. Est communis sententia Theologorum, quia nullibi extat talis determinatio temporis iure diuino facta.

3 Secunda Conclusio. Iure Ecclesiastico in singulis Ecclesiis, Cathedralibus, Parochialibus & Conuentualibus, debet quotidie Sacrificium Missæ offerri, si conueniens sit, seu mediocris Sacerdotum numerus. Est communis sententia. Et colligitur primò ex capitulo cum creatura, extra, de celebrat. Miss. Secundo, patet ex confuetudine Ecclesiæ, quæ habet vim legis. Hæc tamen obligatio per se pertinet

ad Rectores Ecclesiarum, quia licet ipsi non teneantur per se quotidie celebrare, tenentur tamen curare in suis Ecclesiis, ut non desit sacrificium. Hoc enim est vnum ex muneribus, propter quod a fidelibus aluntur.

Addunt aliqui in Parochialibus Ecclesiis, si sit sufficiens Sacerdotum numerus, dicendas esse quotidie duas Missas, unam pro viuis, & aliam pro defunctis. Et colligunt ex dicto cap. cum creatura. Sed non recte inde colligunt, quia ibi solum dicitur, quod propter Missam defunctorum non sit omittenda conuentualis Missa de feria; nec est contrariatio sed quod utraque dicenda sit, quando occurrit Missa defunctorum: non tamen imponit absolutam obligationem quotidie sacrificandi pro defunctis.

4 Tertia Conclusio. Singuli Sacerdotes nec iure divino, nec Ecclesiastico tenentur quotidie celebrare, per se loquendo. Est communis sententia Theologorum: quia nullibi extat tale ius, & multi pij ac timorati Sacerdotes aliquando uno, aut altero die intermittunt sacrificium. Imò aliqui etiam hoc consulunt ob maiorem sacrificij reverentiam.

5 Quæres: An hoc intelligendum sit de Sacerdote simplici, an etiam de Parocho? Respondeo de utroque, quia sicut Sacerdos non tenetur ex vi ordinis quotidie celebrare, ita nec Parochus ex vi Parochialis beneficij. Satisfaciet enim suæ obligationi, si curet in sua Parochia per alium fieri sacrificium. Deinde si solus Parochus sit, non est cogendus quotidie sacrificare, quia esset nimis rigida, & onerosa obligatio. Quamuis teneatur frequenter id præstare, & regulariter non omittere sine aliqua causa.

6 Quarta Conclusio. Singuli Sacerdotes iure positivo tenentur aliquoties in anno celebrare, secundum Nauarrum; & videtur colligi ex capite dolentes; de celebrat. Miss. Ratio, quia multa possunt oriri incommoda, si Sacerdos non celebret aliquoties in anno, cuiusmodi sunt: scandalum populi, proprium detrimentum spirituale, periculum liberiū peccandi, & similia, quæ tenemur evitare.

## QVÆSTIO III.

*An aliquando licet eodem die plures Missas facere?*

1 **P**rima Conclusio: Communi ac ordinario iure non licet Sacerdotibus, nisi semel tantum in die celebrare. Hoc autem ius non est naturale, quia non sequitur intrinsecè ex institutione huius sacrificij. Neque est diuinum, quia neque in Scriptura habetur, neque Traditione constat à Christo esse datum: sed est præceptum Ecclesiasticum, quod primum latum est ab Alexandro I I. cap. sufficit, de consecrat. d. 1. & postea confirmatum ab Innocentio III. cap. consuliisti, & ab Honorio IIII. cap. referente, de celebrat. Missarum. Et ratio est, ut representetur sufficiencia vnici sacrificij cruentii Christi.

2 Secunda Conclusio. Ab hoc communi præcepto sunt aliquæ exceptiones. *Prima* est de die Nativitatis, in qua licitum est Sacerdotibus tres Missas dicere ad significandam triplicem Christi generationem, quarum *prima* est æterna & diuina. *Secunda*, temporalis ac humana. *Tertia*, spirituallis, qua oritur tanquam lucifer in cordibus nostris. Alij dicunt per has tres Missas significari tres status hominum, ante, in, & post legem.

*Secunda exceptio* habetur in citato cap. sufficit, his verbis: *Quidam tamen pro defunctis unam faciunt, & alteram de die (festo seu feria occurrente) si necesse fuerit: Tertia exceptio generaliter sit ab Innocentio III. cap. consuliisti, ita: Nisi causa necessitatis suadeat.* Hæc necessitas solet explicari in quibusdam casibus. *Primus* est, si, postquam Sacerdos semel celebrauit, superueniat mors alicuius, quem oporteat sepelire, facta tamen prius Missa. *Secundus* casus est, si dicta Missa superueniat aliqua magna persona, quæ velit Missam audire. Alij cautius dicunt: si teneatur audire Missam, quod etiam fieri posset priuato. *Tertius* casus est, si occurrat necessitas communicandi infirmum. *Quartus* est, si necessarium sit ad benedicendas nuptias, ne id fiat sine Sacro. *Quintus* est, si eodem die occurrat duplex officium, ut verbi gratia, unum de festo, & aliud de vigilia, vel rogationibus. *Sexta* est, quando Sacerdos habet duas Ecclesias parochiales,

&amp; non

& non potest commodè habere coadiutorem, & in vtrāque parochia est populus qui auditurus est Missam (hunc omnes libenter concedunt.) *Septimus* est, si sit consuetudo in Ecclesia, ut duo sicut sacra à duobus Sacerdotibus, & contingat alterum ægrotare; tunc alter potest supplere, & duo sacra dicere. *Ottanus*, si propter paupertatē Ecclesiae, vel Sacerdotis iudicio prudentum id censeatur necessarium. *Nonus* est, si ob solemnem festiuitatē tam numerosus sit populi conuentus, ut una Basilica eum simul capere non possit. Tunc enim si sit unus tantum Sacerdos, potest bis celebrare, ut omnes Missam audiant. Vide auctores quos ego legi: *glossa in cap. consueta die*, Paludan. in 4. dist. 12. q. 1. Antoninum 3. part. tit. 13. c. 6. §. 5. *Nauarrum in Manuali*, c. 25. num. 87. *Sylvestrum & Angelum verbo Missa*. Durandum in rationali diuinorum officiorum, lib. 4. c. 1. ubi refert Leonem Papam una die aliquando septies, aut nouies celebrasse Missam.

## Q V A E S T I O   I V.

*Qua hora licitum sit celebrare?*

1 **P**rima Conclusio. Ante initium auroræ non licet regulariter Missam inchoare. Ita D. Thomas *quaest. 83. artic. 2. ad 4.* & alij Scholastici *in 4. distinct. 13.* & patet ex consuetudine Ecclesiae, & ex regulis in Missali. Ratio mystica est, quia in sacrificio Missæ offertur Christus, qui est candor lucis æternæ. Ratio literalis, seu humana est, quia ante auroram non sunt homines communiter dispositi ad tam pium opus.

2 Secunda Conclusio. Ab illo puncto diei, quo incipit aurora, licitum est Missam dicere. Ita auctores citati. Et patet ex consuetudine Ecclesiae. Ratio quia illud tempus matutinum est aptum ad hoc Ministerium. Est etiam tempus lucis, in quo Christus, qui vera lux est, offerri potest.

Dices: Telesphorus Papa *in epistola decretali, cap. 2. dist. 1.* dicit Missas non esse celebrandas ante horam tertiam diei, quia & illa hora Dominus crucifixus est, & ad Apostolos Spiritus sanctus descendisse legitur, *cap. nocte sancta, de consecrat. dist. 1.* At verò hora tertia longè distat ab aurora. Respondeo, Telesphorus loquitur de Missis solemnibus, seu conuen-

340 CAP. XXV. DE SACRAMENTIS  
conuentualibus, de quibus est peculiaris ratio. Aut si lo-  
quatur generatim, per contrariam consuetudinem, id est  
iam reuocatum.

3 Tertia Conclusio. Nomine auroræ non intelligunt Do-  
ctores ortum Solis, id est, ascensum corporis solaris supra  
nostrum horizontem; sed initium crepusculi diei, seu pri-  
mam lucis irradiationem. Vnde sequitur licere Missam fa-  
cere vna hora, & dimidia ante ortum Solis.

4 Quarta Conclusio. Ab hac generali lege sunt aliquæ  
exceptiones. *Prima* est de nocte Natiuitatis, quia tunc li-  
cet primam Missam dicere statim post medium noctem  
completo matutino. *Secunda* est de nocte Resurrectionis,  
in qua secundum antiquam consuetudinem iam sublatam,  
Missa noctu dicebatur, quia Christus in nocte resurrexit:  
nunc illa consuetudo cessavit, & dicitur illa Missa in Sab-  
batho Sancto, paulò ante meridiem.

*Tertia* exceptio est particularis, quia ex priuilegio aliqui-  
bus concessum est, ut vna vel duabus horis ante auroram  
celebrare possint.

5 Quinta Conclusio. Missa non debet regulariter in-  
choari post meridiem, sed antè. Est securior sententia, &  
probatur ex Rubr. Missalib. vbi dicitur, Missas priuatas di-  
cendas esse ab aurora usque ad meridiem. Et ita consue-  
tudo obtinuit, quæ iam vim legis habet. Non desunt tamen  
graues auctores, qui putant, licere Missam dicere usque ad  
tertiam horam post meridiem, ut Nauarrus cap. 25. num. 85.  
& alij. Addit Nauarrus se frequenter celebrasse post pran-  
dium, præsertim quando erat in itinere diebus festis, &  
non poterat citius ad aliquem locum peruenire, in quo  
celebraret.

---

### Q V A E S T I O V.

*An non licet celebrare, nisi in loco sacro?*

1 *P*rima Conclusio: Ordinario & communi iure non  
potest licetè Missa celebrari extra Ecclesiam, seu lo-  
cum sacrum ad hoc peculiariter deputatum. Ita Scholasti-  
ci in 4. dist. 13. quia ita est in iure Ecclesiastico statutum &  
præceptum, ut constat partim ex antiquis Concilii, partim  
ex Tri-

*ex Tridentino sessione 22.* Ratio est, quia sic visum est Ecclesiæ expedire, tum ob debitam reuerentiam huius Sacra-menti, tum ob maiorem fidelium denotionem.

2 Secunda Conclusio. Ab hoc ordinario iure sunt aliquæ exceptiones.

Prima, quod ex licentia Episcopi, possit aliquis celebra-re extra Ecclesiam in domo priuata, seu oratorio, nec con-secrato, nec benedicto, *cap. Missarum, de consecrat. distinet. 1.* & *cap. hic ergo, ibidem, & cap. in his, tit. de priuilegiis.* Vnde recte colligunt Doctores posse Episcopum hanc faculta-tem dare absque vlla necessitate; quia non est dispensatio in lege, sed est usus propriæ potestatis & iurisdictionis.

Secunda exceptio est in casu necessitatis, quia tunc licet Missam dicere extra Ecclesiam & oratorium: Imò etiam sub dio, extra domum, in quocumque terræ loco decente, *cap. concedimus, de consecrat. apud Gratianum distinet. 1.* Et iam consuetudine receptum est. Et ratio est, quia necessi-tas non habet legem.

Tertia exceptio potest esse ex aliquo priuilegio, quale habent Prædicatores & Minores celebrandi in quocum-que loco honesto cum altari portatili, *cap. in his, tit. de priuilegiis.* Hæc tamen priuilegia reuocata sunt per Trident. *sess. 22.* ac proinde non licet illis uti, nisi renouentur.

Hic diligenter considerandum est, an eiusmodi priuilegia dirigantur ad personas tantum religiosorum, an ve-ro ad loca ipsorum. Nam si primo modo concessa sint, non possunt ad alios extendi. Verbi gratia, post Tridentinum concessum est Societati nostræ priuilegium, vt Sacerdotes eius in Missionibus possint uti altari portatili vbique gen-tium, & ibi Eucharistiam ministrare. Hoc ergo priuilegio ita possunt uti, vt tamen aliis Sacerdotibus, etiam si socij itineris essent, non liceat in eiusmodi altari alicubi erecto ex tali priuilegio Missam celebrare. Si secundo modo concessa sint, extenduntur etiam ad alios. Sic aliud priuilegium eidem Societati concessum est, vt in suis Colle-giis in priuato oratorio à Provinciali approbato possit Missa celebrari sine alia Episcopi approbatione. In huiusmodi ergo loco possunt, & ipsi sacram facere, & alij qui-libet Sacerdotes,

## Q V A S T I O VI.

*An liceat celebrare in Ecclesia violata?*

1 **P**rima Conclusio. Ecclesia sex modis violatur. *Primo*, per homicidium voluntarium & iniuriosum, *cap. si motum, de consecrat. dist. 1. & cap. proposuisti, de consecrat. Ecclesiae*. *Secundo*, per iniuriosam sanguinis effusionem, *cap. si Ecclesia, de consecr. Eccles. &c. Ecclesiis, de consecr. dist. 1.* *Tertio*, per humani seminis effusionem, nisi sit occulta, *ibid.* *Quarto*, per sepulturam fidelis excommunicati, *cap. consuisti, de consecrat. Ecclesiae*. *Quinto*, per sepulturam pagani, seu infidelis, *can. Ecclesiam, 1. de consecrat. d. 1.* *Sexto*, quando parietes Ecclesiae comburuntur, vel ita destruuntur, ut integrè reædificari oporteat. Tunc enim iterum consecranda est, quia consecratio perditur destructa re in qua fundatur, *cap. tigreis, de consecrat. Eccles.*

2 Secunda Conclusio. Ex suo genere peccatum mortale est celebrare Missam in Ecclesia, antequam purifetur. Ita Scholastici *in 4. dist. 18.* Ratio, quia est contra præceptum Ecclesiasticum in re graui. Potest tamen de licentia Episcopi fieri sacrum in violata Ecclesia. Si enim potest Episcopus dare licentiam celebrandi in loco non consecrato. Ergo etiam in loco nondum reconciliato.

Excusantur etiam, qui in his regionibus Septentrionalibus celebrant in locis in quibus sunt hæretici sepulti, quia necessitate coguntur, cum alibi commodè celebrare non possint; vel etiam Episcopi videntes & consentientes, facultatem præbere censentur.

3 Tertia Conclusio. Qui contra Canones Ecclesiae celebrat in Ecclesia violata, licet peccet mortaliter ( nisi excusetur ) non tamen incurrit censuram, aut irregularitatem, quia de tali pœna non est quicquam in iure expressum, ut habetur *in cap. 15. qui, de sententia excomm. in 6.*

Dices, qui celebrat in loco interdicto fit irregularis. Sed Ecclesia violata est interdicta. Ergo celebrans in illa fit irregularis. Respondeo, locus violatus non est propriè loquendo, interdictus, ut colligitur ex *cit. cap. 15. qui.* Nam in illo capite dicitur fieri irregularis, qui celebrat in loco inter

intedito, non autem qui in Ecclesia violata. Ergo distinguit inter illa duo.

4 Quarta Conclusio : Si contingat Ecclesiam violari, quando Sacerdos actu celebrat, si violatio fit post Canonem inceptum, debet absoluere Missam sine interruptione. Si ante Canonem, debet cessare, donec Ecclesia reconciliata sit. Quod si Ecclesia sit tantum benedicta, & non consecrata, potest ipse Sacerdos statim eam reconciliare per aspersionem aquæ benedictæ, & alias quædam ceremonias in ceremoniali Ecclesiastico. Si autem sit consecrata, non potest nisi ab Episcopo reconciliari.

### Q V A E S T I O V I L .

*An requiratur Altare, Ornamenta & Veste s.*

1 Prima Conclusio : Omnino necessarium est altare, quia hoc ad omne sacrificium offerendum requiritur. Debet autem esse lapideum consecratum altare, siue illud fixum sit, siue portatile. Et in hoc non potest dispensare Episcopus, neque Pontifex legitur vñquam id fecisse, licet ipse facere posset.

2 Secunda Conclusio : Super altare debent esse varia ornamenta ; ac *primo*, debet extendi linteum aliquod, quo tegatur superior altaris superficies. *Secundo*, requiritur palla linea, super quam immediatè extendatur corporale, ita ut sub corporali, vt minimum duæ pallæ sint extensæ super altare, vel vna saltem plicata. *Tertio*, requiritur ipsum corporale benedictum, quod debet esse lineum, & ab Episcopo consecratum. *Quarto*, debet esse lumen, seu lucerna aliqua ardens, sine qua Missam dicere semper sit peccatum mortale. *Quinto*, liber Missalis, qui sufficienter contineat ea, quæ in Missa dicenda sunt, saltem integrum Canonem. *Sexto*, putant aliqui necessariam esse crucem in ipso altari.

3 Tertia Conclusio : Præter ornamento altaris, de quibus dixi, requiruntur etiam alia quædam ad sacrificium, vt calix & patena, vtrumque consecratum ; materia horum fuit olim lignea. Postea Seuerinus Papa cœpit vti vitreis vas, Tandem Urbanus Papa fecit argeptea. Nunc usus obtinuit,

544 C A P . X X V . D E S A C R A M E N T I S  
obtinuit, ut vel aurea sint vel argentea, vel aliquando stau-  
nea, quod tamen rarum est.

4 Quarta Conclusio : Sex sunt vestes præcipuae quibus  
vtitur sacerdos in Missa, amictus, alba, cingulum, manipu-  
lus, stola, casula ; vt patet ex Concilio Remensi apud Bur-  
cardum lib. 2. cap. 50. Circa materiam horum vestimento-  
rum seruanda est consuetudo Ecclesie.

---

### Q V A E S T I O   V I I I .

*Quomodo sint cauendi, vel supplendi defectus substancialis huius sacrificij?*

1 Prima Conclusio : Si in materia, vel forma commis-  
sus sit essentialis defectus, omnino suppleri debet;  
quia facere sacrificium mutilum & imperfectum, intrin-  
secè malum est ?

Quæres : quomodo supplendus fit hic defectus. Verbi  
gratia, quando sacerdos consecravit calicem cum sola  
aqua, quid debet facere cum aduertit defectum ? Resp. Si  
sacerdos ante sumptionem corporis intelligat huiusmodi  
defectum, debet statim vinum apponere, & sanguinem  
confidere ; & sic consummare sacrificium. Si vero sumpto-  
iam corpore sentit defectum, tunc secundum D. Thom. &  
Paludanum, non debet solùm vinum apponere & conse-  
crale ; sed iterum nouam hostiam apponere & consecrare  
simul cum sanguine ; & seruare omnes ceremonias : At  
secundum alios sufficit calicem iterum consecrare, & sta-  
tim sumere absque repetitione aliarum ceremoniarum. Et  
hoc magis probandum est in praxi ad vitandum scanda-  
lum : neque derogat veritati, & perfectioni sacrificij.

2 Secunda Conclusio : Si post consecrationem ritè, se-  
condum materiam & formam factam accidat, ut inuenia-  
tur defectus sumptionem impediens, curandum est ut tol-  
latur, & Sacramentum sumatur. Quod si id fieri non pos-  
sit ; necessarium regulariter erit repetere consecrationem,  
& supplere defectum.

Potest autem variis modis tale impedimentum contingere. Primo, si materiae panis, aut vini admixtū sit venenum ; &  
tunc non sunt sumenda species consecratæ, ut est omnium  
senten-

sententia, quia sacramentum vitæ non est sumendum cum periculo mortis.

**3** Quæres: quid tunc agendum sit tam circa species consecratas, quam circa sacrificium? Resp. *Primo*, species illas conseruandas donec corrumpantur & exsiccentur, & postea in sacram piscinam proiiciendæ sunt, quia tunc Christus non amplius adest sub illis speciebus. Additur autem in Missali Romano, si fuerint species vini infectæ, in panno lineo vel stupa esse inuoluendas donec desiccentur & comburantur. Resp. *Secundo*, si vtraque species veneno infecta sit, debet vtraque species denuo consecrari & postea sumi. Si altera tantum, satis est alteram consecrare.

*Secundo*, potest accidere ut post consecrationem aliquod animal in sanguinem cadat: & tunc si sacerdos potest sine graui detimento, & sine periculo vomitus totum sumere, id erit optimum consilium. Si non potest, primum extra-hatur animal, deinde lauetur, & postea comburatur. Et ablutio cum cineribus in sacrarium mittatur. Si animal fuerit venenosum, & ideo timeatur calicem infectum esse, fiat quod in *præcedenti casu* dictum est. Si verò in calice nullum relinquitur venenum, sumendus est, nisi sacerdos horrorem sentiat, & timeat vomitum. Tunc enim vel sumendus est sanguis ab alio sacerdote, vel consecrandus erit aliis sanguis, & ab eodem sacerdote sumendus, ne sacrificium maneat imperfectum. Alius verò calix conseruandus erit, donec vel ab alio sacerdote, qui vomitum non timet, consumi possit: vel certè naturaliter corrumpatur, iuxta dicta in *præcedente casu*.

*Tertio*, potest accidere, ut post consecrationem calix congeletur, & tunc extrinsecus ignis adhibendus est quoque calefiat.

*Quarto*, post consecrationem potest timeri incursum hostium; priusquam consumatur sacramentum; & tunc sacerdos nullo modo debet fugere ob periculum mortis reliquo sacrificio imperfecto; sed debet perficere sacrificium. Potest tamen, si necessarium fuerit, accelerare sumptionem sacramenti, prætermisis intermediis.

*Quinto*, potest Hostia consecrata disparere miraculosè,

546 CAP. XXV. DE SACRAMENTIS  
aut certe in ea apparere Caro & Sanguis, ita ut sumi non  
possit. Et tunc consecranda est noua Hostia, ut sacrificium  
perficiatur.

*Sexto*, potest accidere ut sanguis effundatur. Et quidem  
si aliquid post effusionem mansit in calice, quod sumi pos-  
sit, etiamsi parum sit, illud sufficiet ad perfectionem sacri-  
ficij. Si vero nihil mansit, iteranda est consecratio. Quid  
autem agendum sit de sanguine effuso, statutum est a Pio  
Papa, cap. si negligentiam. De consecrat. dist. 2. Aut enim ef-  
fusio est usque ad terram, aut tantum super altare. Rursum  
quando cadit super terram, vel super tabulam, vel imme-  
diata in terram ipsam cadit. Si super tabulam, lingua lam-  
betur, & tabula radetur. Si super terram, debet corradi, &  
rasura igne consumi, & cineres intra altare recondi. At  
quando sanguis cadit super altare aut mappam, debet sa-  
cerdos ter illam partem mappæ ablueret supposito calice,  
& aquam ablutionis reponere in piscina sacra.

4 Tertia Conclusio : Quando defectus substantialis non  
potest ab eodem sacerdote suppleri, debet fieri per alium.  
*Cap. Nibil. 7. quaest. 1.* vt v. g. si sacerdos, qui sacrificium in-  
choauit, & ut minimum alteram speciem consecrauit,  
non possit pergere, vel ob mortem, vel ob morbum, aut  
ob aliud impedimentum, tunc aliis debet succedere, qui  
sacrificium perficiat. Si aliis non adfit, sacramentum re-  
uerenter seruandum erit.

---

### Q V A E T I O I X.

*Quomodo accidentales defectus sint supplendi?*

1 **P**rima Conclusio : Generatim loquendo ; defectus  
accidentales præcauendi sunt quantum fieri potest,  
per moralem diligentiam. At postquam commissi sunt, non  
necessariò debent suppleri, reperendo aliquid aut præpo-  
stero ordine dicendo, aut faciendo quod priùs faciendum  
erat. Ratio est, quia haec non sunt de substantia sacrificij,  
& quando non dicuntur, ant fiunt debito tempore ac or-  
dine, potiùs impediunt, quam augeant splendorem sacri-  
ficij, ob quem instituta sunt.

2 Secunda Conclusio: Particulatim loquendo possunt ra-  
les

les defectus tripliciter contingere. *Primo*, si panis esset fermentatus; vel si vino non misceatur aqua. Et hic omnino præcauendus est ante consecrationem, post consecrationem autem non potest suppleri nisi dolendo & pœnitendo, quod t'is error commissus sit. *Secundo*, si Hostia non sit omnino integra, aut si maculam habeat, aut si vinum aliquantulum sit acidum, ita tamen ut certum sit esse verum vinum. Et in his casibus si ab initio præuideatur defectus, & vitari non possit, quia scilicet non potest haberi alia materia, sœpè potest tolerari, si non sit tanta deformitas ut scandalum generet, vel irreuerentiam præ se ferat. *Tertio*, si in verbis vel ceremoniis aliquid per oblationem omittatur, non debet postea, multis aliis interpolatis, repeti vel iterari, ne scandalum generetur.

## QVÆSTIO X.

*Quot modis possit Sacerdos obligari ad Sacrificium pro aliquo offerendum?*

**V**ARIIS modis potest ad hoc obligari. *Primo*, ex obedientia, ut si superior, qui iurisdictionem habet, præcipiat subdito ut Missam pro aliquo offerat. *Secundo*, ex charitate, ut si sacerdos videat aliquem esse in magna necessitate, suadet charitas ut pro illo sacrificium offerat: hæc tamen obligatio non est rigorosa. *Tertio*, ex voto: ut si quis vœeat se pro aliquo celebraturum. *Quarto*, ex simplici promissione, quæ minus obligat quam votum. *Quinto*, ex iustitia & pacto, quod dupliciter fieri potest.

*Primo*, ex aliquo beneficio ad hoc specialiter instituto. *Secundo*, ex peculiari stipendio ob hanc causam dato. Vterque modus est in Ecclesia visitatus.

## QVÆSTIO XI.

*Quomodo ratione Beneficij obligetur Sacerdos ad Missam?*

**I**PRIMA CONCLUSIO: In beneficijs simplicibus attenedenda est eorum institutio & finis. Nam quædam directe instituta sunt ad hunc finem, ut pro defunctis Missæ celebrentur, qualia sunt capellaniæ, & huc reuocari pos-

sunt anniuersaria. Quædam propter alios fines sunt instituta. Priora inducunt obligationem celebrandi ex iustitia, posteriora non item.

2 Secunda Conclusio : De beneficiis curatis ( parochialibus ) est aliqua difficultas. Quidam putant Parochos ratione beneficij teneri quotidie ad offrendum sacrificium pro sibi commissis quibus. Ita Dom. Sotus in 6. de Inst. quest. 3. art. 1. Et in 4. dist. 13. quest. 2. art. 2. Ratio eius est, quia Parochus alitur à suis quibus. Alij rectius docent, Parochos non habere obligationem, quotidie celebrandi pro quibus suis, quia talis obligatio ex nullo iure positivo potest ostendi. Secundo, quia huiusmodi beneficia cutata instituta sunt ad officium pascendi populum subditum. Populus autem pascitur verbo Dei & sacramentorum administratione, non autem quotidiano sacrificio.

## Q V A E S T I O XII.

*Quomodo ratione stipendij obligetur?*

1 RATIO dubij est, quia obligatio ex iustitia non potest oriri nisi intercedat pactum vel conuentio. Sed omnis huiusmodi pactio est reprobata à iure. cap. tua nos. De Simonia. Et cap. ultimo, de pactis. Ratio est, quia talis pactio videtur esse simoniaca, cum in eo detur spirituale pro temporali. Vnde S. Thom. 2. 2. quest. 110. art. 2. ad 2. dicit, licere quidem accipere stipendum, dummodo pactum non intercedat, quia tunc esset simonia.

2 Prima Conclusio : Licitum est accipere & dare stipendia pro Missis. Probatur Primo, ex consuetudine Ecclesie. Secundo, ex scripturis, Luc. 10. vers. 7. Dignus est operarius mercede sua. 1. Corinth. 9. vers. 13. Qui altari deseruunt, cum altari participant. Et ratio est naturalis, quia unusquisque meretur ali ab eo cui deseruit, vel in cuius ministerio & officio occupatur.

3 Secunda Conclusio : Negare non possumus, quin in hoc negocio aliquod pactum interueniat inter dantem stipendia & sacerdotem. Nam ille dat ut hic faciat : hic vero facit, quia recipit, seu ut recipiat stipendum.

Ad rationem contrariam respondent aliqui, duo spe-  
ctari

ctari posse in Misia. *Primo*, ipsum sacrificium & fructum eius spiritualem : & haec non possunt precio estimari, aut in pactum deduci. *Secundo*, corporalem laborem & occupationem: & haec possunt deduci in pactum.

Alij respondent non dari stipendium, tanquam premium operis, sed tanquam sustentationem ministri naturali lege debitam : & hoc sensu posse interuenire pactum.

*2. Tertia Conclusio* : Sacerdos ratione stipendiij tenetur specialiter offerre & applicare sacrificium ei qui stipendium dedit, non quidem applicando suum fructum personalem, quem ipse sacerdos solet capere ex suo sacrificio, quia irrationalis esset obligare sacerdotem ut se priuet omni fructu : Sed applicando fructum illum sacrificij, seu illam portionem satisfactionis, que illi sacerdoti tanquam ministro publico ad distribuendum, seu applicandum promissa est.

### QVÆSTIO XIII.

*Quæ sint iusta Missarum stipendia?*

*1. Prima Conclusio* : Si stipendia taxata sint à superiore habente potestatem, illa censenda sunt iusta, ita ut maiora non possint iuste exigi. Ratio, quia sicut precia aliarum rerum possunt communi lege & publica authoritate taxari ; ita & haec stipendia. Vbi nota, quod haec taxatione stipendorum, si in aliquo loco facta esset, non impediret, quo minus Laici possint dare maiora stipendia, quam taxata sint : quia tunc non agunt ex iustitia, sed ex misericordia aut liberalitate. Sacerdotes tamen non possunt maiora exigere, quam taxata sunt.

*Secunda Conclusio* : Quando stipendium Missarum non est lege taxatum, tunc illud censetur iustum stipendium, quod communi consuetudine communiter receptum & approbatum est, seu quod à viris prudentibus & Deum timentibus communiter peti, aut dari solet. Ratio, quia, seclusa lege taxante, haec est via censendi & iudicandi iusta precia aliarum rerum. Et confirmatur, quia non debet committi cuiuscunque voluntati, ut suo arbitrio possit sti-

pendium iustum augere, vel minuere : hoc enim repugnat rationi iustitiae. Ergo oportet, ut aliqua publica authoritate hoc sanctum sit. Ergo quando non intercedit lex, ex communi aestimatione & consuetudine, quae vim legis habere solet, definiendum hoc est.

**3** *Tertia Conclusio* : Non potest sacerdos seruata iustitia & equitate, ratione vnius Missæ accipere, nisi unum ad equantum stipendium, siue ab una, siue à multis personis. Ratio, quia alioqui excederet terminum à lege, vel a consuetudine taxatum.

### Q V A E S T I O X I V .

*An Sacerdotes diuites possint stipendia pro Missis accipere ?*

**1** **M**ulti negant, quia hoc stipendium potest solum accipi in sustentationem, non autem, ut premium operis. Ergo qui non indiget sustentatione, non potest accipere hoc stipendium.

**Nota** : Sacerdotem posse esse diuitem, vel ex bonis temporalibus & hereditariis, vel ex redditibus Ecclesiasticis, quorum alij reditus dantur cum obligatione dicendi Missam, alij sine tali obligatione.

**2** *Prima Conclusio* : Quamuis sacerdos habeat proprium patrimonium, seu bona temporalia, quibus sufficienter ali possit : tamen sine iniustitia potest accipere stipendium pro Missa. Ita D. Thom. *quod l. 6. art. 10.* Ratio, quia sacerdoti ministranti ex iustitia debetur alimentum. Ergo iuste potest illud accipere, etiam si alioqui temporaliter diues sit, quia hoc est accidentis. Confirmatur à simili, quia miles, licet alius diues sit, iuste accipit stipendium suæ militiae, secundum Apostolum : *Quis militat suis stipendiis unquam?*

**3** *Secunda Conclusio* : Sacerdos habens beneficium Ecclesiasticum, quo sufficienter ali potest, si ratione illius non obligatur ad Missas speciali intentione dicendas, potest sine iniustitia stipendia Missarum accipere. Ratio est eadem, quia quod hi reditus sunt Ecclesiastici, est omnino imper


impertinens, cùm ratione illorum ministerium Missæ non debeatur.

4 Tertia Conclusio : Sacerdos , qui ex obligatione sui beneficij , aut redditum Ecclesiasticorum tenetur Missam pro aliquo dicere , non potest pro eadem dicenda stipendium ab alio accipere. Ratio, quia non potest duo integra stipendia pro eadem Missa accipere.

Dixi pro eadem, quia licet obligatur aliquoties in hebdomada ad sacrificium pro aliquibus offerendum ratione beneficij , nihilominus aliis diebus quibus non obligatur, potest stipendia accipere, vt ex dictis constat.

5 Quarta Conclusio : Parochi , cùm non teneantur quotidianie pro subditis celebrare, vt supra dixi, pro illis diebus quibus non obligantur, possunt stipendium accipere tam ab extraneis, quam à propriis ouibus. Ratio vt supra, quia quoad illos dies habet Parochus ius suum integrum ac si beneficium non haberet. Alius autem diebus quibus obligatur ad Missam pro subditis dicendam, non potest accipere nouum stipendium, quia haberet stipendium duplicatum, quod est contra iustitiam, & tenetur ad restitutionem.

Quod si Parochus aliquo die , quo obligatus est ratione beneficij , rogetur ab aliquo subdito , vt accepto stipendio pro se Missam faciat , debet significare se eo die impeditum esse. Si autem subditus intellecto impedimento nihilominus paratus sit voluntariè dare stipendium vt saltem sui sit memor in Missa , tunc Parochus potest accipere.



## CAPUT XXVI.

### DE SACRAMENTO ORDINIS.

*Divisus est hic tractatus in duo membra.*

**P**ONAM primo aliquot conclusiones , in quibus tota doctrina huius sacramenti comprehenditur. Deinde separatim disputabo de iis quæ maioris mo-

menti sunt. Quod ad prius attinet, dicam *Primo*, quid sit Ordo. *Secundo*, quot sint Ordines. *Tertio*, quae sint officia singulorum Ordinum. *Quarto*, quae materia & forma. *Quinto*, quis effectus. *Sexto*, quis Minister. *Septimo*, quis sit capax Ordinum. *Ottavo*, quae sint ceremoniae. *Nono*, quae annexa, verbi gratia, de cœlibatu ipso.

*meolaz* *Prima Conclusio*: Ordo est sacramentum, quo, adhibitis quibusdam verbis ac rebus confertur alicui potestas spiritualis conficiendi Eucharistie sacramentum, vel administrandi in ordine ad illud conficiendum. Vide Mag. in 4. d. 24. & D. Thom. ibid. qui sic definiunt: *Ordo est signaculum quoddam Ecclesie, quo spiritualis potestas traditur ordinato.*

*ixm* *Secunda Conclusio*: Sunt autem septem Ordines, nempe Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum, Acolytorum, Exorcistarum, Lectorum & Ostiariorum. Ex quibus ordo sacerdotum duplex est. Sunt enim alij maiores sacerdotes, nempe ipsi Episcopi, alij minores, ut Presbyteri. Hi septem Ordines solent generatim diuidi in duo membra. Nam quatuor illorum minores vocantur & non sacri, ut Acolytorum, Exorcistarum, Lectorum & Ostiariorum. Reliqui tres vocantur maiores & sacri. *Primo*, quia immediate versantur circa aliquam rem consecratam. *Secondo*, quia impediunt Matrimonium contrahendum, & dirimunt contractum. *Tertio*, quia habent solenne votum castitatis annexum. Prima Tonsura non est Ordo, sed dispositio, seu preparatio ad Ordines.

*rian* *Tertia Conclusio*: Officia horum Ordinum sunt hæc: Ostiarij est claves templi conferuare, ianuam custodire, dignos admittere & indignos excludere (olim Energumenos, & Catechumenos: & canes nunc.) Lectoris est legere ex pulpito in Ecclesia quicquid legendum est ex utroque Testamento: & fidelibus fidei Christianæ rudimenta proponere. Exorcistæ est super Energumenos nomen Domini inuocare, & Demonem adiurare, ut egrediatur. Acolyti est Diaconum & Subdiaconum in ministerio sequi, preparare ampullas vini & aquæ, & porrigere Subdiacono, ferre cereos ante sacerdotem, & eos seruare sub lectio-  
nem Euangeli. Subdiaconi est inseruire Diacono, calicem  
&

& vinum præparare, sacerdoti administrare aquam pro abluendis manibus, in Missa epistolam legere. Diaconi est ministrare sacerdoti panem & vinum in sacro: Episcopum sequi, & concionantem illum custodire: sacerdoti sacrificanti adfistere, Euangelium legere & cantare: & ex commissione prædicare Verbum Dei sine solennitate (sine sto-  
la) sacerdore impedito. Sacerdotis est consecrare corpus & sanguinem Christi, absoluere à peccatis, pascere subdi-  
tos opere & doctrina.

5 Quarta Conclusio: Materia est id, per cuius traditio-  
nem confertur Ordo. Verbi gratia: Materia sacerdotij est  
porrectio calicis cum vino, & patenæ cum Hostia: Mate-  
ria Diaconatus est liber Euangeliorum: Subdiaconatus, li-  
ber epistolarum & calix vacuus: Ostiariorum claves: Le-  
ctorum liber lectionum: Exorcistarum libellus Exorcismo-  
rum & Adiurationum: Acolythorum, candelabrum cum  
candela extincta & vrceolus vacuus.

Forma vero sunt verba Episcopi, per quæ exprimitur  
actus traditionis & potestas circa rem traditam.

6 Quinta Conclusio: Effectus sunt duo: nempe gratia  
& charaéter. Gratia datur, vt quis idoneus sit Minister: chara-  
cter, vt habeat potestatem administrandi. Porro hic chara-  
cter supponit necessariò characterem Baptismi, non ta-  
men confirmationis. Vnde si quis ordinaretur non bapti-  
zatus, Ordo non teneret. *Infrà conclusione 7.*

7 Sexta Conclusio: Minister ordinarius est solus Episco-  
pus. Possunt tamen Cardinales non Episcopi; & multi Ab-  
bates ex commissione, vel priuilegio conferre minores or-  
dines suis subditis. Quod si Episcopus sine licentia, aut  
literis dimissoriis ordinet alterius subditum, Ordo qui-  
dem tenet, sed tamen ordinatus est suspensus.

8 Septima Conclusio: In iis, qui volunt Ordines susci-  
pere, requiruntur hæ conditiones. *Prima*, sexus Masculi-  
nus. *Secunda*, Baptismus. *Tertia*, scientia tanta, vt quis pos-  
fit exercere actus sui ordinis ritè. *Quarta*, sufficiens ætas.  
*Quinta*, probitas. *Sexta*, multi alij prohibentur ordinari à  
iure, vt bigami, solenniter pœnitentes. Neophyti, cu-  
riales, ferui, corpore vitiati, illegitimi, infames, excom-  
municati, suspensi, interdicti, & omnes irregulares. Duæ

primæ conditiones requiruntur ut valida sit ordinatio, reliquæ ut licita sit: quamuis si quid defit, peccatum committatur.

9 Octaua Conclusio: Ceremoniæ, quæ adhibentur in ordinatione sunt sacræ vñctiones, quibus vngitur caput Episcoporum, & manus Presbyterorum. An autem manus impositio sit etiam ceremonia, an potius spectet ad essentiam huius sacramenti, disputabimus *infra*.

10 Nona Conclusio: Annexa dicuntur, quæ consequuntur ex ordine suscepto. Sunt autem triplicia. *Primo*, quædam pertinent ad significandum ipsum statum, seu vitæ conditionem Ministri ordinati, ut nomen Clerici, tonsura & habitus Clericalis. *Secundo*, quædam pertinent ad prærogatiuam aliquam & dignitatem clericorum, ut ius & aptitudo ad beneficia Ecclesiastica, & variæ immunitates, quarum præcipua videtur esse exemptio clericorum à sacerdotali potestate. *Tertio*, quædam pertinent ad quoddam onus clericorum, ut obligatio recitandi horas canonicas & seruandi castitatem. Hæc generatim ac summatim de Ordinis sacramento.

### Q V A E S T I O I.

*An Ordo sit Sacramentum propriè dictum?*

1 **N**egant Lutherus in libro de capt. Babyl. Illyricus in confessione Antuerp. cap. II. Kemnitius in 2. p. Exam. Affirmant Catholici, & ex aduersariis Calvinus libr. 4. Institut. cap. 14. §. 20. Et cap. 19. §. 31. Et Melanchthon in locis postea editis. Et in apolog. confess. August. artic. 3. Nota, tria requiri ad sacramentum propriè dictum, ut fatentur Aduersarij, nempe symbolum seu ritum externum, promissionem gratiæ, mandatum seu institutionem Diuinam. Videndum ergo est, an hæc tria reperiantur in Ordine.

2 Prima Conclusio: In ordinatione Ministrorum Ecclesiæ reperitur symbolum, seu ritus externus, scilicet manum impositio, ut patet ex Scriptura Act. 6. vers. 6. Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus. Vbi ordinantur Diaconi septem per manus

bus Apostolorum. Act. 13. vers. 3. Tunc ieiunantes & orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos. Vbi Paulus & Barnabas ordinantur Episcopi per impositionem manuum. Act. 14. v. 22. Et cum constituerent illis per singulas Ecclesias Presbyteros. Græcè est χειροτονίας δι' αὐτῶν ηγένεται, id est, cum per manus impositione creassent illis Presbyteros. 1. Timoth. 4. v. 14. Noli negligere gratiam, quæ data est tibi, cum impositione manuum Presbyterij. Ibid. cap. 5. v. 22. Manus cito nemini imposueris, neque communicaueris peccatis alienis. Et 2. Tim. 1. v. 6. Resuscita gratiam Dei quæ est in te per impositionem manuum mearum. Et hæc omnia loca intelliguntur ab omnibus expositoribus, de Ordinatione. Vnde etiam apud Græcos vocari solet χειροτονία, id est manuum extensio seu impositio.

Respondet Kemnitius. Apostolos solere manus extenderem quidem in ordinatione Ministrorum Ecclesiæ, non tamen ideo, ut per eam ceremoniam conferrent sacramentum: sed ut eos Deo commendarent, & pro iis orarent. Sed contrà est. Primo, quia Act. 6. v. 6. vbi ordinantur Diaconi ab Apostolis, oratio distinguitur ab impositione manuum. Secundo, quia illa verba Apostoli: Manus citò nemini imposueris, neque communicaueris peccatis alienis, non possunt explicari de oratione, sed de ceremonia, qua ordinantur Ministri. Non enim communicat peccatis alienis, qui orat pro indigno, sed qui ordinat indignum, & confert illi sacramentum.

3 Secunda Conclusio: In ordinatione Ministrorum Ecclesiæ promittitur & confertur gratia, qua idonei redduntur ad obeundum Ministerium, ut aperte patet. 1. Tim. 4. vers. 14. Noli negligere gratiam, quæ data est tibi cum impositione manuum Presbyteri. 2. Tim. 1. v. 6. Resuscita gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.

Respondet Kemnitius hanc non esse gratiam iustificantem à peccato, quæ necessaria est in sacramento propriè dicto. Sed contrà, quia si Kemnitius putat in quolibet sacramento conferri debere primam gratiam iustificantem, quæ re ipsa tollat ( tegat secundum illos) peccatum mortale, non poterit defendere Eucharistiam esse sacramentum, quia Eucharistia non est per se instituta ad conferen-

ferendam primam gratiam & tollendum peccatum mortale, sed potius ad gratiam conseruandam & augendam, & ideo non sumitur nisi ab iis qui iudicantur mundi, & puri à peccato, iuxta 1. Cor. ii. v. 28. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat.* Si autem putat Kemnitius in quolibet sacramento conferri aliquam gratiam iustificantem, siue primam, siue augmentum illius, quatenus distinguitur à gratia gratis data; non potest ipse negare, quod ordinatio sit sacramentum, quia in illa gratia iustificans est distincta à gratia gratis data. Et hoc patet 2. Tim. i. vers. 6. vbi, cùm dixisset gratiam Timotheo datam esse per impositionem manuum, statim explicat, quæ sit illa gratia, his verbis: *Non enim dedit Deus spiritum timoris, sed virtutis, & dilectionis, & sobrietatis.* Et apud Ioan. cap. 20. vers. 22. cùm Christus daret Apostolis potestatem remittendi peccata, quæ est pars quædam sacerdotij, dixit: *Accipite spiritum Sanctum.* At gratia gratis data, quæ potest esse in impiis etiam & peccatoribus, non vocatur unquam absolute Spiritus sanctus. Sed spiritus & donum linguarum, &c.

4 Tertia Conclusio: Ordinatio Ministrorum Ecclesie est à Deo instituta & mandata, vt aperte colligitur ex Act. 13. vers. 2. *Segregate mibi Paulum & Barnabam in opus ad quod assumpsi eos.* Et Act. 20. vers. 28. *In quo vos spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei:* quasi dicat, non populus. Ephes. 14. vers. 11. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam Prophetas, alios autem Pastores & Doctores.*

Respondet Kemnitius, extare quidem mandatum, vt Ministri ordinentur, non tamen, vt certo ritu ordinentur, nempe per manus impositionem, aut per sacram Unctionem. Contra vero est, quia licet disertis verbis non extet mandatum de manus impositione: tamen euidenter ex Scriptura colligitur. Ratio, quia nullus homo aut Angelus, sed solus Deus potest gratiam alligare certo signo aut instrumento, vt etiam Aduersarij concedunt. Atqui gratia alligata est impositioni manuum in ordinatione Ministrorum Ecclesie, vt patet ex illis verbis: *Resuscita gratiam, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Ergo Deus alliganit gratiam impositioni manuum in ordinatione. Ergo vult

vult gratiam conferri per impositionem manus.

Dices : Christus cùm ordinauit Apostolos , non legitur illis manus imposuisse. Respondeo. Nec contrarium legitur. Deinde non dispuo hoc loco , quid Christus fecerit , qui non erat alligatus sacramentis ; sed quid voluerit Apostolos & horum successores facere , qui sunt alligati sacramentis.

## QVÆSTIO II.

*An ordinatio Episcopalis distinguitur ab ordinatione Presbiterij?*

1 **A**ntiqua quæstio est : An Presbyter iure Diuino sit Episcopo æqualis. Affirmavit olim Aërius hæreticus , Epiphanius *her. 75.* Augustinus *libro de hæresibus , in titulo 6. cap. 53.* Aërius enim , cùm esset Presbyter , doloréter que quod non posset ordinari Episcopus , cœpit docere Episcopum non esse maiorem Presbitero , ut refert S. Augustinus *loco citato.* Idem postea docait Ioannes Vviclefius , teste Voldensi *lib. 2. de doctrina fidei , art. 3. cap. 60.* Et nostro tempore Caluinus *lib. 4. Instit. cap. 4. §. 2.* vbi dicit solum iure humano maiorem esse Episcopum ; & perinde se habere inter Presbiteros , sicut Consul se habet inter Senatores. Idem sentit Kemnitius *in exam. sess. 23. Trident.* Et Erasmus *in priorem ad Timoth. cap. 4.* Verùm iure Diuino Episcopum maiorem esse Presbitero potestate ordinis ac potestate iurisdictionis , patet ex Conc. Trid. *sess. 23. c. 4. & can. 6. & 7.* Hoc breuiter explicandum est.

2 Prima Conclusio : Episcopus iure Diuino maior est Presbitero , quantum ad potestatem ordinis. Ratio est , quia Episcopus potest ordinare Sacerdotes , quod Presbyter facere non potest. Ita enim docent Damasus *in epist. 3.* Epiphanius *hæref. 75.* Chrysostomus , Theophylactus & Oecumenius *in 1. ad Tim. cap. 3. & 4.* Leo Papa *epist. 88.* Et D. Hieronymus *in epist. 85. ad Euagrium ,* vbi sic ait : *Quid facit Episcopus excepta ordinatione , quod Presbyter non faciat ?*

Confirmatur experientia , quia nullus unquam Sacerdos , aut Diaconus ordinatus est , nisi ab Episcopo . Quod autem

558 CAP. XXVI. DE SACRAMENTIS  
autem hoc sit iuris Diuini, patet, quia ordinatio à Presbytero facta habetur irrita, secundum Damasum, *loco citato*. Et Gregorium III. in epist. ad Bonifacium. At non esset irrita si Presbyter iure Diuino haberet potestatem ordinandi.

Dices: Etiam si iure Diuino haberet potestatem ordinandi; tamen Ecclesia posset prohibere usum illius potestatis; & sic ordinatio esset irrita? Respondeo. Prohibitio Ecclesiae solum facit, ut ordinatio sit illicita, non autem ut sit irrata. Simile est in potestate consecrandi Eucharistiam. Quamvis enim Sacerdos ab Ecclesia suspensus, vel excommunicatus peccaret consecrando Eucharistiam, tamen consecratio teneret, quia potestas consecrandi est à Deo. Et ideo non potest tolli per prohibitionem Ecclesiae.

3 Secunda Conclusio: Episcopus etiam iure Diuino maior est Presbytero, quantum ad potestatem iurisdictionis. Probatur primo, ex figura veteris Testamenti, quia olim iure Diuino tres gradus erant distincti, nempe Pontificum, Sacerdotum & Leuitarum, ita ut Pontifex esset maior Sacerdotibus, & hi Leuitis; quia & consecrationes eorum erant distinctae, & vestes, & officia, Exod. 28. & 29. & Leuit. 8. & Num. 3. 4. & 8. & alibi. At nostri Episcopi respondent Pontificibus, & Presbyteri Sacerdotibus, & Diaconi Leuitis. Ita Damasus in epist. 3. S. Hieronymus & Leo Papa locis citatis, Concilium Hispalense I L. canone 7. & multi alii. Ergo nostri Episcopi iure Diuino sunt maiores Presbyteris.

Hoc argumentum non solum procedit de potestate ordinis, sed etiam iurisdictionis, quia constat Pontificem veteris Testamenti utraque potestate fuisse maiorem Sacerdotibus. Primo, potestate Ordinis, quia solus Pontifex consecrabat Sacerdotes & Leuitas, in deserto praesertim; & solus intrabat in Sancta Sanctorum ad aspergendum sanguinem hirci in die expiationis, quæ semel fiebat in anno. Secundo, potestate iurisdictionis; quia constat iurisdictionem in veteri Testamento penes Pontificem fuisse, non autem penes minores Sacerdotes, ut patet ex illo Deuteronomio 17. vers. 12. *Qui superbierit nolens obedire*

obedire Sacerdotis imperio, ex decreto iudicis morietur. Hoc etiam fatentur Centuriariores Magdeburg. cent. I. lib. I. cap. 7. his verbis: *In Ecclesia populi Iudaici unus erat tan- sum lege Diuina Sacerdos summus, quem omnes cogeban- tur agnoscere, eique parere; ecce iurisdictionem, Calui- nus 4. Institut. cap. 6. §. 2. Illic unum Antilitem praef- cit, quem omnes respicerent; quo melius in unitate contine- rentur.*

Secundo probatur conclusio ex distinctione duodecim Apostolorum & septuaginta Discipulorum. Nam Apostoli iure diuino fuerunt maiores septuaginta Discipulis; ut colligitur ex diversa institutione; quia Christus voluit, solum esse duodecim Apostolos, quos ut plurimum secum habebat & priuatim instituebat: Discipulos autem voluit esse septuaginta duos. Deinde solis Apostolis dixit Ioannis 20. v.21. *Sicut me misit Pater, ita ego vos. Postremo, cum propter defectionem Iudei numerus duodenarius imminutus esset, assumptus est S. Matthias cum solenni quadam ceremonia, qui tamen antea erat ex numero Discipulorum. Ergo plus erat esse Apostolum quam Discipulum. Atqui verò Episcopi succedunt Apostolis, & Presbyteri discipulis, ut constanter docent Damasus epist. citata. Anacletus epist. 2. S. Hieronymus in epistola ad Marcellam, de erroribus Montani. August. in Psal. 44. Leo epist. 88. Ifidorus lib. 2. de Diuinis officiis. Beda in cap. 10. Luce. Concilium Neocæsariense can. 13. & alij passim. Ergo Episcopi iure Diuino sunt maiores sacerdotibus.*

Tertio probatur ex Act. 20. vers. 28. *Attendite vobis & uniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere (iurisdictionem) Ecclesiam Dei. Et 1. Timoth. 5. v.19. Aduersus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus. Ex priori loco colligimus Episcoporum propriam esse curam & gubernationem Ecclesie. Ex posteriore Timotheum, qui fuit Episcopus, fuisse iudicem Presbyterorum, ac proinde in potestate iurisdictionis superiorem.*

Quarto probatur ex Patribus Clementis in canonibus Apostolorum, can. 40. ait: *Presbyter & Diaconi præter Episcopum nihil agere pertinent. Nam Domini populus illi commissus est,*

*er pro animabus eorum redditurus est rationem.* Tertullian,  
in libro de Baptismo: *Ius habet dandi Baptismum summus sa-*  
*cerdos, qui est Episcopus; de hinc Presbyteri & Diaconi, sed non*  
*sine Episcopi voluntate.* Similia D. Dionysius in Hier. Eccles.  
cap. 5.

4 Prima Obiectio sumitur ex illo ad Phil. 1. v. 1. *Paulus*  
*& Timotheus serui Iesu Christi omnibus sanctis qui sunt Phi-*  
*lippis cum Episcopis & Diaconibus.* Hic per Episcopos de-  
bent intelligi Presbyteri; quia si intelligerentur Episcopi,  
quales nunc sunt, sequeretur fuisse in una ciuitate plures  
Episcopos, quod est absurdum.

Respondeo cum D. Thom. in 2.2. q.148. art.6. ad 1. Illa  
duo nomina *Episcopas & Presbyter*, tempore Apostolorum  
fuisse communia omnibus Sacerdotibus, tam maioribus,  
quos nunc Episcopos vocamus, quam minoribus, quos  
Presbyteros appellamus, licet res ipsae & potestates distin-  
cta essent. Itaque S. Paulus nomine Episcoporum comple-  
xus est omnes sacerdotes.

Eadem solutio adhiberi potest ad alia quædam testimo-  
nia, vbi nunc Episcopi pro Presbyteris, nunc Presbyteri  
pro Episcopis nominantur; vt v. g. 1. ad Tit. 1. v. 5. *Huius*  
*gratia reliqui te Cretæ, ut constitutas per ciuitates Presbyteros.*  
Et paulò post explicans, quales debeat constituere Presby-  
teros, ita subdit: *Oportet Episcopum sine crimine esse.* Vnde  
patet illum promiscuè usurpare duo illa nomina Episco-  
pus & Presbyter.

5 Secunda Obiectio sumitur ex 1. Tim. 4. v.14. *Noli negli-*  
*gere gratiam, que data est tibi cum impositione manuum, Pres-*  
*byterij.* Ex quo loco dicit Kemnitius S. Hieronymum de-  
monstrasse Episcopum posse ordinari à Presbyteris; ac  
proinde Episcopum non esse maiorem Presbytero.

Resp. Kemnitium mentiri. Nam D. Hieron. in Epist. ad  
Euagrium, quam citat Kemnitius, expressè docet Presby-  
teros non posse ordinare. Verba sunt hæc: *Quid facit*  
*Episcopus, excepta ordinatione, quod non etiam faciat Presby-*  
*ter?* Adduxit autem S. Hieronymus locum S. Pauli il-  
lum, ostendens Episcopos in Scripturis aliquando voca-  
ri Presbyteros. Sic enim exposuit illa verba: *Per imposi-*  
*tionem manuum Presbyterij, id est, per impositionem manuum,*  
qua

qua Presbyteratum acceperisti, ut Presbyteratus sit idem, quod Episcopatus. Constat enim Timotheum fuisse Episcopum, & non simplicem Presbyterum. Alij tamen nomine Presbyterij intelligunt cœtum Presbyterorum, id est, Episcoporum, qui Timotheo in ordinatione Episcopali manus impoluerant. Ita Chrysost. & alij Græci in illum locum.

6 Tertia Obiectio est ex D. Hieronymo, qui in epist. ad Titum, cap. i. scribit hoc modo: *Idem Presbyter, qui Episcopus;* & antequam Diaboli instinctu studia in religione fierent, & diceretur in populis: *Ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cepha,* communis Presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur: postquam vero unusquisque eos quos baptizauerat, suos putabat ejus, non Christi; in toto orbe decretum est, ut unus de Presbyteris electus superponeretur ceteris; ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, & schismatum semina tollerentur. Et infrâ: *Sicut ergo Presbyteri sciunt se ex Ecclesiæ consuetudine ei, qui sibi præpositus fuerit, esse subiectos;* ita Episcopi nouerint se magis consuetudine, quam dispositionis Dominicæ veritate Presbyteris esse maiores. Eadem penè verba habent Anselmus & Sedulius in eundem locum S. Pauli.

Resp. Variæ sunt solutiones. Prima est D. Thom. in 2.2. q. 184. art. 6. ad 1. vbi dicit Hieronymum loqui de nominibus Episcopi & Presbyteri, non autem de re ipsa, vel officio. Sed contrâ est, quia verba Hieronymi planè contrarium ostendunt. Secunda est Antonij Delphini lib. 2. de Ecclesia, dicentis Hieronymum sentire initio Ecclesiæ nascientis omnes Presbyteros fuisse Episcopos, non quod idem esset Episcopatus & Presbyteratus, sed quod vtraque dignitas omnibus Sacerdotibus eo tempore daretur. Postea vero ad euitanda schismata cœpisse aliquos solum Presbyteros ordinari, & ita ex Ecclesiæ consuetudine factum esse, vt Episcopi essent maiores Presbyteris. Sed contrâ, quia S. Hieronymus contendit Episcopatum tanquam rem nouam cœpisse ex consuetudine Ecclesiæ. Hoc autem non esset verum, si omnes olim Presbyteri fuissent simul Episcopi.

Tertia est Michaëlis Medinæ lib. 1. de Sacrorum hominum continentia, cap. 5. vbi dicit Hieronymum, Anselmum, Sedulium, & alios Patres fuisse planè in errore Aërij; Ecclesiam

tamen in illis non damnasse cum errorem, sed tolerasse, eò quod essent alias Catholici, damnasse autem eundem errorum in Aërio, quia ipse in multis aliis punctis erat hereticus. Sed contra, quia hoc est iniuriam facere antiquis Patribus, & toti Ecclesiæ, quasi illa vnum eundemque errorum dampnaret in uno, & toleraret in aliis.

*Quarta* est nostra, Hieronymum sensisse, quod Episcopus, licet iure Diuino sit maior Presbytero, quoad potestatem ordinis; non tamen sit maior quoad potestatem iurisdictionis. Et hoc valde est conforme verbis S. Hieronymi.

7 *Quarta Obiectio* sumitur ex S. August. Epist. 19. ad Hieronymum, ubi sic ait: *Quamvis secundum honorem vocabula, quæ iam Ecclesiæ usus obtinuit, Episcopatus maior sit Presbyterio; in multis tamen rebus Augustinus Hieronymo minor est,* Resp. illa verba: *usus Ecclesiæ, possunt dupliciter exponi, Primo, in principio nascentis Ecclesiæ Episcopi, & Presbyteri erant æquales, sed iam usus obtinuit ut Episcopatus sit maior Presbyterio. Secundo sit: antequam Ecclesia Christi institueretur, nomina ista Episcopus & Presbyter, non erant honoris vocabula, sed officij vel ætatis: nunc autem honoris ac dignitatis nomina sunt.* Et secundum hæc nomina Augustinus maior est Hieronymo, quamvis in multis aliis rebus sit minor. Hoc secundo sensu intelligenda sunt illa S. Augustini verba.

8 *Quinta Obiectio.* Christus ordinavit Presbyteros in ultima coena secundum omnes Catholicos. At nusquam legitur ordinasse Episcopos. Ergo Episcopatus non est introductus iure Diuino. Resp. Petrus à Christo fuit ordinatus Episcopus, & à Petro, Iacobus & Ioannes, & ab his cæteri Apostoli, ut copiosè ostendit Ioannes de Turcrecremata lib. 2. summa Eccles. cap. 32. Bellarm. lib. 1. de Pontifice, cap. 23.

### Q V A E S T I O III.

*An ordinatio Episcopalis sit Sacramentum?*

i **N**egat Dom. Sot. lib. 4. de iust. & iure, quest. 1. art. 2. & aliqui antiquiores Scholastici in 4. d. 24. Affirmant

mant Ioannes Major, Scotus, Paludanus in 4. distinct. 24.  
Petrus Sotus lectione 4. de Sacramento Ordinis. Cajetanus  
tomo 1. opuscul. capite 11. & multi Canonistæ cap. Perfectus,  
distinct. 25.

**2** Vnica Conclusio. Probabilius est ordinationem Episcopalem esse propriè Sacramentum. Probatur *primo*, ex Patribus antiquis, qui ut plurimum loquuntur de Episcopatu, quando dicunt Ordinem esse Sacramentum. *secundo*, quia scripturæ, quibus Catholici probant Ordinem esse Sacramentum, intelliguntur de ordinatione Episcopali, *ut 1. Tim. 4.* Et *2. Tim. 1.* patet. Nam in his duobus solidis locis ponitur symbolum externum cum promissione gratiæ. At in his agitur de ordinatione Timothei, qui fuit Episcopus a Paulo ordinatus, ut omnes docent interpres in hos locos. Similiter *Aet. 13.* agitur de ordinatione Episcopali Pauli & Barnabæ. Quare si ordinatio Episcopalis non est Sacramentum, non possumus ex scripturis aperte probare Ordinem esse Sacramentum.

*Tertio* probatur, quia ordinatio Episcopalis est externa ceremonia conferens gratiam, & imprimens characterem spiritualem. Ergo est propriè Sacramentum. Prius patet ex illo *2. Timot. 1. vers. 6.* *Resuscita gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Posterior probatur *primo*, quia Episcopalis ordinatio non potest repeti. *secundo*, quia Episcopus potest conferre duo Sacraenta; Confirmationem & Sacerdotium, quæ non possunt ulli alij ordines inferiores conferre. E. Episcopus ex sua ordinatione habet spiritualem potestatem sibi propriam, & consequenter characterem. An autem hic character sit omnino nouus & distinctus; an verò extensio characteris Presbyterialis, parum ad rem facit.

**3** Prima Obiectio. Episcopatus non est Ordo nouus; alioquin essent plures Ordines quam septem. Ergo etiam non est nouum, & distinctum Sacramentum. Respondeo, Episcopatus & Presbyteratus faciunt unum Ordinem unitate generica, qui diuiditur in duas species, quarum una includit aliam.

**4** Secunda Obiectio. Si Episcopatus esset Sacramentum, sequeretur aliquem posse ordinari Episcopum, qui non

564 C A P . XXVI . DE SACRAMENTIS  
effet Presbyter, ut patet in simili. Nam si aliquis ordinare-  
tur Presbyter, qui antea non fuisset Diaconus, ille effet  
vere ordinatus. Respondeo, non est simile, quia Presby-  
teratus non includit essentialiter Diaconatum, sicut Epi-  
scopatus includit Presbyteratum.

5 Tertia Obiectio. Vel character Episcopalis est maior  
Presbyterali, vel non. Si maior. Ergo est aliquid maius po-  
testate consecrandi Eucharistiam; quod omnes negant. Si  
non est maior. Ergo Episcopus, ut Episcopus non est ma-  
ior Presbytero, quod est contra dicta superius. Respon. si  
praeceps spectetur Episcopalis character, minor est chara-  
ctere Presbyterali. Si autem spectetur integer character,  
qui est in Episcopo, quatenus continet Episcopalem &  
Presbyteralem, tunc est maior solo Presbyterali.

---

#### Q V A E S T I O    I V .

*An impositionem manuum sit de essentia Ordinis.*

1 N ordinatione Presbyteri & Diaconi est duplex sym-  
bolum externum, impositionem manuum, & porrectio ca-  
licis, aut alterius instrumenti. Est autem quæstio vtrum  
horum sit essentialis materia huius Sacramenti.

2 Prima Opinio est, solam porrectionem instrumento-  
rum esse materiam essentialiem. Ita Dom. Soto in 4. d. 24.  
quæst. i. art. 4. Gregor. de Val. quæst. i. de Sacramento Ordinis,  
puncto 5. & quidam alij. Probatur primo, quia in Concil.  
Florentin. non assignatur alia materia, nisi porrectio in-  
strumentorum. Secundo, quia Innocentius III. cap. Pa-  
storialis. De Sacramentis non iterandis. Et Gregor. IX. ibid.  
cap. Presbyter, dicunt non debere iterari ordinationem fa-  
Etiam sine manus impositione, sed supplendum esse quod  
omissum est. Addit Gregor. IX. impositionem manuum  
esse ritum ab Apostolis inductum. Tertio, quia tunc ali-  
quis sit sacerdos, cum dicitur: accipe potestatem offe-  
rendi Sacrificium. Sed tunc non imponuntur manus, sed  
tantum calix cum vino, & patena cum pane porrigitur.  
Ergo impositionem manuum post accedens non pertinet ad es-  
sentialiam Ordinis.

3 Secunda Opinio est, non solam instrumentorum por-  
rectionem,

rectionem, sed etiam manus impositionem esse materiam essentialiem. Ita Petr. Soto lect. 5. de *Sacramento Ordinis*. Mart. Ledesm. in 4. quæst. 36. art. 4. ad 1. Hosius in *Conf. Polonica*, cap. 50. Bellarm. de *Sacramento Ordinis*, cap. 9. Henriquez de *Sacramento Ordinis*, cap. 6. Quibus fuit D. Th. in 4. dist. 25. quæst. 1. i. Bonaventura, Scotus & Paludanus in 4. dist. 24. & Altisidorenensis in 4. parte *Summae Theologicae*.

Probatur hæc opinio primo, quia Scripturæ pro extero symbolo ordinationis passim tradunt impositionem manuum, ut supra citauit. Secundo, idem faciunt antiqua Concil. Pontifices & Patres. Concil. Nicenum primum, can. 9. Antiochenum can. 10. & 17. Carthaginense quartum, can. 3. & 4. Clemens lib. 8. constit. cap. 2. Damasus Epistol. 4. Innocentius I. Epist. 22. ad Episc. Macedoniae. Leo I. Epist. 87. ad Episc. Africæ. Ambrosius lib. de dignitate Sacerdotali, cap. 5. vbi sic habet: *Homo manum imponit, & Deus largitur gratiam*. D. Hieronym. in cap. 58. Isaiae, vbi ait: *ordinario non solum ad impetrationem vocis, sed etiam ad impositionem manuum impletur*. Hinc Greci, ut dictum supra, vocant ordinationem *χρηστιανικαν*, id est, manus impositionem.

4. Prima Conclusio. In ordinatione Presbyterorum, de qua potissimum disputatur, conferuntur duæ potestates: Una consecrandi Eucharistiam; altera absoluendi à peccatis. Christus dñiisit has potestates duas cum ordinavit Apostolos, & vnam tradidit in ultima cœna dicens: *Hoc facite: alteram post resurrectionem dicens: Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis, &c.*

5. Secunda Conclusio. Hoc tempore consertur hæc duplex potestas cum duplii ceremonia externa, & cum duplii forma verborum. Prior potestas, scilicet consecrandi Eucharistiam consertur cum porreptione instrumentorum, & cum hac forma: *Accipe potestatem offerendi sacrificium pro viuis & defunctis*. Posterior consertur cum impositione manuum, & cum hac forma: *Accipe spiritum sanctum quorum remiseris peccata, remittuntur eis*. Quæstio est an utraque ceremonia sit essentialis, & à Christo instituta? Authoræ secundæ opinionis affirmant.

6 Tertia Conclusio. Impositio manuum videtur esse materia essentialis huius Sacramenti, & à Christo instituta: porrectio vero instrumentorum videtur esse accidentalis, & ab Ecclesia introducta. Probatur *primo*, quia nec in Scripturis, nec in Antiquis PP. & CC. fit illa mentio porrectionis instrumentorum, sed tantum impositionis manuum.

Dices: Christus in ultima coena legitur Apostolis porrexisse calicem. Respond. porrexit calicem cum sanguine, non cum vino ut nunc fit. Deinde non legitur porrexisse patenam, sed tantum panem fractum & consecratum. *Secundo*, probatur, quia Diaconis hoc tempore porrigitur liber Euangeliorum, qui non potuit porrigi Apostolorum tempore, cum nondum extaret talis liber. Idem dici potest de quibusdam instrumentis, ut de libro Exorcismorum, de clauibus templi, de candelabro, & similibus, quia non est verisimile huiusmodi instrumenta fuisse porrecta tempore Apostolorum, cum nec Scriptura, nec antiqui Patres id affirment.

7 Ad *primum* argumentum *prime* opinionis. Respond. Conc. Florentinum in instructione Armenorum solum meminisse materię accidentalis, quæ ab Ecclesia fuit instituta; non autem substantialis, quam Christus prescripsit, quia haec ex Scripturis & Antiquis PP. erat satis cognita, non autem illa. Addo, si hoc argumentum valeret, posse optimè retorqueri, ita Antiqua Concilia non assignant aliam materię nisi impositionem manuum. Ergo, &c.

Nota: Antiqua Concilia assignasse materiam à Christo institutam: Florentinum vero materiam assignasse, quam Ecclesia introduxit.

Ad *secundum*, Respond. Innocentium & Gregorium nihil aliud dicere, quam impositionem manuum, si omis-  
sa sit in Ordinatione, supplendam esse, quod est pro nobis, quia hinc sequitur ordinationem non esse perfectam sine manuum impositione. Quod addit Gregorius manuum impositionem esse ritum ab Apostolis introductum, non sic debet accipi, quasi Apostoli hunc ritum instituerint, sed quia illi primi coeperunt illum usurpare in ordinationibus.

Ad tertium, Resp. tunc aliquem fieri perfectè Sacerdotem, quando accipit omnem potestatem Sacerdotalem & gratiam sanctificantem. Est enim duplex potestas, una consecrandi Eucharistiam, altera absoluendi à peccatis. Autores primæ opinionis putant utramque simul dari, quando fit porrectio instrumentorum, longè antè impositionem manuum. Putant enim porrectionem esse materiam essentialem, qua perficitur Sacramentum, ac proinde impositionem manuum, quæ postea sequitur, esse planè extrinsecam. Effectus enim Sacramenti non pendet ab extrinseco, sed ab ipsa substantia Sacramenti.

Authores autem secundæ opinionis putant priorem potestatem dari per porrectionem instrumentorum, & posteriorem per impositionem manuum. Et hoc necessariò dicendum esset, si ponamus utramque ceremoniam esse essentialem, & præterea Sacraenta physicè concurrere ad effectum, & non tantum concurrere moraliter.

Ad secundum nostra principia dicendum est utramque potestatem conferri per moralem efficientiam, ac proinde parum referre, siue materia & forma Sacramenti sit physicè præsens quando effectus confertur, siue sit absens.

### QVÆSTIO V.

*Cuius sit ordinare Ministros Ecclesie.*

<sup>1</sup> **H**ic tria distinguenda, electio, ordinatio, & vocatio seu missio. Electio nihil aliud est, quam designatio certæ personæ ad ministerium Ecclesiasticum. Ordinatio est externa ceremonia, qua certo ritu ordinatur & consecratur minister Ecclesie. Missio seu vocatio tribuit iurisdictionem in actu secundo, & re ipsa facit Episcopum, & pastorem populi. Hoc posito quæstio est inter Catholicos & aduersarios, quis in Ecclesia habeat ius presentandi, eligendi, ordinandi & mittendi.

<sup>2</sup> Prima Opinio est, solius Dei esse eligere pastores Ecclesie. Ita Vvielef. & Huss. tette Vvaldensi lib. 2. Doctrinae fidet, cap. 39. & 40. Fundamentum illorum est, quia soli predestinati possunt esse Pastores, & Episcopi in Ecclesia;

568 CAP. XXVI. DE SACRAMENTIS  
cùm Ecclesia constet ex solis prædestinatis. At solus Deus nouit, qui sint prædestinati. Ergo solus Deus potest elige-re Pastores & Episcopos. Vide Conc. Constantiense *sess. 8.*  
& *15.* vbi recitantur articuli illorum hæreticorum.

3 Secunda Opinio est Lutheranorum & Caluinistarum, qui duo docent. *Primo*, electionem & missionem iure Diuino spectare ad totam Ecclesiam, id est, ad clerum & populum, ita ut electio, aut missio nulla sit, quæ sine populi consensu, & suffragio facta est. Ratio est, quia populus iure Diuino non tenetur accipere Pastorem, quem neque nouit, neque cupit. *Secundo* docent ordinationem, quæ per manus impositionem fieri solet, solis Pastoribus tribuendam esse, quoad externam ceremoniam: quia non potest commodè fieri, ut totus populus imponat alicui manus. Non tamen solis Pastoribus, quoad vim & valorem, quia Pastores id faciunt nomine totius cleri & populi; ita ut verè dici possit ac debeat, totum clerum & populum non solum eligere & mittere, sed etiam ordinare ministros Ecclesiæ. Vide Lutherum *in libro de potestate Papæ*. *Caluin. 4. Instit. 3. §. 15.* *Kemn. in Exam. Conc. Trident. sess. 23.* & alios passim.

Hinc inferunt apud Pontificios nullum esse legitimum Epif. opum aut Pastorem, quia in eligendo Episcopo, & Pastore excluditur populus à ferendo suffragio.

4 Tertia sententia est Catholicorum, qui similiter duo docent. *Primo*, ius ordinandi & mittendi Ministros nullo modo pertinere ad plebem. *Secundo*, ius eligendi fuisse aliquando, & aliquo modo penes populum, non tamen legge Diuina, sed concessione, vel connuentia Pontificum. Hæc sententia breuiter explicanda est, & dicendum. *Primo*, de Electione. *Secundo*, de Ordinatione. *Tertio*, de Missione, seu Vocatione.

5 Prima Conclusio. Electio Ministrorum Ecclesiæ non sit à solo Deo. Est contra Uviclef. & Huss. putantes solos prædestinatos eligi posse ad ministerium, ac proinde à solo Deo id fieri oportere, qui solus nouit, qui sint prædestinati: Hoc facile refellitur. *Primo*, exemplo ipsius Dei, qui elegit Saulen in Regem, qui tamen fuit reprobus. *Secundo*, exemplo Christi, qui elegit Iudam proditionem, *Ioan. 6.*

*vers. 70.*

vers. 70. Nōnne ego vos duodecim elegi, & ex vobis unus Diabolus est? Tertio, exemplo Apostolorum, qui Acto. 6. v. 5. elegerunt septem Diaconos, inter quos fuit Nicolaus, qui postea fuit hærefiarcha. Quarto, ex Patribus. Orig. homil. 4. in librum Iudicum, docet sāpē Deum ad punienda populi peccata permittere ut impij regant Ecclesiam, Chrysost. homil. vlt. ad epist. ad Hebr. August. l. 2. contra exemplum Parmentianū c. 4. Et Bernard. serm. 66. in Cantica, docent homines malos posse esse veros Episcopos, quod confirmat Bernardus ex illo testimonio de Caipha, Ioan. 11. v. 51. Cum esset Pontifex anni illius, prophetauit, quod Iesus moriturus erat pro gente. Caiphas enim licet iniquus & reprobus, fuit tamen verus Pontifex, quia Deus ratione illius officij dedit illi donum prophetandi.

Quinto, probatur ratione directa, quia si solus Deus eligeret ministros Ecclesie, vel id faceret sola interna voluntate, sine ullo signo externo, vel certe visibili & extero aliquo signo: Si primum, frustra esset talis electio, quia nihil de ea nobis constaret: Si secundum, vel signum id esset miraculosum, ut verbi gratia, descensus columbae, vel aliud: vel loco signi accipiendae essent sortes, ut factum est, Acto. 1. vers. 26. in electione S. Matthiae. At miraculosa signa sunt valde rara, & hoc tempore nusquam apparent in electione ministrorum. Vt autem sortibus, quando humano consilio res transfigi potest, nullo modo licet. Nam directio sortium, vel expectatur à casu, vel à cœlo, ut Mathematici, vel à Diabolo, vel à Deo. Si à casu, stultum est electionem Pastorum committere temeritati fortunæ, quando maturo consilio potest definiri. Si à cœlo, superstitionis est, quia cœlum non habet vim moderandi liberas hominum actiones, qualis est electio ministrorum. Si à Diabolo, impium ac sacrilegum est, quia non debemus illum praescire rebus sacris. Si tandem à Deo, peccatum est tentationis Dei petere & expectare ab eo ut dirigat sortes, quando neque ipse se id facturum promisit; neque deest humaanum consilium, quo res sine sortibus possit transfigi. Unde Ecclesia merito improbavit electionem Prælatorum per sortes, ut patet, cap. Ecclesia. De Sortilegiis. Vide etiam

S. Hieronym. in cap. 1. Ione, & V. Bedam in caput primum  
Actorum.

6 Dices primo, Salomon affirmat sortes à Deo gubernari,  
Prou. 16. v. 13. dicens : *Sortes mittuntur in suum, & à Domino  
temperantur.* Respondeo. Salomon loquitur de communi  
illa Dei Prouidentia , quæ cernitur in omnibus rebus &  
euentibus , siue deliberatis , siue fortuitis. Deus enim per  
suam prouidentiam ita gubernat omnia , vt , quoctunque  
modo res cadat, nouerit eam dirigere ad bonum aliquem  
finem. Hoc modo gubernat etiam electionem per sortes.  
Siue enim bonus, siue malus eligatur , Deus nouit electionem  
illam in bonum exitum conuertere. Non autem loqui-  
tur Salomon de aliqua peculiari Dei Prouidentia , qua ita  
dirigat sortes, vt semper optimus quisque eligatur.

7 Dices secundo , cur ergo Apostoli elegerunt Matthiam  
per sortes, si non putauerint Deum peculiari quadam pro-  
uidentia sortes gubernare? Respond. exemplum particula-  
re non facit regulam communem. Apostoli potuerunt ex  
Divina inspiratione eligere per sortes , quod aliis sine tali  
inspiratione non licet. Hoc sensu dixit S. Hieron. loca cit.  
*Priuilegium unius non debere trahi in exemplum ordinariae  
electionis.* Secundo , Respond. etiamsi nullo priuilegio , aut  
inspiratione vni fuissent Apostoli in electione per sortes,  
tamen rectè fecissent, quia Matthias & Barnabas, ex quibus  
alterum volebant eligere, adeò erant pares sanctitate &  
doctrina , vt humano iudicio discerni non posset, vter esset  
præponendas. In eiusmodi autem casu licitum est vti for-  
tibus, tum quia non tentatur Deus , quando aliquid ab eo  
exquiritur, quod humano consilio determinari non potest:  
tum quia nullum est periculum in euentu , quando pares  
sunt de quorum electione agitur: tum denique, quia neutri  
parti sit iniuria, & omnis querimoniarum materia præscin-  
ditur. Vide S. Augustinum Epist. 180. ad Honoratum , vbi in  
simili casu querit , quid agendum sit, quando tempore per-  
secutionis est disceptatio inter Ministros Ecclesie , qui eo-  
rum maneant, ne deseratur Ecclesia. Et respondet, cum talis  
disceptatio sit inter ministros bonos & feruentes caritatem,  
si iudicio humano non possit terminari , sorte eligendos  
esse, qui maneant, & fugiant. Idem lib. 1. Doctr. Christ. cap. 28.  
ponit

ponit alium casum his verbis: *Si tibi abundaret aliquid, quod dari oportet ei, qui non haberet, nec duobus dari posset, si tibi occurrerent duo, quorum neuter alium, vel indigentia, vel erga te aliqua necessitudine superaret, nihil iustius faceres, quam ut sorte eligeres, cui dandum esset, quod dari utique non posset.*

Videntur idem fecisse Iudei, quando ex multis Sacerdotibus eligebatur unus, qui certo tempore thus Domino adoleret, ut colligitur ex illo Luc. i. v. 9. Sorte exiit Zacharias, ut incensum ponere. Legatur ibi Maldonatus.

**8 Secunda Conclusio.** Electio Ministrorum Ecclesie, ut verbi gratia, Pontificis, Episcoporum, aut Pastorum iure Diuino non conuenit toti populo, nec ex eius consensu & suffragio dependet. Est contra Lutheranos & Caluinistas. Probatur *primo*, exemplo Aaronis, qui à solo Moysi fuit electus in Pontificem, sine viro consensu vel consilio multitudinis. Scribitur autem, *Hebr. 5. v. 4.* *alios eodem modo eligendos esse.*

*Secundo*, probatur falsitas exemplo Christi, qui sine viro populi suffragio elegit Apostolos *12. & 72.* Discipulos. *Tertio*, exemplo Apostolorum, qui eodem modo elegerunt Apostolos, ut constat ex eo, quia Episcopos à se creatos mittebant ad populum absentem & infidelem, cuius consensum in electione non habuerant.

Respondet Kemnitius, Episcopos missos ad infideles fuisse electos à plebe illius Ecclesie ubi ordinabantur. Sed contra, *Primo*, quia hoc non probari potest ex scripturis, ideo gratis dicitur. *Secundo*, quia unus populus non habet ius eligendi Episcopum pro alio populo. *Tertio*, quia Aduersarij dicunt ideo electionem Episcopi pertinere ad populum in re Diuino, ne populi accipiunt pastorem, quem neque volunt, nec norunt. Ergo volunt electionem pastoris pertinere ad illum populum cui præficiendus est pastor. Hoc autem ostendi falsum esse exemplo Apostolorum.

*Quarto*, probatur conclusio exemplis & testimoniosis veterum, Ruff. l. 10. hist. c. 9. scribit Fruuentium ab Athanasio creatum Episcopum Indorum, Indis ipsis ea de re nihil scientibus, aut cogitantibus. Gregorius ii. ordinavit sanctum nostrum Bonifacium Episcopum Germanorum, sine horum scitu & consensu, ut patet ex eius vita.

*Quinto*, probatur ex antiquis Conciliis. Laodicense can. 13. sic habet: *Non est permittendum turbis electionem eorum facere, qui sunt ad sacerdotium promouendi.* Concilium Nicenum 11. canone 3. *Omnem electionem Episcopi, vel Presbyteri, vel Diaconi, quae sit a Magistratibus, irritam manere decernimus: oportet enim eum, qui est promouendus ad Episcopatum, ab Episcopis eligi.* Concilium Constantinopol. I V. canone 22. ait: *santa & uniuersalis Synodus definit neminem Laicorum Principum, vel Potentum semet inserere electioni, vel promotioni Patriarchae, vel Metropolitani, aut cuiuslibet Episcopi, praesertim cum nullam in talibus potestatem quemlibet Laicorum habere conueniat.*

*Sexto*, ratione probatur, quia multa incommoda sequuntur ex electione populari. *Primo*, quia cum populus plerumque sit imperitus, non posset iudicare, an aliquis sit aptus & idoneus ad Ecclesiam regendam, nec ne. Vnde Valentianus Imperator, cum Episcopi deferrent ad eum electionem Episcopi Mediolanensis, respondit: *Maior res est, quam ut nobis conueniat: vos autem gratia Divina praediti meius eligetis.* Ita Theodoretus refert 4. hist. cap. 6.

*Secondo*, in populo plures passim sunt mali quam boni, & plures stulti quam sapientes. Ergo si ex pluralitate votorum populi eligeretur Episcopus, semper quisque ineptissimus eligeretur. Vnde Chrysostomus lib. 3. de Sacerdotio, grauiter conqueritur, quod suo tempore electiones Episcoporum essent in arbitrio populi; & ideo dicit non esse mirum si mali præficiantur, & boni negligantur.

*Tertio*, quia ex electione populari sequuntur seditiones, teste Augustino epistola 110. & 215. referuntque etiam Russinus lib. 11. cap. 10. Et S. Hieronymus in Chronico, in electione Damasi tanto furore concurrisse partes populares, ut in quodam templo 137. homines fuerint occisi.

*9 Tertia Conclusio:* Ordinatio Episcoporum & aliorum Ministrorum Ecclesie non pertinet ad plebem, sed ad solos Episcopos. Probatur primo, quia solus Moyses, qui erat Sacerdos & Pontifex, ordinavit Aaronem & filios in Sacerdotes. Secundo, quia impositio manuum, per quam ordinantur Ministri, ut Aduersarij fatentur, nisquam tribuitur plebi, sed Apostolis & aliis Episcopis, ut patet ex locis citatis.

citatis. *Tertio*, ex Conciliis, præsertim Niceno primo can. 4. Carthaginensi secundo, *canone 12.* & aliis. *Quarto*, ex Patribus, qui constanter docent solius Episcopi esse ordinare Diaconos, Presbyteros & Episcopos. *Quinto*, ex perpetua Ecclesiæ consuetudine, quæ etiam feruatur apud Lutheranos & Caluinistas; vbi illi soli imponunt manus, qui habentur & vocantur pastores & Episcopi, licet rœvera non sint.

Dices: Pastores id faciunt Episcopi nomine & autoritate totius populi. Respondeo. Hoc duplíciter intelligi potest. *Primo*, vt in ipso populo sit vera potestas ordinandi. *Secundo*, vt in eo non quidem sit potestas ordinis, sit tamen potestas iurisdictionis, qua possint imperare Pastoribus & Episcopis, vt certis hominibus à se designatis manus imponant. Neutro modo verum est. Non *primo*, quia potestas Ordinis non confertur, nisi per ordinationem. Constat autem totum populum non esse ordinatum. Nec *secundo*, quia potestas iurisdictionis Ecclesiastice non est, nisi in Prælatis Ecclesiæ, vt *infra* ostendam.

Ex hac conclusione sequitur apud aduersarios nec veram Ecclesiam, nec veros Episcopos & pastores reperiri, quod sic ostendo: Non est vera Ecclesia, vbi non sunt veri Pastores. Caluinus 4. *Instit. cap. 1. §. 11.* & *cap. 3. §. 4.* Non sunt autem veri Pastores, qui non sunt per impositionem manum à veris pastoribus ordinati. Caluinus *lib. 4. cap. 3. §. 16.* At Lutherus, Zuinglius & Caluinus non per manus impositionem fuerunt à veris Pastoribus ordinati. Ergo non sunt veri pastores. Minor probatur, quia nec à suis, nec à nostris sunt ordinati. Non à suis, quia ipsi fuere primi inter suos (sues.) Nec à nostris, quia ipsi contemnunt nostram ordinationem, ceu inualidam. Nam Caluinus *lib. 4. cap. 5. §. 3.* de nostra ordinatione sic ait: *Ordinatio nihil aliud est quam merum ludibrium.*

Hinc concludo: Si primi Lutheranorum & Caluinistarum pastores, nec suis, nec à nostris legitimè ordinati fuere; non potuisse etiam alios, qui secuti sunt, legitimè ordinari.

Respondet Caluinus *lib. 4. cap. 3. §. 4.* Quando Ecclesia est semel bene constituta, tunc Pastores non posse ordinari

574 CAP. XXVL DE SACRAMENTIS  
ordinari, nisi pastoribus: quando autem Ecclesia, vel pri-  
mum constituitur; vel certe renouatur ac restituitur, tunc  
solere Deum extraordinario modo excitare Apostolos  
& Euangelistas, in quorum numero se & Lutherum sine  
dubio collocat.

Contra primo, quia Ecclesia à Christo semel instituta non  
potest deficere, cùm sit fundata supra firmam petram. Ergo  
non indiget nouis architectis & reformatribus. Secundo,  
quia noui Apostoli non solent mitti a Deo, nisi cum signis  
& miraculis, & in eo distinguuntur à nouis Hæreticis qui  
à diabolo mittuntur.

12 Quarta Conclusio: Missio, seu vocatio Ministrorum non  
pertinet ad populum, sed Episcopos, & potissimum ad sum-  
mum Pontificem. Ratio, quia hæc missio est actus iurisdi-  
ctionis Ecclesiastice. Hæc autem iurisdictionis non est in po-  
pulo, sed in Prælatis Ecclesiæ. Non enim populo dictum  
est: *Tibi dabo claves: aut, Pasce oves meas: aut, Quorum remis-  
eritis peccata remittuntur eis.*

Confirmatur primo, quia tempore Apostolorum non  
mittebantur ministri, nisi ab Apostolis & Episcopis, vt fa-  
tentur Centuriatores centuria 1.lib.2.cap. 2. Et colligitur ex  
cap. 14. Actorum, vers. 22. vbi Paulus & Barnabas constituie-  
bant per ciuitates Presbyteros. Et ex Apostolo ad Tit. 1.v.5.  
vbi ait: *Huius rei gratia reliqui te Cretæ, ut constituas per ci-  
uitates Presbyteros, sicut & ego disposui tibi.*

Secundo confirmatur, quia si electio non pertinet ad po-  
pulum iure Diuino, vt probatum est, multo minus missio &  
vocatio, quia ipsa electio non requirit iurisdictionem.

13 Prima Obiectio: Claves regni Cœlorum non soli Pa-  
pæ & Episcopis, sed toti Ecclesiæ datae sunt. Ergo tota Ec-  
clesia habet potestatem iurisdictionis. Antecedens proba-  
tur, quia, quod Matthæi 16.v.19. *Tibi dabo claves regni Cœlo-  
rum*, hoc dicitur Petro, quatenus gerit personam Ecclesiæ,  
vt explicat S. Augustinus tractatu 124. in Ioannem. Simiter  
toti populo dicitur Matthæi 18.v. 18. *Quaecunque alligaueri-  
tis super terram, erunt ligatae & in Cælo*. Illis enim dicitur  
hoc, quibus paulo ante dicitur: *Si peccauerit in te frater tuus,*  
*corripe eum.*

Respondeo. Illa verba: *Tibi dabo claves, &c.* Ideo dicuntur  
dicta

dicta Petro in persona totius Ecclesie, quia Petrus in com-  
modum & utilitatem totius Ecclesie claves accipit. Simi-  
liter illa: *Quicumque aliquaveritus, &c.* dicuntur Ecclesie, id  
est, Prælati Ecclesie. Ecclesia enim dicitur habere potesta-  
tem soluendi & ligandi, quia Prælati Ecclesie illam ha-  
bent. Eodem sensu intelligitur illud: *Dic Ecclesie.*

14 Secunda Obiectio: Christus *Ioan. 10.* mandat, ut non  
audiamus vocem alienorum. Et *Matth. 7.* ut fugiamus falsos  
Prophetas. Ergo populus Christianus habet Christi man-  
datum, quo tenetur bonos Pastores querere & vocare, &  
malos reiicere. Respondeo. Aliud est attendere, an noui  
Concionatores dicant aliquid falsum & contrarium illi  
doctrinæ, quam antecessores tradiderunt: aliud verò habe-  
re potestatem iurisdictionis vocandi aut deponendi Mini-  
stros Ecclesie. Illud prius pertinet ad totum populum; hoc  
posteriorius ad Prælatos Ecclesie.

15 Tertia Obiectio: Episcopi dicuntur esse Ministri Eccle-  
sie non Domini. *i. Corin. 3. vers. 5. i. Petri 5. v. 3.* Ergo suum-  
mum tribunal est penes Ecclesiam & non Episcopos. Ergo  
Ecclesia potest eligere & vocare Ministros. Respondeo. Epi-  
scopi dicuntur Ecclesie Ministri, non quod obediant Ec-  
clesie, sed quia hanc regunt & præsident. Vnde non habent  
se sicut servi respectu Dominorum, sed sicut magistratus  
respectu subditorum. Hoc patet *Act. 20. vers. 28.* *Attendite  
uniuerso gregi, &c. regere Ecclesiam Dei.*

16 Quarta Obiectio: Non soli Apostoli, sed tota Ecclesia  
elegit Matthiam & Barnabam, ut ex iis Deus unum assume-  
ret. Respond. Non est contra nos, quia non dicimus popu-  
lum ex concessione non posse admitti ad electionem (quia  
hoc factum est frequenter) sed dicimus non esse iuris Diuini,  
ut populus habeat suffragium. Si enim esset iuris Diuini,  
iam nulla electio esset iuris Diuini, in quam populus  
non consentit; quod est aperte falsum, ut ex dictis patet.

17 Quinta Obiectio: Totus populus elegit Stephanum.  
*Act. 6. vers. 5.* *Placuit sermo coram omni multitudine, & elege-  
runt Stephanum, & statuerunt ante conspectum Apostolorum.*  
Respondeo. Iam dixi hoc posse fieri ex concessu Prælatorum.  
Apostoli autem concederunt multitudini, ut eligerent  
septem viros plenos Spiritu sancto.

18 Sexta Obiectio: Cyprianus lib. 1. epist. 4. sic ait: *Plebz maximè habet potestatem eligendi sacerdotes, & indignos recusandi, quod & ipsum videmus de Diuina authoritate descendere.* Respond. Cyprian. per Diuinam authoritatem non intelligit ius Diuinum, sed exempla Diuinorum Scripturarum. Itaque non dicit descendere ex Diuino iure, ut Episcopus à populo eligatur, sed ab exemplis Diuinæ Scripturæ. Adducit autem tria exempla Scripturæ; Eleazari, Num. 11. Matthiæ Act. 1. septem Diaconorum, Act. 6. qui omnes coram populo ordinati sunt. Exempla autem Scripturarum non faciunt rem esse de iure Diuino, sed hoc faciunt præcepta Dei.

Secundo respondeo. Cyprianus non dicit populum habere potestatem eligendi & suffragandi per calculum, sed tantum per testimonium, quia potest testari ordinandum esse bonum vel malum, & sic testimonio suo efficere, ut vel eligatur, vel non.

## QVÆSTIO VI.

## De potestate Ministrorum Ecclesie.

*nro* 1 Prima Conclusio: Triplex est potestas Ecclesiastica, Ordinis, iurisdictionis interioris, & iurisdictionis exterioris. Prima refertur ad Sacraenta conficienda & ministranda. Secunda ad populum Christianum regendum in foro conscientiæ. Tertia ad eundem populum regendum in foro exteriori.

2 Secunda Conclusio: Ad potestatem ordinis spectat: Primo, consecrare Eucharistiam. Secundo, conferre Sacramentum Confirmationis. Tertio, ordinare Diaconos, Presbyteros & Episcopos. Quarto, chrisma confidere. Quinto, oleum infirmorum sacrare. Sexto, consecrare virgines, tempa, facella, altaria, vasæ & vestes. Hæc omnia potest præstare Episcopus potestate ordinis. Et quidem priora quinque conueniunt illi iure Diuino, sextum humano. Presbyter potest consecrare Eucharistiam, reliqua non item.

Vnde patet potestatem Ordinis Episcopo maiorem esse quam in Presbytero.

*nro* 3 Tertia Conclusio: Ad potestatem iurisdictionis interioris spectat

spectat ius dicere in foro conscientiæ, quod fit absoluende a peccatis, vel ligando. Hæc potestas significatur nomine clauium; iuxta illud Marth. 16. vers. 19. *Tibi dabo claves regni cœlorum, & quocunque ligaueris super terram, &c.* Quamuis claves ad plura se extendant, quia non significant tantum potestatem soluendi & ligandi in foro conscientiæ, sed etiam in foro exteriore, ut ex sequentibus patebit.

**4. Quarta Conclusio:** Ad potestatem iurisdictionis exterioris spectat excommunicare suspendere, interdicere, visitare diœcesin, corriger, punire, Synodum conuocare, constitutiones condere, beneficia conferre, Ecclesiæ minores coniungere & annexere, voti & iurisurandi vincula soluere, causas audire & cognoscere, quorundam peccatorum absolutiones sibi reseruare ( licet non sit Sacerdos ) impedimenta quædam Matrimonij remouere, dies festos instituere, indulgentias conferre, clericos è gradu deiicere. Hæc omnia potest facere Episcopus in sua diœcesi.

Præter hæc sunt illi quædam commissa in Tridentino, circa Religiosos & eorum Monasteria, Ecclesiæ & capellas, tum ratione sui muneris & officij: tum ex delegatione summi Pontificis. Ac primo, potest compellere Religiosos, ut in suis Ecclesiæ seruent interdicta & censuras ab eo latas, colant dies festos, & vocati conueniant ad publicas supplicationes; iis tantum exceptis, qui in strictiore clausura perpetuo viuunt. *sess. 25. cap. 12. & 13. de Regularibus.*

Secundo, potest Episcopus examinare & approbare confessores & concionatores à superioribus Religiosorum electos & sibi oblatos. *sess. 23. cap. 15. & sess. 5. cap. 2. de Reformatione.*

Tertio, potest visitare capellas Religiosorum, vel Ecclesiæ curam populi habentes. *sess. 25. cap. 8. de Reform.*

Quarto, potest punire Religiosum extra claustra notoriè & cum aliorum offensione delinquentem, si à superiore intra tempus ab Episcopo præfixum punitus non fuerit. *sess. 25. cap. 14. de Regularibus.* Et hæc sunt iuris Episcopi.

Quinto, ut delegatus Romani Pontificis potest compellere Monasteria ( si Abbates negligant ) ut aliquem

578 CAP. XXVI. DE SACRAMENTIS  
habeant sacræ Scripturæ interpretem & Doctorem, *sess. 5.*  
*cap. 1.* Item ut Ecclesiis suis Parochialibus prouideant. *Ibidem, cap. 2.*

*Sexto*, potest commendata Monasteria, Abbatias, Prioratus & Præposituras, in quibus Religiosa disciplina non viget, quotannis visitare, instaurare, reficere, *sess. 21. cap. 8. de Reformatione.*

*Septimo*, potest etiam, vt delegatus gubernare monasteria Monialium, quæ Sedi Apostolicæ immediate subiecta sunt, *sess. 25. cap. 9. de Reformatione.* De mediate subiectis certum est esse iuris eius.

---

## QVÆSTIO VII.

*Vnde Sacerdotes habeant potestatem iurisdictionis interioris?*

1 **A** pud Theologos certum est potestatem Ordinis im-  
mediate conferri à Deo in ordinatione sacramen-  
tali. At dubium est de potestate remittendi peccata, quod  
pertinet ad iurisdictionem interiorem.

2 Secunda Opinio est, hanc potestatem conferri ab Ec-  
clesia. Ita Melchior Canus *Relat. 5. parte. Ioannes de Turre-*  
*crem. lib. 1. de Ecclesia, cap. 96. Durandus in 4. d. 19. quæst. 2. Bo-*  
*nauent. ibid. art. 3. quæst. 1. ad 2. Ioannes Medina c. de Confessio-*  
*ne.* Fundamentum est, quia videmus iurisdictionem limita-  
ri ab Ecclesia; quod fieri non posset, nisi ab Ecclesia deriu-  
retur. Hæc tamen sententia, nisi forte intelligatur eo mo-  
do, quo dicetur *in conclusione 1.* falsa est. *Primo*, quia in or-  
dinatione sacerdotes non tantum accipiunt potestatem  
ordinis ad consecrandum, sed etiam constituuntur indices,  
cùm illis dicitur: *Accipite Spiritum sanctum, quorum, &c.* Er-  
go accipiunt potestatem ad ferendam sententiam. Ergo ac-  
cipiunt iurisdictionem, quia iurisdictione est potestas ius di-  
cendi. *Secundo* falsa est, quia si acciperent totam iurisdi-  
ctionem ab Ecclesia, optimè possent dicere cùm absoluunt  
à peccatis: *Ego te absoluo auctoritate Ecclesiæ, cùm tamen*  
*dicere debeant: Ego te absoluo auctoritate Christi. Confir-*  
*matur à simili, quia in excommunicatione potest dicere*  
*index: Ego te absoluo auctoritate Ecclesiastica, quia potest to-*

tam

tam iurisdictionem exteriorem accipere ab Ecclesia. Tertio falsa est, quia secundum hanc sententiam non potest comode explicari quomodo Pont. possit sibi eligere confessarium. Non enim videtur posse alicui conferre iurisdictionem supra seipsum.

**2.** Secunda Opinio est Nauar. in *Manual.* c. 4. num. 2. & 3. vbi docet sacerdotes in sua ordinatione accipere iurisdictionem habitualem; ab Ecclesia vero tantum actualis. Hoc clarissimum explicat in c. placuit. d. 6. de pœn. vbi dicit duo esse in iurisdictione, scil. potestatem ex parte sacerdotis, & materiam circa quam versatur potestas. Itaque sacerdotes in sua ordinatione accipere potestatem, quæ diuino iure extendebat se ad omnes homines, quamdiu ab Ecclesia non impeditur. Posse autem impediri ab Ecclesia, si materia illi subtrahatur. Adfert simile, quia Ecclesia, licet non tollat potestatem consecrandi, potest tamen tollere materiam consecrationis, & ita nullum erit exercitium huius potestatis.

Ex hac doctrina duo colligit. *Primo*, Sacerdotes in Ecclesia primitiva usque ad tempora Urbani I I. habuisse potestatem actualis in quolibet poenitentes, quia iure diuino in sua ordinatione accipiebant potestatem absque ullo impedimento ex parte materiae. Urbanus autem subtraxit materiam. *Secundo*, colligit, Pontificem posse sibi eligere confessarium, non quod tradat illi potestatem aut iurisdictionem supra se; ( illam enim habet sacerdos iure diuino respectu cuiuscunque poenitentis ) sed ex eo solùm, quod non impedit potestatem illius, quam posset impedire subtrahendo materiam.

Hæc sententia etiam falsa est, quia si Sacerdotes in sua ordinatione acciperent potestatem in quemlibet poenitentem, ita ut quilibet poenitens iure diuino esset assignata materia huic potestati, Ecclesia non posset hanc potestatem sua lege impedire. Patet in simili, quia non potest impedi potestatem consecrandi, ut factum non teneat prohibiendo materiam panis, idque propterea, quia iure diuino assignata est illi materia panis. Potest quidem Ecclesia, immo quilibet homo, corporaliter subtrahere materiam panis, ut non fiat consecratio; sed non potest efficere, ut consecra-

580 CAP. XXVI. DE SACRAMENTIS  
tio non valeat si Sacerdos consecret panem iure Diuino  
assignatum. Idem ergo dicendum esset de potestate ab-  
soluendi, si diuino iure quilibet poenitens esset eius mate-  
ria. Tunc enim Ecclesia non posset efficere, ut absolutio  
esset irrita, quando Sacerdos aliquem à peccatis absolueret;  
quanquam corporaliter posset impedire, ut non haberet  
Sacerdos quem absolueret.

Quod autem Nauarr. dicit de primitiva Ecclesia ante  
tempora Urbani, falsum est, quia Urbanus non primus pro-  
hibuit Sacerdotibus, ne quemlibet pœnitentem absolu-  
rent; sed ante hunc prohibuerunt hoc Dionyius & Ca-  
lixtus 1. ut habetur apud Gratian. 13. q. 1. c. 1. & 9. quæst. 2. c. 1.  
Imò constat ab initio Ecclesiæ fuisse diuīlos Episcopatus  
& Parochias, & consequenter diuīlam fuisse iurisdictionem.  
Sed fortè aliquis abusus irrepsit, ut Presbyteri ali-  
quando absoluissent alienos parochianos; ideò à tribus ci-  
tatis Pontificibus decretum est, ne aliquis alienum paro-  
chianum absoluisset; non quod Pontifices nouum aliquod  
ius statuerent, sed potius declararent antiquum & semper  
seruatum Ecclesiæ ius.

Quod secundo addit, etiam falsum est. Pontifex enim,  
quando eligit sibi confessarium, non eligit ex eo tantum  
quod non impedit Sacerdotis potestatem, sed reuera con-  
fert illi aliquid, ut infra dicam.

3 Tertia Obiectio est Caiet. tom. 1. Opus. trad. 7. vbi dicit  
iurisdictionem duplicitate accipi posse. Primo, ex parte prin-  
cipij actiui, ita ut potestas ipsa iurisdictionis sit principium  
iudicii, sicut in naturalibus calor est principium calefacien-  
di; & in Politicis potestas Principis est principium pu-  
nandi. Secundo, inuenitur iurisdictionis ex parte eius rei, qui  
iudicandus est; & talis iurisdictionis est in iudice arbitro, qui  
cum non habeat potestatem ex parte principij actiui, qua-  
lem solent habere iudices ordinarij, aut delegati, accipit  
iurisdictionem ex parte materiae per voluntatem litigan-  
tium, qua se illius iudicio subiiciunt.

Hoc posito dicit Caietanus in Sacerdote ad absolu-  
endum per se non esse necessariam iurisdictionem ex parte  
principij actiui, sed solum ex parte materiae. Ratio, quia sa-  
cramentalis absolutionis principium non est potestas iuris-  
dictio

risdictionis, sed ordinis. Potestas autem iurisdictionis concomitanter se habet ad hoc tantum, ut Sacerdos habeat materiam sibi subditam.

Hanc sententiam impugnat Nauarr. in cap. placuit de paenitentia, distinct. 6, quia in iudice arbitro non dicitur esse aliqua iurisdictio, sed tantum notio, quæ illi competit ex conventione partium. I. ait prætor. ff. de re iudicati. Et I. notionem. ff. de verborum significationibus. Sed siue vocemus notionem, siue iurisdictionem, hoc certum est, non tantum esse iurisdictionem ex parte materiæ, sed etiam ex parte principij actiui ad ferendam sententiam tam in iudice arbitro, quam in ordinario & delegato. Et ratio est, quia iurisdictio passiuæ necessariè refertur ad actiuam, sicut patiens ad agens. Ergo vbiunque conceditur passiuæ iurisdictio, concedi debet in iudice actiuâ ad ferendam sententiam.

4 Quarta Opinio est Antonini 3. p. tit. 17. cap. 4. Angeli verb. confessio. 3. num. 4. Ioannis Maioris in 4. d. 19. q. 9. circ. finem, & aliorum, quam deinceps explicabimus.

5 Prima Conclusio: In iurisdictione, quæ requiritur ad absolutionem Sacramentalem, duo sunt: Vnum est potestas absoluendi ex parte sacerdotis; & hæc immediate conferatur à Christo in ordinatione sacerdotis: Alterum est applicatio materiæ huic potestati; & hæc est ab Ecclesia. Ex his duobus nascitur perfecta & integra iurisdictio, quæ dici potest actualis iurisdictio, ut vocat illam Nauarrus, quia est potestas expedita ad operandum, quando habet debitam materiam applicatam. Potestas autem ex parte Sacerdotis tantum, dici potest iurisdictio habitualis, quia est impedita, neque potest exire in actum ob defectum applicationis materiæ.

6 Secunda Conclusio: Applicatio materiæ fit dupliciter. Primo, via ordinariæ. Secundo, ex commissione. Via ordinaria est, quando verbi gratia, aliquis constituitur Episcopus alicuius dicœsis, aut Parochus alicuius Parochiæ. Hæc autem semper facta est expressa, vel tacita autoritate Pontificis approbantis electionem Episcoporum & Parochorum. Solus Pontifex habet hanc materiam applicatam iure Diuino, & olim omnes Apostoli, qui immédiatè ordinati

582 C A P . XXVI . D E S A C R A M E N T I S  
fuerunt à Christo. *Secundo*, fit ex commissione, quando scilicet proprius pastor propriam ouem alteri committit, non constituendo ipsum pastorem ex officio, sed vices suas illi conferendo.

Et hoc facere potest Pontifex in toto orbe Christiano. Episcopus in sua diœcesi; Parochus in sua Parochia.

*7. Tertia Conclusio:* Est tamen differentia inter utramque assignationem materiae, quia quando est assignata via ordinaria, non potest auferri, aut impediri actus iurisdictionis, sine iusta causa; & si de facto impediretur, factum non teneret, quia proprius pastor semper exercere potest officium, nisi iusta de causa à superiore impediatur. Quando vero applicatur materia ex commissione, tunc ita pendet ex nutu committentis, ut sine villa causa impediri aut auferri possit pro libitu & arbitrio.

---

### Q V A E S T I O VIII.

*Vnde Episcopi habeant potestatem Iurisdictionis exterioris.*

**P**RIMA Opinio est, Episcopos eam habere immediate à Pontifice. Ita Caiet. tom. I. opus tract. I. Heruæus in lib. de potest. Papæ Gabriel test. in Canonem Missæ. Bellarm. I. 4. de Pont. c. 22. Probatur primo, ex figura veteris Testamenti, quia Num. II. Deus iussit ut septuaginta seniores acciperent de spiritu Moysis, & iuarent illum in regendo populo. Quo Deus significare voluit in Moysi residere totam authoritatem, & alios, si quam habent, à Moysi habere. At Pontifex in Ecclesia tenet eum locum, quem tenuit Moyses in populo Iudæorum. Secundo, quia Regimen Ecclesiasticum est Monarchicum. Ergo omnis authoritas est in uno, & ab hoc in alios deriuatur. Tertio, quia Cyprianus in lib. de Unitate Ecclesie, comparat sedem Pontificiam Capiti, Radici, Fonti, & Soli. At in omni corpore virtus membrorum deriuatur à capite, & in omni arbore virtus ramorum oritur ex radice: & in omnibus riuis aqua fluit ex fonte; & omnium radiorum lux est à sole. Ergo omnis iurisdictio Ecclesiastica est à Pontifice. Quarto, quia si Deus immediate conferret Episcopis iurisdictionem, omnes hi haberent illam & quallem; quod falsum est. Quinto, Pontifex non posset illam

illam anseire aut mutare, quod tamen sepe facit, ut patet ex D. Bernardo Epistol. 131. ad Mediolanenses. Sexto, quia Innocentius I. in Epistola ad Carthagin. Concilium, & Leo Papa Serm. 3. de assumptione sua ad Pontificatum, fauent huic sententiae.

2. Secunda Opinio est, Episcopus suam iurisdictionem immediate habere a Deo. Ita Franc. Victoria in Relectione 2. de potest. Eccles. quest. 2. Alphonfus a Castro, lib. 2. de iusta hereticorum punitione, cap. 24. Petrus Soto lectione 5. de Confessione. Dom. Soto lib. 1. de iust. quest. 1. art. 4. Et Ioan. Maior. in 4. dist. 17. quest. 7.

Probatur primo, ex illo Acto. 20. v. 28. *In quo vos spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei.* Ephes. 4. v. 11. Ipse dedit quosdam Apostolos, alios autem Pastores, & Doctores. Secundo, ex Patribus, Dionys. hier. Eccles. cap. 6. dicit, Episcoporum Hierarchiam immediate terminari in Christum, sicut inferiores ordines Presbyterorum & Diaconorum terminantur in Episcopum. Cypria. l. 3. Epist. 9. ad Rog. dicit Episcopos a Christo fieri, a quo Apostoli creati sunt. Bernard. lib. 3. de consideratione ad Eugenium dicit: Erras, si, ut sumiam, ita & solam institutam a Deo aestimas vestram Apostolicam potestatem. Tertio ratione, quia Episcopi succedunt Apostolis, sed Apostoli acceperunt suam iurisdictionem immediate a Christo. Ergo, &c. Quarto, si Episcopi a Pontifice haberent iurisdictionem, iam mortuo Pontifice expiraret illa iurisdictio, quod tamen falsum est. Quinto, & melius: ad ordinem Episcopatus exercendum necessaria est iurisdictio. Ergo Deus, qui confert etiam iurisdictionem. Confirmatur ex formula qua creantur Episcopi, & est haec: *Prouidemus Ecclesie tali de tali persona, & praescimus ea in Patrem & Pastorem ac Episcopum eiusdem Ecclesie, committentes ei administrationem in temporalibus & spiritualibus. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen.*

3. Prima Conclusio: Sicut in iurisdictione interiore, sic etiam in hac exteriore duo sunt. Primo, potestas regendi & gubernandi Ecclesiam. Secundo, applicatio materiae. Potestas regendi duplicitate conferri potest. Primo, a summo Pontifice, quo pacto confertur. Episcopo electio &

584 CAP. XXVI. DE SACRAMENTIS  
confirmato, nondum tamen consecrato. Secundo, a Deo,  
quo pacto confertur in consecratione. Applicatio mate-  
riæ iam semper confertur ab ipso Pontifice, vel Ecclesia;  
nisi quod Pontifex facta electione immediatè eam accipiat  
a Christo.

4 Secunda Conclusio: Quando potestas illa confertur à  
Pontifice ante consecrationem, auferri & mutari potest;  
quando autem confertur à Deo in consecratione, non po-  
test auferri, licet usus eius possit impediri per subtractionem  
materiæ. Argumenta utriusque opinionis non sol-  
uam, quia nihil videntur concludere contra nostram di-  
stinctionem.

---

### QVÆSTIO IX.

*An Ministri Ecclesiæ exempti sint à potestate seculari?*

1 **E**xterna Iurisdictio duplex est: Vna Ecclesiastica, de  
qua dictum est, altera Laica, seu secularis, qualis est  
in Imperatore, Regibus, Principibus, & Magistratibus poli-  
ticis. Constat Clericos subiectos esse iurisdictioni Ecclesi-  
asticæ, quæstio est an etiam subiecti sint seculari, an vero  
sint ab ea liberi & exempti, & quo iure?

2 Prima Obiectio est clericos iure Diuino subiectos esse  
Magistratibus secularibus, non solum in soluendis tribu-  
tis, & in causis ac iudiciis ciuilibus; sed etiam in causis  
merè Ecclesiasticis. Ita Ioan. Brentius in *prolegomenis contra Petrum Soto*, Philippus in *Locis, cap. de Magistratu*. Dauid Pa-  
ræus in *præfatione ad Oscarum Prophet.* His fauent aliqui, qui  
haberi volunt Catholici, vt Ioannes Marsilius Neapolitanus, Paulus Venetus Seruita, & quidam alij, de quibus vide  
Adamum Danerum in *defensione Ecclesiastice libertatis, lib. I.*  
*cap. I.*

3 Secunda Opinio est, clericos iure Diuino subiectos  
esse potestati seculari in causis ciuilibus; non tamen in  
causis mere Ecclesiasticis. Ita Caluinus *I. 4. Institut. cap. II.*  
*§. 15.* Et Petrus Martyr in *cap. 13. ad Romanos*, ubi etiam ad-  
dit Principes non potuisse concedere clericis exemptionem  
in rebus ciuilibus, cum id sit contra ius Diuinum.  
Et ideo, non obstante concessione Principum, debere  
Clericos

Clericos subiectos esse secularibus magistratibus. Fauent Marsilius Patauinus, & Ioannes de Landuno, qui docuerunt nec ipsum Christum fuisse liberum à soluendis tributis, ac proinde cùm soluit tributum, *Matth. 17.* id fecisse non voluntate, sed necessitate. Vide Alb. Pigum lib. 5. bier. Ecclesiastice, vbi Marsilium refutat.

4 Tertia Opinio est Catholicorum, Clericos liberos, & exemptos esse à potestate sacerdotali, non solum in causis Ecclesiasticis, sed etiam in ciuilibus. Est tamen questio an sint exempti iure Diuino, an tantum humano. Aliqui docent iure Diuino exemptos esse tam in ciuilibus, quam in Ecclesiasticis, ut multi Canonistæ cum glossa in c. tributum, 23. quest. 8. & in cap. quamvis, de censibus, in sexto. Alij distinguunt afferentes iure Diuino exemptos esse in causis Ecclesiasticis, & iure humano in causis ciuilibus. Ita plerique Theologi, præsertim Francisc. Victoria in Relect. 1. de potest. Ecclesiastica, quest. vlt. Dom. Soto in 4. dist. 25. quest. 2. art. 2. Bell. in lib. de Clericis, cap. 28. Et ex Canonistis Couarruuias in lib. practicarum questionum, cap. 31.

5 Prima Conclusio. Clerici exempti sunt à potestate Principum secularium tribus modis. *Primo*, quoad personas suas, quia si delinquant contra leges ciuiles, aut Ecclesiasticas, non possunt puniri à magistratu ciuili, sed tantum ab Ecclesiastico. *Secundo*, quoad bona temporalia sive Ecclesiastica, sive alia, v.g. patrimonialia, &c. quia illa libera sunt à tributis, & oneribus ciuilibus. *Tertio*, quoad causas, seu controvroversias tam ciuiles, quam Ecclesiasticas, quia illæ non trahuntur ad tribunal sacerdotiale. An autem tota hæc exemptio sit iuris Diuini, an partim Diuini an humani, deinceps videbimus.

6 Secunda Conclusio. Clerici, quoad personas suas, si delinquant contra leges Ecclesiasticas, iure Diuino exempti sunt à iurisdictione sacerdotali, ita ut à magistratu, vel Principe seculari non possint puniri. Si autem delinquant contra leges ciuiles, iure tantum humano exempti sunt.

*Prima pars probatur*, quia iurisdictione Ecclesiastica iure Diuino introducta est, & distincta à iurisdictione sacerdotali, & altioris ordinis. Ergo leges Ecclesiasticæ iure Diuino pertinent ad iurisdictionem Ecclesiasticam, non autem,

386 CAP. XXVI. DE SACRAMENTIS  
ad secularem. Ergo clerici peccantes contra leges Ecclesiasticas debent puniri à magistratu Ecclesiastico, non autem à seculari.

Antecedens patet, quia iurisdictio Ecclesiastica data est Petro, cùm illi dictum est: *Pasce oves meas*. Ergo omnes Laici sunt oves Petri. Ergo sunt subjecti iurisdictioni Ecclesiastice. Ergo ipsorum non est punire delinquentes contra leges Ecclesiasticas.

Secunda pars intelligenda est de legibus ciuilibus, quæ non repugnant statui, vel libertati clericali, sed ad bonam Reipublicæ administrationem pertinent, quales sunt, quibus pretia frumenti, vini, & aliarum rerum constituuntur: aut qualibus prohibetur talis, & talis ratio ædificandi, aut aliquid statuitur circa modum succedendi in hæreditate, aut aliæ similes, quæ omnibus ciuibus communes sunt.

Clerici ergo, tametsi non sint exempti ab obligatione harum legum, quia tenentur in conscientia eas feruare; sunt tamen exempti à punitione secularis magistratus. Verbi gratia, clericus contra legem ciuilem cariori pretio vendat res suas, quam oportet, tum quidem peccat, & tenetur restituere; non tamen potest accusari apud iudicem secularem, sed tantum apud Episcopum, vel huius Vicarium. Hoc antem partim iure Canonico, partim ciuili constitutum est. De iure Canonico patet ex variis Concil. & Pontiff. decretis. Vide Concil. Chalcedonense *can. 9*. Achatense *can. 23*. Carthagin. *III. can. 9*. Toletan. *III. can. 13*. Caium Pontif. *in epist. ad Felicem Epist. Marcellinum in epist. 2*. Gregor. Magnum *lib. I. cap. 14*, & alios.

De iure ciuili patet ex Constitutionibus Imp. Iustinianus enim exemit clericos & Monachos à seculari iudicio in Nouel. *const. 79. 83. & 123*. Licet non exemit in causis criminalibus, sed solùm in ciuilibus. In criminalibus autem voluit à Prætore cognosci causam, non tamen condemnari clericum, nisi priùs ab Episcopo fuerit degradatus.

At nihilominus lex canonica exemit eos simpliciter etiam in causis criminalibus, cui cedere debet lex Imperialis, quia Pontifex potest iubere Imperatoribus in iis quæ ad Ecclesiæ auctoritatem spectant. Et rectè id factum est,

est, quia non decet, ut Episcopi & Pastores animarum indicentur, & puniantur à suis ouibus, quod fieret si iudicarentur, & punirentur à magistratu sacerulari.

Obiectio Caluini: *Constantinus Imp. in epist. ad Nicomedienses scribit, se Eusebium Nicomediensem Episcopum eiecisse in exilium, ac deinde subiungit hæc verba: Si quis Episcopum inconsultè tumultuatus sit, ministri Dei, hoc est, mea executione coercentur.* Respon. Episcopus ille prius fuerat a Concil. Niceno depositus & degradatus ob hæresim, & sic poterat puniri à magistratu ciuili. Verba autem Constantini, quæ Caluinus subiungit, & ab ipso Caluino depravata sunt. Non enim scribit Constantinus se velle coercere Episcopos, sed Laicos, si velint recipere Episcopum à Concilio damnatum.

7. Tertia Conclusio. Clerici, quoad bona temporalia, siue Ecclesiastica, siue alia, non sunt iure Diuino exempti à tributis, & oneribus ciuilibus, sed tantum iure humano, idque rationabiliter factum est. *Prius*, quod non exempti sunt iure Diuino, probatur ex illo Rom. 13. v. 1. *Omnis anima potestatis sublimioribus subdita sit.* Et v. 6. *Ideo & tributa praestatis;* vbi hoc: *omnis anima includit etiam clericos teste Chrysostomo.* Ergo & illud: *Ideo tributa praestatis, similiter includit clericos.* Ergo clerici, nisi eximantur priuilegio Principum, tenentur soluere tributa, ut argumentatur S. Thom. in eund. locum. Secundo probatur testimonis Patrum & Pontificum. Nam Urban. 23. quæst. 8. c. *tributum* sic ait: *Tributum in ore pescis pescante Petra inuentum est, quia de exterioribus suis Ecclesia tributum reddit.* Et Ambr. in orat. de trad. Basil. *Si tributum petit, non negabo: agri Ecclesie soluant tributum.* Et Valent. in Senior. in epist. ad Episcopos Asiae dicit: *Bonos Episcopos tributa penitare Regibus, secundum Theodor. lib. 4. hist. cap. 7.* Hinc colligo Ecclesiasticos iure Diuino non esse exemptos à tributis soluendis.

Secunda pars, quod clerici iure humano sint exempti, patet primo ex iure canonico, præfertim ex Conc. Lateran. sub Innoc. III. can. 46. & ex c. quamquam, de censib. in 6. & ex c. quia nonnulli, & c. clericis, de immun. Eccl. in 6. Deinde ex iure ciuili, præfertim ex legibus Principum, quæ habentur in c. l. sancimus, c. de sacros. Eccl. & alibi. Nota tamen,

388 CAP. XXVI. DE SACRAMENTIS  
ante Iustiniani tempora legibus priorum Principum im-  
munes fuisse Clericos à tributis personalibus, vt etiam in-  
dicat S. Hieron. ad cap. 17. Matthæi; non tamen à tributis  
realibus, vt colligitur ex S. Ambr. loc.cit.

Tertia pars, quod illa exemptione rationabiliter facta sit,  
probatur; quia rectæ rationi consentaneum est, vt bona  
Ecclesiastica, quæ Deo consecrata sunt, & ideo bona  
Dominica vocantur in Canonibus Apostol. can. 40. sint li-  
bera ab exactiōibus Principum, ne Deus ipse videatur  
obligari ad soluenda tributa. Hac de causa voluit Ioseph,  
vt omnes Ægyptij darent tributa Pharaoni, exceptis Sacer-  
dotibus, quos iudicabat liberos esse oportere, Genes. 47.  
vers. 26.

8 Obiectio Canonistarum ex Matt. 17. v. 25. *Quid tibi vi-  
detur Simon? Reges gentium, à quibus accipiunt tributum, à suis,  
an ab alienis?* Respondit Simon: ab alienis. Ait Dominus. Er-  
go liberi sunt filij. Vnde colligunt Canonistæ, Clericos, qui  
sunt maximè filij, & domestici summi Regis, iure diuino  
liberos esse à soluendis tributis. Et confirmatur ex S. Aug.  
lib. 1. quæst. Euang. q. 23. vbi sic ait: *In omni regno intelligendum  
est liberos esse filios, id est, non esse vectigales, multò ergo ma-*  
*gis liberi esse debent in omni regno terreno, filii illius, sub quo*  
*omnia regna terræ sunt.* Similia S. Hieron. in comm. huius loci.

Respon. Christus ibi solum loquitur de naturalibus filiis  
Regum, qui neque parentibus suis soluunt tributum, cùm  
sint filij; neque aliis Regibus, cùm non sint eis subiecti.  
Vnde rectè colligit Christus, le liberum esse à tributo, cùm  
sit naturalis filius summi Regis; non autem inde sequitur  
Ecclesiasticos esse liberos, quia non sunt naturales Dei filii.  
SS. autem August. & Hier. non volent dicere, quod Ecclesiasti-  
ci ex vi illius Christi sententiae sint liberi iure Diuino,  
sed quod rectè, & conuenienter illi sententiae iure humano  
exempti sint.

9 Secunda Obiectio sumitur ex c. quamquam, de censibus  
in 6. vbi Bonafacius V I I I. dicit Clericos iure humano  
& Diuino liberos esse ab exactiōibus. Resp. fortè Bonafe-  
cius fuit in illa Canonistarum opinione; nihil tamen de  
hac re definiuit, sed tantum obiter, & ex occasione suam  
sententiam insinuauit.

Tertia

Tertia Obiectio. Si solū est de iure humano, ut Clerici non soluant tributum; neque trahantur ad tribunalia sacerdotalia, iam potuerunt Principes contrarium statuere. Respond. non sequitur; quia non soli Reges ac Principes sacerdotes, sed etiam Pontifices, & Concilia hanc exemptionem Clericis tribuerunt, & totus orbis Christianus consensit; ac proinde Principes nihil possunt hac in re immutare, nisi iterum omnes consenserint.

10 Quarta Conclusio. Clerici, quoad causas merè Ecclesiasticas, iure Diuino liberi sunt à potestate Principum secularium: quoad causas vero ciuiles, iure humano. Prima pars patet *primo ex dictis*, quia iure Diuino tribunal Ecclesiasticum distinctum est à politico, & altioris ordinis. Ergo causæ Ecclesiasticæ non debent iudicari apud tribunal politicum. Secundo, ex Concil. Mileuit. *can. 19.* vbi grauiter puniuntur Clerici, qui causam Ecclesiasticam ad iudicium Imperatoris deferunt. Tertio, ex Patribus Ambros. *epist. 78. ad Theoph.* & August. *epist. 162.* reprehendunt eos, qui causam Ecclesiæ iudicibus terræ deferunt. Quarto, exemplo Apostolorum, qui gubernarunt Ecclesiam, cùm adhuc nulli essent sacerdotes Principes Christiani. Ergo saltem ad Principes Christianos non deferre poterant causas Ecclesiæ iudicandas. Sed neque ad gentiles Principes deferebant, vt patet *1. Corinth. 1.* Iubet enim Apostolus ne lites, etiam ciuiles, Christianorum ad iudicium gentilium deferantur. Ergo multò minùs deferri permisisset causas Ecclesiasticas.

*Secunda pars probatur ex dictis in 1. conclus. part. 2.*

Sed quæres: quid in hac tota quæstione sentiendum sit de Summo Pontifice. Quamuis enim ostensum sit, alios Clericos partim Diuino, partim humano iure exemptos esse à potestate sacerdotali: tamen de Pontifice videtur esse specialis difficultas.

Molina *tract. 2. de iure & iust. disp. 31. conclus. 4.* putat Pontificem iure Diuino exemptum esse à potestate omni sacerdotali in omnibus rebus. Cui fauet Ioan. Driedo, *lib. 1. de libert. Christ. c. 15.* vbi dicit, Pontificem à nulla terrena potestate iudicari, aut puniri posse extra casum heresis: Et sicut seipsum non potest interficere, ita nec posse alteri dare potesta

potestatem, ut cum interficiat, ac proinde à nemine pro quocumque crimine posse interfici, etiam si sponte sua se vellet aliorum iudicio submittere. Fauent etiam alij docentes Pontificem, extra casum hærefis a nemine posse deponi à Pontificatu, aut puniri, eò quod iure Diuino ab omnibus exemptus sit.

Idque probant *primo*, quia Pontifex est caput Reip. Christianæ, cui omnes & clerci, & sacerdtales subesse debent. Ergo æquum est, ut ab omnium aliorum iurisdictione sit exemptus. *Secundo*, quia Christus illam exemptionem, & immunitatem habuit. Cùm ergo Pontifex sit Vicarius Christi, verisimile est, habere illum eandem immunitatem. Et hoc videtur colligi ex c. 17. Matt. vbi Christus solum ad vitandum scandalum iussit dari tributum pro se ac Petro. Ergo voluit significare se & suum Vicarium non teneri ad tributum, nisi ratione scandali.

### Q V A S T I O X.

*An cœlibatus iure Diuino sit annexus sacris Ordinibus?*

**1** *E*st certum, ut minimūm lege Ecclesiastica, cœlibatum esse annexum sacris Ordinibus, & illam legem ad tria obligare. *Primo*, ut nemo coniugatus sacris Ordinibus initietur, nisi vxor voweat perpetuam castitatem. *Secondo*, ut nemo, postquam iniciatus est sacris Ordinibus, vxorem ducat. *Tertio*, ut qui sacris Ordinibus iniciatus est, perpetuam seruet continentiam; Et hoc est præcipuum, ad quod obligat lex cœlibatus. Nunc queritur, an non solum iure Ecclesiastico, sed etiam diuino obliget illa lex; vel, ut alij loquuntur, an votum solemne continentia sit annexum sacris Ordinibus non tantum iure Ecclesiastico, sed etiam diuino?

**2** Prima Opinio est Ioannis Maioris in 4. dist. 24. quest. 2. Michaëlis Medinæ lib. 5. de sacrorum hominum continentia, cap. 99. & aliorum, qui docent legem cœlibatus esse iuris Diuini. Probatut *primo*, ex illo Lucæ 21. v. 34. *Attendeite vobis, ne forte grauentur corda vestra trapula & ebrietate, & curis huius vite.* Ergo ministri Ecclesie ad quos maxime spectant hæc verba, teste Leonc. sermonc 8. de ieunio decimi

decimi mensis, iure diuino debent cauere à curis huius  
vitæ, & consequenter à matrimonio cui tales curæ an-  
nexæ sunt. Secundo, probatur ex illo priori ad Timotheum 3.  
vers. 2. Oportet Episcopum babere filios subditos cum omni ca-  
ritate, ubi hæc particula, cum omni castitate, refertur ad  
Episcopum, ut patet ex alio loco ad Titum 1. vers. 7. Opor-  
tet Episcopum esse sanctum, iustum, & continentem. Tertio, ex  
secunda ad Timoth. v. 4. Nemo militans Deo implicat se ne-  
gotiis sæcularibus. Et ad Titum v. 12. Abnegantes negotia sæ-  
cularia sobrie, &c. viuamus. Quarto, ex illo Deuter. 33. v. 9.  
Nescierunt filios suos. Loquitur de Leuitis, qui dicuntur  
nescire filios, non quod ipsi filios non habuerint; sed quod  
repræsentauerint Sacerdotes noui Testamenti, qui non de-  
bent habere filios.

3 Secunda Opinio est contraria, lègem cœlibatus esse  
tantum iuris Ecclesiastici. Ita D. Thom. in 2. 2. quæst. 88.  
art. II. Magister in 4. distind. 34. Et plerique alij Schola-  
stici ibid.

4 Tertia Opinio est Clémentei in lib. de contin. Sacerdotum,  
cap. 4. ubi cum distinctione respondet lègem cœlibatus  
esse iuris diuini quoad secundum punctum; ut scilicet, qui  
sacris initiatus est, vxorem non ducat. Esse autem tantum  
iuris Ecclesiastici quoad primum & tertium punctum.  
Fundamentum Clémentei est, quia nunquam licuit alicui  
post suscepitos ordines vxorem ducere. Ergo signum est iu-  
re diuino id esse prohibitum.

Contrà verò constat, multos olim fuisse Episcopos, qui  
ante ordines suscepitos habuerunt vxores, quas postea re-  
tinuerunt & cohabitarunt. Ergo non est iuris diuini, ut quis  
matrimonio ante ordinationem contracto nō vtatur. Con-  
firmatur ex 1. Timoth. 3. v. 2. Oportet Episcopum irreprohensi-  
bilem esse, unius uxori virum, suæ domui bene præpositum, filios  
habentem pudicos. Hinc enim colligitur, Episcopos tem-  
pore Apostolorum domi habuisse vxores & liberos.

Hæc sententia non videtur consequenter loqui, cum  
dicit non esse iuris Diuini continere ab uxore ducta ante  
ordinationem, & tamen esse iuris Diuini, ne quis post or-  
dinationem ducat uxorem. Nam si prius verum est, poste-  
rius necessariò debet esse falsum. Ideo enim prohibitum  
est,

est, ne quis post ordinationem vtatur vxore. Non enim illis, qui sunt in sacris Ordinibus, prohibetur matrimonium propter actum contrahendi, & ducendi vxorem, cum is actus sit bonus & Sacramentalis; sed propter usum matrimonij, qui non videtur decere homines in sacris Ordinibus constitutos. Si ergo usus matrimonij non est iure Diuino prohibitus secundum Clictoueum, multò minus actus ducendi vxorem Diuino iure prohibitus erit.

Ad fundamentum Clictouei. Resp. etiam si nulli ueniam licuerit vxorem ducere post ordinationem, inde non colligi prohibitum esse iure Diuino, quia potuit prohibitum esse iure humano, quod cum ipso nascentis Ecclesiae principio incoperit. Quod addit olim multis Episcopos habuisse vxores, verum est; sed nego usos fuisse vxoribus post ordinationem. Hoc enim probari non potest.


meo 5 Prima Conclusio. Coelibatus iure tantum Ecclesiastico annexus est sacris Ordinibus. Probatur primo, quia nullum extat preceptum Diuinum de hac re; neque ex lumine naturali colligi potest. Quamuis enim ratio naturalis dicteret, esse valde consentaneum, ut sacri homines abstineant ab usu matrimonij; non tamen dictat esse necessarium; alioquin Sacerdotes veteris Testamenti non potuerint habere vxores. Secundo, quia Ecclesia Romana multis iam seculis concessit Græcis Sacerdotibus usum matrimonij ante ordinationem contracti, ut patet in cap. Cum olim, in decretal. de Clericis coniugatis.

Tertio probatur, quia D. Greg. lib. 1. Registri, epist. 42. concessit subdiaconis Siciliæ, ut possent uti vxoribus ante ordinationem ductis, licet imposterum prohibuerit tales ordinari, nisi una cum vxoribus continentiam voverent. Quarto. Quia ex Concil. Ancyran. can. 10. colligitur, potuisse olim Diaconos, etiam post ordinationem ducere vxores, si haberent facultatem ab Episcopis. Hoc autem Concilium fuit approbatum à Leone IV. dist. 20. canone de libellis.

6 Secunda Conclusio. Lex coelibatus non est noua, sed antiqua & Apostolica. Probatur primo ex variis testimoniis D. Pauli, quæ pro prima opinione sunt addata. Si enim aliquid probant, hoc solum probant, coelibatum lega

Aposto

Apostolica annexum esse sacris Ordinibus. Secundo , ex Conc. Carthag. II. can.2. qui sic habet. Placuit & condecet, *sacrosanctos Antistites & Dei Sacerdotes*, nec non & Leuitas, vel qui sacramentis diuinis inseruiunt , continentes esse in omnibus, ut quod Apostoli docuerunt, & ipsa seruauit antiquitas, nos quoque custodiamus. Et ibidem. *Omnibus placet*, ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi, vel qui sacramenta contineant, pudicitiae custodes etiam ab uxoribus se abstineant. Vide plura apud Bellarminum, lib. de cleric. cap.19. & seq.



## CAPUT XXVII.

## DE EXTREMA VNCTIONE.

**D**ICAM primo, an sit Sacramentum. Secundo, de materia illius. Tertio , de forma. Quarto , de effectu. Quinto, de Ministro. Sexto, de suscipiente. Septimo, de necessitate; quæ aliquot dubiis explicabo. Vocatur autem hoc Sacramētum extrema Vnctio, tum quia per quandam vñctionem confertur, tum quia est extremum omnium sacramentorum , & in extremo vitæ periculo adhibetur.

## QVÆSTIO I.

*An hoc sacramentum probari possit ex Diui  
Marci Euangelio?*

1 **L**oca scripturæ duo pro hoc sacramento adferri solent , alter ex S. Marco , alter ex epistola S. Iacobi, Prior habetur Marci 6. v. 13. vbi de Apostolis sic legimus: *Vngabant oleo multos ægros & sanabant*. Nunc quæstio est, an hoc intelligatur de vñctione sacramentali.

2 Prima Conclusio. Probabile est Marcum loqui de Vnctione sacramentali. Ita Vvaldensis tom. 2. de Sacramentis, cap.163. Alphonsus à Castro, lib.de hæresib. v. Extrema Vnctio. Petrus Sotus lett.1. de hoc sacramento , & Maldonat. in comm. eius loci. Et probatur primo, quia Beda, Theophylactus, & Oecumenius dicunt Marcum loqui de illa vñctio-

ne, de qua loquitur Iacobus *in epist. Can. cap. 15.* At Iacobus loquitur de vñctione sacramentali, vt omnes Catholici fastentur. Ergo & Marcus. *Secundo probatur*, quia nulla est ratio cur dicamus Iac. loqui de Sacramento, non autem Marcum. *Tertio*, quia definitio sacramenti non minus conuenit vñctioni, de qua loquitur Marc. quam alteri de qua loquitur Iacobus.

**3.** Secunda Conclusio. Probabilius est Vnctionem illam, de qua apud Marcum, non fuisse sacramentum, sed tantum figuram & quasi præuiam adumbrationem sacramenti vñctionis. Ita Ruardus, Iansenius, Dom. Soto & Bellarm. *de extrema vñct. cap. 2.* & probatur *primo*, quia sacramenta per se, ac primariò pertinent ad salutem animæ. At illa vñctio, de qua loquitur Marcus, solum pertinet ad sanitatem corporis, vt ex contextu patet.

*Secundo*, quia sacramentum vñctionis non potest conferri nisi à sacerdotibus, vt *infra* dicetur. Sed Apostoli nondum erant sacerdotes, quando vngabant & sanabant. Facti enim sunt sacerdotes in vltima cœna, vt Concil. Trident. *sess. 22. cap. 1.* Ergo illorum vñctio non erat sacramentalis. *Tertio*, probatur, quia Apostoli promiscue vngabant quoslibet ægrotos, vt cæcos, claudos. At sacramentum vñctionis non datur nisi illis qui sunt in periculo vitæ.

*Quarto* probatur, quia Apostoli vngabant omnes ægrotos, etiam non baptizatos & infideles. At sacramentum vñctionis supponit Baptismum. *Quinto*, Conc. Trid. *sess. 14. c. 1. de extrema vñctione*, dicit, hoc sacramentum apud Marcum esse insinuatum, & per Iacobum promulgatum. Dicitur autem id insinuari, quod non exp̄sè proponitur, sed adumbratur & obscure indicatur.

### Q V A E S T I O    II.

*An hoc sacramentum probari possit ex Diuī Iacobi epistola Canonica?*

**1.** Iacobus *cap. 5. vers. 14.* sic habet: *Infirmitur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesie, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum,*

firmum; & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei. Nunc quæstio est, an hinc probari possit vñctiōnem esse sacramentum. Affirmant Catholici. Negant alij plerique Lutherani & Caluinistæ.

2 Conclusio Vnica : Ex verbis Iacobi euidenter conuin-  
citur, Extremam Vnctionem esse sacramentum. Ratio est,  
quia aduersarij tria requirunt ad sacramentum , nempe  
symbolum externum, promissionem gratiæ, & diuinam in-  
stitutionem.

Nam *primo*, symbolum externum est vñctio cum oratione fidei. *Secundo*, promissio gratiae continetur illis verbis: *sí in peccatis fuerit, remittentur ei.* Hæc enim remissio, vel est tantum mortalium, vel tantum venialium, vel vtrorumque. Si *primum* vel *tertium*, habetur infusio gratiae. Si *secundum*, non quidem infertur necessariò infusio gratiae. Sed de solis venialibus Iacobum non loqui, postea probabo. Licet hac probatione contra hæreticos non sit opus; tum quia Calvinistæ nulla volunt esse peccata venialia; tum etiam, quia dicunt, dare gratiam, nihil aliud esse, quam peccata remittere, seu non imputare. Non enim ponunt gratiam in aliqua reali qualitate inhærente, sed in externo favore ac benevolentia, qua Deus vult & statuit non imputare nobis peccata nostra. *Tertio*, institutio diuina necessariò colligitur ex promissione gratiae, quia Iacobus non promitteret ægroti remissionem peccatorum per externam Vnctionem, nisi Deus instituisset, ut talis vñctio haberet vim remittendi peccata. Hoc enim non pendet ex voluntate, aut potestate humana, aut Angelica, sed solum ex Diuina.

### Q V A E S T I O   I I I .

*Quæ sit materia huius sacramenti?*

<sup>1</sup> Prima Conclusio. Materia remota huius sacramenti est oleum oliuæ ab Episcopo benedictum. Ita Concil. Florent. in instr. Armenorum, & Trident. sess. 14. cap. 1. de extrema unctione. Quæritur autem, an sit de necessitate sacramenti, ut oleum sit benedictum. Constat esse de necessitate præcepti. Aliqui tamen negant esse de neceſſitate etiam.

596 CAP. XXVII. DE SACRAMENTIS  
sitate sacramenti, ita Victoria in summ. de Sacramentis, n. 116,  
quia Iacobus cap. 5. solum dicit, *ungentes eum oleo*, non au-  
tem addit, *oleo benedicto*. Ergo oleum simplex & naturale  
est essentialis materia. Confirmatur primo, quia simili argu-  
mento colligimus essentialem materiam Baptismi esse sim-  
plicem aquam naturalem, quia Scriptura simpliciter aquam  
requirit. Ita Act. 18. ver. 36. *Ecce aqua, quis prohibet me ba-  
ptizari?* Nec refert illud Iacobi: *Ungentes eum oleo in no-  
mine Domini*, quia non est sensus, quod oleum debet esse  
benedictum, aut sanctificatum in nomine Domini, sed  
quod ipsa unctio debeat fieri in nomine Domini. Confir-  
matur secundo, quia licet aliqua Concilia, vel Decreta anti-  
qua dicant oleum debere esse consecratum, non tamen  
dicunt consecrationem esse de necessitate sacramenti, sed  
solum explicant consuetudinem Ecclesiae Romanae, qua ex  
praecepto seruanda est.

Alij Theologi passim contrarium docent. Ut D. Thom.  
Bonavent. Paludan. Durand. in 4. dist. 23. Bellar. cap. 7. de  
*extrema unctione*. Ratio est, quia Conc. Florent. & Trident. di-  
cunt materiam huius sacramenti esse oleum benedictum;  
materiam autem Baptismi esse aquam simplicem. Hoc au-  
tem habetur ex usu & Traditione Ecclesie, nec ex sola  
scriptura sufficienter conuincere potest.

*no[n] 2* Secunda Conclusio. Materia proxima huius sacramenti  
est Unctio, ut colligitur ex hoc: *Ungentes eum oleo*. Ratio,  
quia omnia sacramenta, praeter Eucharistiam, consistunt in  
usu. Ergo hoc sacramentum non est essentialiter ipsum  
oleum, sed unctio facta per oleum: sicut Baptismus non est  
aqua, sed ablutio per aquam facta. Aliqui addunt hanc ra-  
tionem, quia illud essentialiter est sacramentum, quod est  
efficax signum gratiae. Sed unctio est efficax signum gratiae,  
non autem oleum. Ergo unctio est sacramentum. Minor pa-  
tet, quia oleum per se non confert efficaciter gratiam, sed  
unctio. Haec tamen ratio non videtur conuincere, quia si  
mili modo probaretur Eucharistiam non esse sacra-  
mentum, sed sumptionem Eucharistie. Non enim Eucharistia  
confert gratiam nisi in sumptione.

*no[n] 3* Queres primo, qualis debeat esse haec unctio. Aliqui  
putant debere fieri in figura Crucis. Ita glossa in cap. nunc  
de

*de consecrat. dist. 5.* Et hoc usus confirmat. Resp. tamen hoc non esse de necessitate sacramenti, quia neque ex scriptura, neque ex Conciliis, aut Traditione colligi potest talis necessitas. Imò Cone. Florent. potius indicat uincionem per modum Crucis solum requiri in sacramento Confirmationis, quia in forma illius sacramenti sic dicitur: *Signo te signo crucis.* At in forma huius sacramenti solum dicitur: *Per istam sanctam uincionem, &c.* Ratio differentiae est, quia in Confirmatione ungitur quis, ut Christi miles ad portandam & confitendam eius Crucem coram Regibus & Tyrannis. Per hanc verò extremam uincionem solum ungitur per modum medicinæ ad recuperandam sanitatem. Addo, non videri hoc signum esse de necessitate præcepti, saltem sub culpa graui, secluso contemptu & scandalo, quia nullum est expressè latum præceptum de hac re, neque constat consuetudinem sub hac existimatione introductam esse. Quare si ex iusta causa omittatur, nullum erit peccatum. Præstat tamen seruare piam Ecclesiæ consuetudinem.

4. Quæres secundo, quotuplex debeat esse uincio. Concilium Trident. numerat septem, scilicet in oculis, in auribus, in naribus, in ore, in manibus, in pedibus, & in renibus ob libidinem. Quæritur, an omnes sint de necessitate præcepti, vel sacramenti. Aliqui recentiores putant unicam sufficere ad valorem sacramenti in quacunque corporis parte fiat. Aliqui verò Scholastici in 4. dist. 24. putant plures requiri, saltem quinque illas, quibus quinque sensus inunguntur, ut D. Thomas Durandus, Bonaventura, Richardus, Paludanus & alij. Ratio, seu congruentia Diui Thomæ est, quia hoc sacramentum adhibetur tanquam medicina ad tollendas fôrdes & reliquias peccatorum quorum radix est in quinque sensibus. Ergo ibi debet applicari medicina dicta. Sed de hac re plura in sequentibus, scilicet unam interdum sufficere ob necessitatem moribundi.

## Q V A E S T I O IV.

*Quæ sit forma huius sacramenti?*

*1. P*rima Conclusio. Forma verborum est hæc : *Per istam sanctam, aut sacram unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus, quicquid deliquisti per visum, &c.* Quæritur, an hæc forma ita necessaria sit, ut nequeat mutari. Ratio dubij, quia forma sacramenti solum colligitur ex illis verbis Iacobi : *Orent super eum, & oratio fidei saluabit infirmum.* Sed ex his verbis non colligitur forma determinata, sed solum in genere requiritur oratio sacerdotis. Ergo si fiat aliqua oratio, quibuscumque verbis fiat, sufficiet ad effectum huius sacramenti. Confirmatur ex varietate formarum. Nam tempore Diui Ambrosij in Ecclesia Mediolanensi erat hæc forma in vsu : *Vngo te oleo sanctificato in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, ut more militis vnti preparatus ad certamen aereas possis superare potestates.* Ita refert Bonauentura in 4. distinct. 23. part. i. art. 1. quæst. 4. & alij ibid. At in Ecclesia Veneta fuit olim hæc forma : *Vngo te oleo sancto, ut hacunctione protectus fortiter stare valeas aduersus aereas cateruas in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Ita Michaël Palatinus refert in 4. dist. 23. ex libro sacramentali Venetorum à Leone X. approbato. Ecclesia autem Romana vtitur forma posita in conclusione nostra. Porro ex hac formarum diuersitate videtur colligi, non esse quicquam iure diuino determinatum.

1. Nihilominus dicendum est, omnes formas, etiam novas, reducendas esse ad Romanam, non quidem quo ad verba, sed quo ad sensum ; quia Romana est approbata in Conc. Flor. & Trid. & habetur ex antiqua Traditione, quæ est optima interpres verborum D. Iacobi.

2. Secunda Conclusio. In illa forma Ecclesiæ Romanae explicantur omnia, quæ in forma sacramentali debent explicari. Primo, causa principalis, quæ est Dei Misericordia. Secundo, causa instrumentalis, quæ est sacra vncio. Tertio effectus, qui est remissio peccati, & consequenter sanitas corporis, quæ pendet ex perfecta peccati remissione, sicut morbus

*morbis ex peccato ut plurimum oriri solet, iuxta illud, Ioan. 5. vers. 14. Ecce sanus factus es; iam noli peccare, ne derius tibi aliquid contingat.*

3. Quæres: An necesse sit formam huius sacramenti esse deprecatoriam. Multi affirmant, quia Primo, Iacobus dicit: *Orent super eum. Secundo*, forma Romana est deprecatoria. Alij negant. Primo, quia forma Ambrosiana & Veneta non est deprecatoria, & tamen est sufficiens. Secundo, quia ex illis verbis: *Baptizantes eos, &c.* colligit Ecclesia hæc formam: *Ego te Baptizo.* Ergo similiter ex illis: *Vngentes illum,* potest colligi hæc forma: *Ego te vngo.* Tertio, quia in sacramento Confirmationis sufficiens est hæc forma: *Consigno te chrismate.* Ergo similiter in hoc sacramento: *Vngo te oleo.* Quarto, quia sacramentalis forma, etiam si per modum indicatiuum proferatur, solet à SS. Patribus vocari oratio, quo pacto Leo Papa, & alijs multi absolutionem sacramentalem vocant orationem sacerdotis. Ergo quamuis in hoc sacramento proferatur forma per modum indicatiui, sufficiens erit illud Iacobi ad saluandum: *Orent super eum.*

### Q V A E S T I O V.

*An præcipuus effectus huius sacramenti sit remissio peccatorum venialium?*

I. **A**ffirmant Bonaventura, Richardus, Durandus, Ioan. Maior, Scotus, Almaynus, Carthusianus in 4. dist. 23. Alenfis 4. p. q. 5. memb. 7. art. 2. Altisiodorensis l. 4. summae, cap. de extr. vñct. q. 1. Abulensis super cap. 8. Matth. quest. 8. Nauarrus in Manu. cap. 22. num. 13. & plures. Ratio, quia hoc sacramentum primariò institutum est ad remissionem, & non mortalium, ergo venialium peccatorum. Maior patet ex Iacobo: *Si in peccatis fuerit, remittentur illi.* Et ex verbis formæ: *per istam vñctionem indulgeat tibi Deus, quicquid deliquisti.* Forma autem debet explicare præcipuum effectum sacramenti. Item ex Trid. sess. 14. cap. 2. vbi inter varijs effectus huius sacramenti, primo loco ponitur remissio peccatorum.

Quod autem non sit remissio mortalium, prout a utr.

quia ad mortalia tollenda institutum est sacramentum Pœnitentiaæ. Duo autem sacramenta non instituuntur ad eundem effectum principalem. Confirmatur *primo*, quia sacramentum Pœnitentiaæ est necessarium medium ad remissionem mortalium, ut Theologi docent. At non esset necessarium medium, si mortalia primariò tollerentur per extremam vñctionem. *Secundo*, quia tria sunt peccatorum genera, originale, mortale & veniale. Sed ad tollendum originale per se institutus est Baptismus, & ad mortale Confessio. Ergo ad tollendum veniale debet esse aliud institutum, quod est hoc sacramentum extremæ vñctionis.

Hæc opinio duobus modis explicari solet. Aliqui dicunt hoc sacramentum non delere peccata venialia immediate, sed mediante gratia excitante, per quam elicetur actus contritionis, vel dilectionis, quo sufficienter tollitur peccatum veniale. Ita Durandus & Bonaventura. Alij dicunt hoc sacramentum per se & immediate tollere venialia in eo qui non ponit obicem, id est, qui non habet actualem, vel virtualem complacentiam venialium.

Nota: aliud est an hoc sacramentum deleat peccata venialia: aliud, an sit primariò ad hunc finem institutum. Hoc posterius hoc loco disputatur. Dicam tamen aliquid etiam de priore.

2. Prima Conclusio. Certum est apud omnes hoc sacramentum posse delere peccata venialia; quia hoc est commune omnibus sacramentis. Quomodo autem id fiat, quæstio est. *Primo*, an immediate sine vlla infusione gratiæ. *Secondo*, an mediante gratia habituali. *Tertio*, an mediante actuall. Hic tertius modus placet, ut in materia de effectu Eucharistia, cap. 22. quest. 4. ostensum est.

3. Secunda Conclusio. Hoc sacramentum non est principaliter institutum ad tollenda peccata venialia. Ita D. Th. in 4. dist. 23. quest. 1. art. 2. Paludanus, Capreolus, Domin. Soto & Ledesmius *ibid. Ferrariensis lib. 4. contra gentes*, c. 73. Victoria in *summa de sacramentis*, num. 197.

Probatur *primo*, quia sacramenta nouæ legis primariò instituta sunt ad conferendam gratiam habitualē, S. Th. 3. p. q. 65. art. 1. ad 8. Ergo nullum primariò institutum est

ad tollenda venialia, quia ad hæc tollenda non requiritur infusio gratiæ habitualis, vt ait D. Th. *ibid.*

*Secundo*, quia si hoc sacramentum per septimo institutum esset ad hunc finem, non oporteret expectare tempus infirmitatis ad illud recipiendum; sed deberet recipi quando multa commissa essent venialia; Sicut sacramentum absolutionis tunc recipitur, quando multa mortalia commissa sunt. Nec debet in his expectari periculum mortis.

Respondent aliqui, hoc sacramentum institutum esse ad perfectam curationem venialium, quæ in hac vita non potest haberi, quia, quamdiu viuimus, semper obnoxij sumus peccatis venialibus. Potest autem haberi in fine vitæ. Et ideo hoc sacramentum institutum est, vt in exitu huius vitæ perfectè sanet hominem à venialibus.

Sed contra est. *Primo*, quia sequeretur hoc sacramentum non esse recipiendum nisi præcisè in ultimo articulo vitæ, quia si vel vñus dies, vel vna hora supersit, poterit homo venialiter peccare. Et sic non perfectè sanabitur, quod est contra suppositionem illius responsionis.

*Secundo*, quia, quando instituitur aliquod remedium ad remissionem peccatorum, non respicit per se tempus futurum, sed præteritum. Ergo vt tale remedium applicetur, non necesse est, vt iterum non possint committi peccata, sed satis est, quod sint commissa & possint deleri.

Alij respondent hoc sacramentum non esse institutum propter remissionem venialium secundùm se, sed solum, quatenus impedimento esse possunt, ne statim homo recipiatur in coelum. At sub hac ratione non consideratur proximè, nisi quando homo est in periculo mortis, & ideo pro illo tempore, & propter hunc finem principaliter est hoc sacramentum institutum.

Sed contra *primo*, quia non solum peccatum veniale, sed etiam reatus poenæ temporalis impedimentum est ne homo statim recipiatur in coelum. Ergo eadem ratione dicendum esset hoc sacramentum principaliter institutum esse ad remissionem poenæ temporalis.

*Secundo*, quia inde sequeretur, in omni mortis periculo

sumendum esse hoc sacramentum, quod tamen est falsum. Non enim sumitur ab iis qui extremo suppicio afficiuntur, sed tantum ab iis, qui ex morbo decumbunt.

*Tertio*, quia in periculo mortis potest applicari sacramentum Poenitentiæ, per quod perfectè tollantur omnia peccata. Ergo non est necesse aliud sacramentum ad hunc finem principaliter institutum esse. Ad argumenta initio posita dicemus postea.

## Q V A E S T I O V I .

*An præcipiens effectus huius sacramenti sit tollere reliquias peccatorum?*

<sup>i</sup> **A**ffirmant D. Th. in 4. dist. 24. q. 2. a. 2. q. 1. Albertus & Capreolus *ibid.* Dom. Soto & Ledesmius *suprà* citati Antoninus 3. p. tit. 14. cap. 8. Ratio est, quia hoc sacramentum institutum est ad tollenda peccata, ut patet ex forma verborum; Sed non est institutum ad tollenda ipsa peccata secundum se, quia ad hoc sunt alia remedia, ut dictum est. Ergo institutum est ad tollendas reliquias peccatorum. Quid autem nomine reliquiarum intelligatur, variè exponitur.

Aliqui enim intelligunt illa peccata, quæ interdum relinquuntur in anima, etiam quad culpam, post alia sacramenta suscepta, siue quia per obliuionem omissa sunt; siue quia postea sunt commissa. Et hoc accidit frequentius in venialibus, quam in mortalibus peccatis. Et ideo magis solent venialia comprehendi sub his reliquiis, quam mortalia. Hæc explicatio vera esset si loquereretur de secundario effectu & concomitante, ut infra dicam: nunc autem agimus de primario, ubi illa explicatio secundum mentem Diui Thomæ applicari non potest. Ipse enim distinguit reliquias peccatorum ab ipsis peccatis commissis. Quamvis ergo peccata, vel per præcedentem absolutionem non dimissa, vel post illam commissa dici possint relicta, seu adhuc durantia; non tamen propriè dici possunt reliquæ, secundum mentem D. Thomæ.

Alij ergo per reliquias peccatorum intelligunt reatum poenæ temporalis. Sed contrà, quia ad poenam tempora-

Iem tollendam nullum sacramentum per se institutum est, nec fuit necessarium. *Primo*, quia talis effectus per se non requirit gratiam. *Secundo*, quia ille est proprius effectus sacrificij Missæ ex opere operato. *Tertio*, quia sunt multa alia remedia, quibus hæc poena tolli potest.

Alij intelligunt prauos habitus ex peccatis relictos. Hoc minus placet, quia illi non tolluntur per infusionem gratiae, quantumuis perfectam, & non magis tolluntur per hoc sacramentum, quam per alia. *Secundo*, quia experientia docet eos, qui suscepto hoc sacramento conualefecerunt ex morbo, sentire eosdem habitus & propensiones quas antea sentiebant. *Tertia*, quia forma verborum non potest accommodari his habitibus.

Alij denique cum D. Th. & Alberto dicunt reliquias peccatorum esse pronitatem ad malum, ac torporem & difficultatem operandi bonum, quæ relinquuntur ex peccato. Hoc etiam aliquibus non placet, quia ex peccato originali seclusa culpa & poena, nihil aliud relinquitur nisi fomes: ex actualibus vero nihil nisi praui habitus, &phantasmata, ex quibus prouenit torpor ad bonum & prona-  
tas ad malum. At fomes non tollitur per sacramen-  
tum, ut docet experientia, nec etiam praui habitus,  
ut dictum est. Ergo nec torpor in bono & prona-  
tas ad malum.

**2** Prima Conclusio. Hoc sacramentum est primariò institutum ad confortandum animum hominis ægrotantis contra difficultates illi occurrentes in articulo mortis, ut colligitur ex hoc Iacobi: *Et alleuiabit eum Dominus.* Probatur *primo*, quia hoc sacramentum institutum est pro iis qui ægrotant usque ad periculum mortis. Ergo est institutum propter specialem aliquam necessitatem quæ occurrat in tali articulo. At nulla alia fingi potest, quam quæ dicta est. Ergo, &c.

Probatur *secundo*, quia in omnibus aliis necessitatibus sufficienter prospectum est homini per alia sacramenta. Ergo hoc Sacramentum debet esse pro necessitate in articulo mortis, ut tunc non succumbat homo tentationibus.

Probatur *tertio*, quia hoc significat exterior unctio per oleum,

604 CAP. XXVII. DE SACRAMENTIS  
oleum, cuius virtus est corroborare & disponere luctatores ad pugnam.

Hinc sequitur specialem gratiam sacramentalem huius sacramenti non consistere in sola remissione, seu expulsione alicuius mali culpæ aut poenæ, sed præcipue in collatione auxiliorum gratiæ, quibus homo in tali casu iuuetur & corroboretur. *Primo*, quidem ad bene sperandum de misericordia Dei. *Secundo*, ad hilaritatem animi concipientiam. *Tertio*, ad temptationes superandas.

3 Septima Conclusio: Hoc sacramentum est secundariò institutum ad disponendam & præparandam animam, quantum in ipso sacramento est, ad introitum gloriæ, ut colligitur ex Tridentino sess. 14. in proæmio de hoc sacramento. Nota ergo duo esse, quibus potest homo proximè præparari ad introitum gloriæ. Vnum, perfecta animæ sanctificatio, quæ præter gratiam santificantem consistit in ablatione omnis mali ex peccato prouenientis. Alterum est perseverantia in bono vsque ad mortem. Hoc posterius confertur per auxilia gratiæ, quæ explicauit in prima coniunctione. Prius autem confertur, quantum est ex parte sacramenti, per hanc conclusionem.

Si enim non ponatur obex in hominē ægrotante, tollitur omne malum quod posset impedire, aut retardare introitum gloriæ. Et hinc sequitur *primo*, per hoc sacramentum (saltem secundariò) tolli peccata quoad culpam, si quæ fortè relicta sint post alia sacramenta susceppta, ut partim colligitur ex S. Iacobi verbis: *Si in peccatis sit, remittentur ei*; partim ex illis: *Indulgeat tibi Deus quicquid deliquisti*, partim denique ex Tridentino sess. 14. cap. 2. vbi sic ait: *Delictas, si quæ sint adhuc expianda, absolverit.*

*Secundo*, sequitur per hoc sacramentum remitti etiam reatum poenæ temporalis, qui relictus est ex peccatis prius quoad culpam remissis. Nam etiam hic reatus potest impedire, aut retardare introitum gloriæ. An autem remittatur totus reatus, vel aliqua pars per hoc sacramentum, non constat. Probabile est id fieri iuxta dispositionem & deuotionem recipientis.

*Tertio* sequitur, quomodo hoc sacramentum dicatur tollere

tollere reliquias peccatorum. Non enim hoc facit tollendo somitem, aut praus habitus, aut phantasmata, aut mutando corporis dispositionem, sed dando robur & vigorem contra haec omnia per auxilia gratiae supra explicata.

*Quarto* sequitur, hoc sacramentum posse aliquando facere hominem de attrito contritum, & conferre primam gratiam sanctificantem. Nam, ut ostensum est, potest aliquando delere peccata mortalia, si quae forte sint relicta in homine ægrotante.

Et quamvis aliqui probabiliter putent hoc conuenire omnibus Sacramentis in aliquo casu: tamen certius est conuenire huic quam cæteris, excepto Baptismo & Pœnitentia, tum quia non conuenit cæteris sacramentis ex propria institutione, sed tantum ex generali quadam ratione: tum etiam, quia de cæteris est tantum pia & probabilis conjectura; de hoc autem sacramento habemus testimonium Iacobi & Concilij Tridentini.

Dices: Ergo non est necessaria confessio, vel sacramentum Pœnitentiae. Respondeo. Si ægrotus sciat se esse in peccato mortali, tenetur confiteri si potest: aut falso tenetur habere contritionem, si non habeat confessarium: nec sufficit sacramentum extremæ Unctionis cum sola attritione. Si autem nesciat per vehementiam morbi & turbationem capitis, &c. se esse in peccato mortali, vel si hoc quidem sciat, tamen bona fide putet se esse contritum, cum raptum sit attritus, tunc sufficit hoc sacramentum, nec est necessaria confessio, nisi in voto, si haberri non potest, si autem haberri potest, in re ipsa.

### QVÆTIO VII.

*Quando hoc sacramentum conferat suum effectum?*

<sup>1</sup> **L**oquor de effectu gratiae habitualis & remissionis peccati, quia proprius & specialis effectus, nempe confortatio animæ contra tentationes, non datur certo aliquo instanti, sed toto tempore morbi, quando opportunum,

tunum, aut necessarium est. Gratia autem habitualis & remissio peccati datur in uno aliquo instanti. Quæritur ergo, cum in hoc sacramento sint multæ. Vnctiones & formæ, an tota gratia detur post primam Vnctionem, an post omnes simul sumptas.

2 Prima Opinio est, totam gratiam dari per primam Vnctionem & per sequentes Vnctiones perfici quidem sacramentum, non tamen conferri nouum gradum gratiæ vi sacramenti, nisi forte per accidens propter meliorem suscipientis dispositionem. Sicut aliqui dicunt in Eucharistia totam gratiam dari in sumptione vnius speciei, & in sumptione alterius perfici Sacrificium, non tamen nouam gratiam conferri. Ratio, quia sicut in Eucharistia singulæ species sufficienter significant gratiam refectionis spiritualis; ita in hoc sacramento singulæ Vnctiones significant gratiam confortationis. Ergo sicut ibi datur tota gratia in prima sumptione, ita hic in prima Vnctione.

3 Secunda Opinio est, per singulas Vnctiones dari singulos gradus, seu portiones gratiæ; ac proinde, sicut quinque sunt Vnctiones partiales, quæ constituunt integrum sacramentum, ita quinque vicibus conferri quinque gradus gratiæ, qui constituant ad æquatum effectum huius sacramenti.

Vnde sequitur *primo*, si homo moriatur suscepta una Vnctione, fore ut discedat cum uno gradu, vel una portione gratiæ. *Secundo*, videtur sequi per singulas Vnctiones remitti illa peccata venialia, quæ per illum sensum commissa sunt, itemque pœnam temporalem, quæ ratione illius sensus debita est. *Tertio*, omnia peccata venialia, si quæ sunt, tolli per primam Vnctionem, quia omnia tolluntur per primam gratiam habitualē, quæ confertur in prima Vnctione.

Addi potest quædam mortalia peccata tolli per se, & ex vi formæ, nimirum ea, quæ per tales sensum commissa sunt, alia verò quasi per accidens, & concomitanter ratione gratiæ cum qua consistere non possunt. Ratio autem huius opinionis sumi potest ex contrario fundamento præcedentis opinionis, quia sicut in Eucharistia datur una

pars gratiæ per sumptionem vnius speciei, & altera pars per sumptionem alterius: sic etiam seruata proportione sit hic.

4 Tertia Opinio est, gratiam habitualem non conferri, nisi per ultimam Vnctionem, id est, per eam quæ re ipsa est ultima, ex intentione Ministri yngentis. Vnde, si Minister ministrare vult hoc per septem Vnctiones, effectus gratiæ non dabitur, nisi post septimam. Si verò per quinque vult, gratia dabitur in fine quintæ Vnctionis. Ita D. Soto, in 4.4.23.q.2. a.vlt,

Sed non loquitur consequenter Sotus. Nam duæ postremæ Vnctiones inter se p. vel sunt de essentia Sacramenti, vel non. Si sunt de essentia, non potest Minister per suam intentionem facere ut omittantur, & nihilominus sacramentum sit integrum & perfectum. Si non sunt de essentia, non potest Minister efficere, ut sacramentum essentialiter perfectum non conserat suum effectum, donec addantur duæ Vnctiones, quæ ad essentiam & necessitatem non spectant.

5 Quarta Sententia est, Effectum gratiæ conferri in eo instanti, in quo essentialiter perficitur hoc sacramentum, perfici autem, quando quinque Vnctiones cum quinque formis sibi correspondentibus perficiuntur.

6 Prima Conclusio: Tametsi plures Vnctiones fiant in hoc sacramento; tamen videtur vna sufficere ad essentiam sacramenti, siue fiat in capite, siue in pectore, &c. Probatur primo, quia nec ex scriptura, nec ex vniuersali traditione Ecclesiæ aliud colligi potest. Secundo, quia forma Ambrosiana & Veneta non significant, nisi vnam Vnctionem. Tertio, quia sicut in Baptismo sufficit vna immersio, & in Eucharistia vna species; ita hic sufficit vna Vnctio.

Dices: In concilio Florentino ponuntur plures Vnctiones? Respond. Ibi ponuntur septem, & tamen certum est, non omnes esse necessarias. Ergo inde nihil convinci potest. Sicut & in multis conciliis tres immersions & duæ species in Eucharistia ponebantur. Et confirmatur, quia, si aliquis non habuisset oculos, non esset neceſſe eum vngere super oculos, aut dicere: *Indulgeat tibi*, &c. quicquid deliquisti per oculos. Ergo numerus

Vnctio

Vnctionum non est de essentia huius sacramenti.

7 Secunda Conclusio : Hoc sacramentum statim confert gratiam , quando vnica vnc<sup>t</sup>io peracta est cum sufficien<sup>t</sup>e verborum forma. Sequitur ex dictis. Reliquæ tamen vnt<sup>t</sup>iones ob receptam consuetudinem non facilè sunt omittendæ. Si autem omittantur, fit sine detimento Sacramenti & effectus illius.

### Q V A E S T I O V I I I .

*An hoc Sacramentum aliquando tribuat sanitatem corporis ?*

1 P<sup>r</sup>imo certum est sanitatem corporis aliquando conferri per hoc sacramentum , vt colligitur ex Iacobo: *Oratio fidei saluabit infirmum.* Secundo , certum est non semper conferri , vt docet experientia. Quæstio ergo est , quando conferatur. Plerique docent tunc conferri , quando expedit saluti animæ. Sicut enim bona temporalia non conferuntur Sanctis , nisi in ordine ad salutem animæ , ita de sanitate sentiendum est.

Dices : Sæpe fit , vt sanentur illi , quorum animæ saluti non expedit ; & contrà , vt moriantur illi , quos expediret viuere ? Respondeo primo , Tametsi aliqui sanentur post acceptam extremam Vnctionem , qui postea male viuunt ; non tamen certum est , sanatos esse vi Sacramenti , quia potuerunt sanari per media naturalia , præsertim si morbus non fuerit lethalis. Secundo , licet male postea vixerint , tamen eo tempore , quo sanati sunt , potuit illis prodesse sanitas ad salutem animæ ; quia non omnes perseverant in bono quod semel adepti sunt. Respondeo secundo , Quando aliqui boni viri moriuntur post extremam Vnctionem , tametsi tales fuerint , vt secundum humanam estimationem potuissent adhuc multa bona facere ; tamen coram Deo s<sup>p</sup>è res aliter habet. Vnde , cùm dicimus per hoc sacramentum conferri sanitatem , si expedit saluti animæ , intelligas , si expedit iuxta Diuinam præscientiam & ordinationem , non autem secundum humanam imaginationem.

## QVÆSTIO IX.

*Quis sit Minister huius Sacramenti?*

**I**SOLUS Sacerdos est legitimus Minister huius Sacra-~~ture~~<sup>ture</sup> menti, nec ab alio validè confici potest, vt est communis sententia; & colligitur ex Iacobo: *Inducat Presbyteros Ecclesiæ.*

Dices: Innocentius I. in epistola 1. cap. 8. dicit: *Oleo sancto potest uti non solus Sacerdos, sed etiam Laicus in sua aequali necessitate.* Quam sententiam totidem verbis recitat venerabilis Beda in cap. 6. Marci, & Concilium Vvormatiense can. 62. Respondeo. Innocentius non loquitur de Ministro, sed de recipiente. Ita Iansenius in cap. 6. Marci, & Bellarm. cap. 9. de extrema Vnct.

## QVÆSTIO X.

*Quis possit suscipere hoc Sacramentum?*

**I**Conditiones sex requiruntur in suscipiente. *Prima*, ~~secunda~~<sup>tertia</sup>, vt sit Christianus & baptizatus. *Secunda*, vt infirmus, quia, qui benè valent, possunt agere pœnitentiam. Extrema enim Vnctio est specialis misericordia, quæ exhibetur ægrotis, qui non possunt agere pœnitentiam, nec subire satisfactionem externam. *Tertia*, vt sit grauiter infirmus, ita vt de vita periclitetur. Ita passim concilia. *Quarta*, vt sit adultus, & qui usum habuerit rationis. Infantes enim, & qui semper amentes fuerunt, non habent reliquias peccatorum, quæ abstergantur; nec sunt capaces corroboracionis contra tentationes diaboli. *Quinta*, vt non sit excommunicatus. *Sexta*, vt, si scienter est in peccato mortali, prius confiteatur, si potest & absoluatur vt docet Innocentius loco citato.


## QVÆSTIO XI.

*An hoc Sacramentum sit necessarium ad salutem?*

**I**PRIMO certum est non esse necessarium necessitate medij, vt est communis sententia, quia potest aliquis sufficiens

610 CAP. XXVIII. DE SACRAMENTIS  
sufficienter per Sacramentum Pœnitentiæ, & Eucharistia  
sanctificari & saluari. Secundo, probabilius etiam est non  
esse necessarium necessitate præcepti. Est communis sen-  
tentia, excepto uno & altero. Ratio est, quia nec tale præ-  
ceptum inuenitur in Scriptura, neque in Conciliis, nec ha-  
betur ex sufficiente aliqua traditione, aut consuetudine.  
Confirmatur, quia Ecclesia tempore interdicti permittit  
ministrari ea Sacra menta, quæ sunt necessaria; non au-  
tem permittit hoc Sacramentum; ut patet in cap. *Quod in*  
*te, de penitentia & remissione.* Ergo iudicat hoc Sacramentum  
non esse necessarium ex præcepto naturali & Diuino. Con-  
stat autem nullum Ecclesiasticum præceptum extare.

Dices: Concilium Colonense celebratum anno 1536,  
parte 7. c. 50. sic ait: *Est autem unctio impendenda cum ex-*  
*positione Vunctionis & mandati Apostolici, quod sic habet:*  
*Infirmatur quis in vobis, &c.* Respondeo. Nomen man-  
dati accipitur ibi latè includens quamcumque admoni-  
tionem.



## C A P V T    XXVIII.

### *De Indulgentiis.*

**I**ciam primo, an sint Indulgentiæ. Secundo, quid  
sint. Tertio, quales sint. Quarto, propter quid sint.  
Quinto, quis dare possit. Sexto, quis suscipere. Hæc omnia  
breuiter de Indulgentiis, hic Moguntiæ, vbi orta est con-  
trouersia cum Nouatoribus, tractabo.

---

### Q V A E S T I O    I.

#### *An sint Indulgentiæ?*

**H**æc quæstio pendet ex aliis duabus. Primo; an ex-  
tet in Ecclesia Thesaurus aliquis satisfactionum Chri-  
sti, & Sanctorum, qui possit applicari eis, qui sunt rei poenæ  
temporalis post culpam in Sacramento Pœnitentiæ  
remissam. Secundo, an in Pontifice sit potestas applican-  
di hunc Thesaurum, & eo modo absoluendi homines à  
reatu poenæ temporalis. Hæc enim duo videntur esse ne-  
cessaria.

cessaria ad Indulgentias constituendas , quales à Catholicis defenduntur.

## PRIOR PARS.

*An extet talis Thesaurus in Ecclesia?*

1 **F**ranciscus Maryonis in 4.d.19.quest.2.dubitat de Thesauro satisfactionum Christi superfluentium , & apud Ecclesiam reconditarum. Durandus verò in 4.d.20.quest.3. dubitat an ad hunc Thesaurum pertineant satisfactiones Sanctorum. Vterque tamen se subiecit iudicio Ecclesiae. Suppono *primo* , in bonis operibus iustorum duplicem valorem assignari posse , scilicet meriti & satisfactionis. Vnum enim idemque opus potest esse meritorium, quatenus procedit ex charitate , & satisfactorium, quatenus est laboriosum & pœnale. *Secundo* suppono , bonum opus, quatenus satisfactorium est, posse applicari aliis , non autem quatenus meritorium est. Prima pars est D.Thom.3.p. q.48.art.2. ad 1. Ratio est, quia satisfactio est compensatio pœnae, vel solutio debiti. Potest autem unus pro altero compensare pœnam , vel soluere debitum. Secunda pars est etiam D.Thom.p.2.q.vlt.art.6. & D.August. lib.1.de peccatorum meritis, c. 14. Ratio est, quia solus Christus habuit gratiam capitum per se ordinatam ad bonum aliorum. Ergo ille solus potest aliis mereri.

2 **P**rima Conclusio : Extat in Ecclesia infinitus Thesaurus satisfactionum ex passionibus Christi , qui nunquam exhaustiri poterit. Ita Clem. VI. in extra.vnigenitus, de penit. & remiss. Probatur, quia passio Christi fuit pretij infiniti, cum esset passio infinitæ personæ. Ergo exhaustiri non potest. *Secundo*, quia Christus pro omnibus mortuus est, & pro omnibus cumulate satisfecit. At satisfactio eius non est omnibus applicata , quia multi damnati sunt. Ergo adhuc multū illius pretij superest , quod semper applicari possit.

3 **P**rima Obiectio : *Sicut* satisfactio Christi fuit infinita sic etiam peccatum pro quo satisfecit , fuit infinitum quoad offenditionem , quia fuit contra personam infinitam. Ergo satisfactio Christi fuit exhausta in diluendo peccato. Ergo nihil amplius superfluum est.

Respondeo. Vnumquodque opus satisfactorium Christi fuit simpliciter infinitum in ratione satisfactionis & meriti, quia immediatè erat à persona simpliciter infinita. Peccatum autem mortale, licet sit infinitum secundùm quid, & quasi obiectiuè, quia scilicet offendit Deum infinitum; non tamen est infinitum simpliciter, quia est ab homine, cuius actio est simpliciter finita. Vide Suarez in *tomo i.* 3. part. q.1. *disput. 4. section. 3.* Et colligitur ex illo Roman. vers. 15. *Non sicut delictum ita & donum.* Et infrà: *Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia:* quasi dicat; Potentius fuit donum, & passio Christi quam peccatum Adami. Vnde etiam Clemens VI. loc. citato, dicit, vnam guttam sanguinis Christi propter unionem Hypostaticam, toti mundo reconciliando satis esse potuisse.

4 Secunda Obiectio Mayronis: Deus reddidit Christo cumulatum præmium pro passione. Ergo nihil superest, quod in thesauro recondatur. Antecedens ex Philip. cap. 2. patet: *Humiliavit se, &c. propter quod & Deus exaltavit eum, &c.* Respondeo. Hoc argumentum non est ad rem, quia procedit de passione Christi, quatenus est meritoria: nos autem loquimur de illa, quatenus est satisfactoria. Nam Christus sua passione meruit sibi exaltationem sui nominis, non tamen satisfecit pro se, quia, cùm esset expers omnis peccati, non indigebat satisfactione pro se. Totus ergo valor satisfactionis nobis referuatus est.

Deinde nec meritum Christi exhaustum esse potest, quia exaltatio nominis, & gloria corporis, quam Christus sibi meruit, est finita, ac proinde non potest exhaustire meritum infinitum. Idem dicendum est de omnibus donis gratiæ & gloriæ, quæ nobis meritus est, quia omnia finita sunt.

5 Secunda Conclusio: Ad hunc Thesaurum superfluentium satisfactionum Christi pertinent etiam satisfactiones Sanctorum, qui plus passi sunt in hac vita, quam eorum peccata requirerent. Ita Clemens V. I. loco citato. Et patet primo, in Beata Virgine Maria, quæ multa passa est, & tamen patiendo non satisfecit pro suis peccatis, cùm non haberet peccata. Ergo necesse est, ut ipsius satisfactio fuerit recondita in Thesaurum Ecclesiæ.

*Secundo*, idem patet in Ioanne Baptista in Apostolis, & in Martyribus, qui plus passi sunt quam eguerunt.

Sed obiicitur *primo*, satisfactio Christi est infinita, & exhausta non potest, ut dictum est. Ergo superflue sunt satisfactiones Sanctorum. Resp. Hoc argumento recte probantur satisfactiones Sanctorum non esse necessarias pro nobis, quia satisfactio Christi cum sit infinita, per se sufficit: hinc tamen non sequitur esse superflua, quia possunt adiungi Thesauro satisfactionum Christi, ne videantur esse inanes coram Deo. Hoc enim, & ipsis Sanctis per honorificum est, & Christo etiam gloriosum, a quo satisfactio Sanctorum habet suum valorem.

Quæres: Quomodo satisfactiones Sanctorum adiungantur Christi satisfactioni, ut non sint inanes, & effectu careant. Ratio dubitandi est, quia quando Pontifex vult applicare alicui pro pena temporali satisfactionem ex Thesauro Ecclesiæ, vel applicat solam passionem Christi; & tunc superflua est passio Sanctorum: vel sumit aliquid ex passione Christi, & aliquid ex passione Sanctorum; & hoc est etiam superuacaneum, quia sola passio Christi sufficit.

Respond. *primo* probabile est, quod per indulgentias applicetur certus, & limitatus gradus satisfactionis Christi, cui deinde addatur aliqua pars satisfactionis Sanctorum. Sicut enim in Sacramentis, & sacrificio Missæ certè applicatur nobis meritum Christi finito modo, licet in se sit infinitum: ita & satisfactio Christi, licet in se infinita sit, potest nobis applicari finito modo, & consequenter potest illi aliquid superaddi ex satisfactione Sanctorum. Ita noster Henriquez.

Respondeo *secundo*: probabile quoque est, quod, licet satisfactio Christi per se sufficiat, non tamen superflua sit satisfactio Sanctorum, quia potest pluribus titulis satisficeri pro uno debito. *Tertio* dici potest satisfactionem Christi concurrere, ut causam vniuersalem, satisfactionem vero Sanctorum, ut causam particularem, quæ in virtute Christi causat immediatè totum effectum indulgentiæ.

7 Secunda Obiectio: Omnes Sancti receperunt plenam mercedem suorum laborum, imò etiam supra condignum. *Luc. 6. vers. 38.* Mensuram bonam & confertam

614 CAP. XXVIII. DE SACRAMENTIS  
& coagitatam, & superfluentem dabunt in sinum vestrum.  
Rom. 8. vers. 18. Non sunt condigne passiones huius tem-  
poris, &c.

Respondeo. Hoc argumentum procedit de merito, non  
de satisfactione. Merita Sanctorum habent suum præmium;  
sed aliquæ satisfactiones reseruantur in communi thesau-  
ro, quibus illi non indigerunt.

8 Tertia Obiectio : Sancti nihil fecerunt, vel passi sunt ob  
Deum quod facere, vel pati non tenerentur. Ergo nihil il-  
lis supereft, quod cum aliis communicare possint. Antece-  
dens patet Luc. 17. *Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt, &c.*  
*quod debuimus facere, fecimus.*

Respondeo. Christus ibi solùm loquitur de præceptis  
Decalogi, quæ tenemur seruare, & quando ea seruamus,  
vult nos non gloriari quasi aliquid peculiare fecerimus,  
quando quidem id solùm fecimus, quod facere debuimus.  
Nihilominus præter observationem præceptorum possu-  
mus alia multa præstare, quæ non sunt præcepta; & ex iis  
potest aliquid superesse quod cum aliis communicemus.  
Sancti multa passi sunt, quæ ex præcepto non tenebantur  
pati, potest eorum passio etiam prodefesse aliis per modum  
satisfactionis.

Dices: Hoc fieri non potest, quia cùm fatuæ virgines pe-  
terent à prudentibus aliquid de suo oleo communicari,  
responderunt hæ, ne forte non sufficiat nobis & vobis. Vnde  
colligitur satisfactiones Sanctorum non sufficere aliis. Re-  
spondeo, Virgines prudentes non loquuntur de satisfa-  
ctione; sed de oleo gratiæ & charitatis, sine quo salvi esse  
non possumus; quod quidem oleum vniuersisque retinet  
sibi, neque in alios potest effundere. Et hæc est gratia, &  
charitas habitualis.

9 Quarta Obiectio : Si sanctorum passionibus expiari  
possent nostra peccata, possemus eos vocare nostros Re-  
demptores, saltem ex parte. At solus Christus est Redem-  
ptor generis humani. Propter hoc argumentum docue-  
runt aliqui passiones Sanctorum non ita nobis applicari  
per indulgentias, ut sint veræ satisfactiones pro pœna tem-  
porali quam Deo debemus; sed solùm mouere Deum, ut  
nobis applicet satisfactionem Christi.

Hæc

Hæc tamen opinio reprobata est à Pio V. qui damnauit multos articulos quorundam Louaniensium, quorum unus erat, solius Christi satisfactionibus remitti poenam temporalem; Sanctorum autem passiones offerri Deo, ut Deus illarum intuitu applicet nobis merita Christi.

Respondeo ergo, solum Christum propriè, & absolutè loquendo esse Redemptorem nostrum. Ille enim propriè, & absolutè dicitur Redemptor, qui redimit à captiuitates non autem ille qui soluit pro aliquo debitum aliquod parui momenti. Dicimur autem captiui, quando sumus in peccato mortali, aut originali, à quo liberat nos solum Christus, non autem Sancti.

## POSTERIOR PARS

### QVÆSTIONIS PRIMÆ.

*An in Ecclesia sit potestas hæc applicandi thesaurum,  
& ita concedendi Indulgentias?*

10 **P**rima Conclusio. Satisfactiones Christi, & sanctorum possunt applicari aliis pro reatu poenæ temporalis. Probatur primo ex articulo Symboli Apostolici, quia in Ecclesia est communio sanctorum. In quo autem consistat hæc communio, optimè explicatur Rom. 12. v. 4. &c 1. Cor. 12. v. 12. similitudine membrorum unius corporis. Sicut enim viua membra unius corporis se inuicem iuuant, ita fideles inter se sua bona communicant, præsertim cum ea, quæ uni superflua sunt, alteri possint esse necessaria, aut utilia.

Et ratio sumitur ex natura, & vi charitatis, quæ membra Ecclesiæ sunt sibi inuicem unita. Hinc enim fit, ut quod unus facit, profitetur etiam aliis quibus per charitatem unitus est, iuxta Psal. 118. vers. 63. *Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua.*

Secundo probatur ex illo Coloss. 1. vers. 24. *Gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea quæ desunt Passionum Christi in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia.* In hunc locum scribens D. August. in Psal. 61. dicit passiones sanctorum conferri in commune bonum Ecclesiæ.

Et confirmatur, quia S. Paulus cupiebat suis passionibus prodeesse ipsi Ecclesiæ omnibus modis quibus id fieri poterat. Potuit autem prodeesse communicando passiones suas ad expiandum reatum pœnæ temporalis.

ii. Secunda Conclusio. Pastores Ecclesiæ habent à Deo potestatem dispensandi Thesaurum satisfactionum Christi & Sanctorum, atque adeo concedendi indulgentias. Probatur primo, ex illo Matth. 16. vers. 19. *Quodcumque solueris super terram, erit solutum, & in cœlo.* Hæc enim promissio est generalis, qua promittitur potestas D. Petro soluendi omnia vincula, quæ impedire possunt homines à confectione salutis æternæ.

Sunt autem huiusmodi vincula varia, v.g. culpæ, pœnæ, censuræ, legis, voti, iuramenti. Et ab his omnibus potest soluere S. Petrus, & eius successores, licet non sit idem modus soluendi ab omnibus. Nam vinculum culpæ soluitur in Sacramento Pœnitentiæ. Vinculum pœnæ temporaliis tum in Sacramento Pœnitentiæ, per satisfactionem, tum extra Sacramentū per applicationem satisfactionum ipsius Christi. Vinculum excommunicationis soluitur per absolutionem iudicialem extra Sacramentum. Vinculum legis, voti ac iuramenti soluitur per ipsam dispensationem. Sed

Dices: Vnde constat Christum loqui de potestate soluendi ab his omnibus vinculis? Respond. ex eo, quia Christus non astringit sua verba ad aliquod vinculum in particulari.

Dices: Ergo etiam poterit soluere à vinculo Matrimonij consummati, quod tamen falsum est? Respondeo, non sequitur, quia vinculum Matrimonij consummati est omnino indissolubile, cætera autem vincula sunt solubilia. Christus ergo locutus est de solubilibus.

Confirmatur, quia Christus promittebat D. Petro supremum tribunal Ecclesiastice potestatis, ut loco Christi posset regere ac iudicare omnes Christianos, quod illi postea exhibuit, Ioan. 21. *Pasce oves meas.* Sicut ergo Petrus, tanquam supremus Iudex, & Christi Vicarius potest absoluere homines à peccatis in Sacramento Baptismi & Pœnitentiæ per applicationem meritorum Christi,

ita potest eosdem absoluere à pœna temporali extra Sacramentum applicando satisfactiones Christi.

**12 Quæres:** Cur reatus culpæ soluatur in Sacramento, reatus autem pœnæ extra sacramentum, cùm potestas soluendi sit vna & eadem. Respon. vnumquodque debet solvi prout exigit eius natura. Peccatum mortale non soluitur sine infusione gratiæ. Infusio autem gratiæ non datur ministerio humano, nisi per Sacra menta. Pœna autem temporalis, quæ remanet post dimissam culpam, soluitur extra sacramentum, quia non requirit nouam infusionem gratiæ, sed eam præsupponit.

**Secundo** probatur conclusio ex praxi & perpetuo usu Ecclesiæ. Nam ab ipsis temporibus Apostolorum huc usque semper fuerunt concessæ Indulgenciarum. Ac **Primo**, de temporibus Apostolorum patet ex 2. Cor. 2. v. 10. *Cui aliquid donasti, & ego: nam ego, quod donavi, si quid donavi propter vos in persona Christi, ut non circumueniamur a Satana.* Vbi agit de incœstuoso quem Satanæ dederat. Hoc, inquam loco agit D. Paulus de Indulgentia quam concesserat incœstuoso excommunicato.

**Dices:** Paulus condonauit Corinthio illam pœnam, quam debebat in foro externo, non quam in foro conscientiæ coram Deo. Respond. hoc falsum est, quia loquitur de illa pœna quam illi inflixerat, 1. Cor. 5. v. 3. quæ certè est intelligenda de foro conscientiæ, & coram Deo, ut patet ex eodem capite.

Post autem tempora Apostolorum perseverauit usus indulgentiarum usque ad nostra tempora. Vide Valent. 3. p. disput. 7. quæst. 20. punc. 2. **Tertio** probatur conclusio ex Conciliis generalibus, Lateranen. I. & I V. Lugdunensi, Viennensi, Constantiensi & Tridentino; in quibus Indulgenciarum, vel conceduntur, vel approbantur. **Quarto**, probatur ratione petita ab iis signis quibus internoscuntur Catholica dogmata ab hereticis. Nam Catholicorum dogmatum hoc est proprium, ut non inueniatur eorum origo, nisi ad Euangelium vel Apostolos ascendamus. Hereticorum autem dogmatum potest semper certus autor, locus & tempus, in quo exoriri coepерunt, assignari. Iam vero nullus haec tenus indicare potuit authorem In-

618 CAP. XXVIII. DE SACRAMENTIS  
dulgentiarum, neque locum, vel tempus in quo prædicari  
cœperint. Omnes enim loquuntur de Indulgencie tan-  
quam re vñitata & recepta. Initium autem heresis contra  
Indulgencias est notissimum; scilicet à primis Vualdensi-  
bus. *Quinto*, probatur ratione ducta à simili. Nam in omni  
Republ. bene instituta pertinet ad Principem, vel Magi-  
stratum dispensare bona communia, & admittere satisfa-  
ctionem vñius pro altero, si ita expedit Reipublicæ. Ergo  
idem potest fieri in Republica Ecclesiastica.

13 Tertia Conclusio. Pastores Ecclesiæ possunt dispensare  
Passionem Christi, tunc per ipsa sacramenta, tum per Indul-  
gentias. Passiones autem sanctorum nonnisi per Indulgen-  
tias. Prius patet, quia Passio Christi aliquando dispensatur  
pro remissione culpæ, quod non potest fieri, nisi per sacra-  
menta, cum talis remissio non fiat sine gratia quæ à Prä-  
latis non datur, nisi per sacramenta: aliquando pro remis-  
sione pœnæ temporalis, quod potest fieri per Sacramenta  
& per Indulgencias.

Posterior patet, quia Sacra menta sunt instrumenta so-  
lius Passionis Christi, nec ullam vim habent à passionibus  
Sanctorum, cum ipsis etiam Sancti per Sacra menta sanctifi-  
cati sint. Ergo passiones Sanctorum non possunt dispensari  
per sacramenta, sed per solas Indulgencias.

---

## QVÆSTIO II.

### *Quid sit Indulgentia?*

1 **H**ic queruntur duo. *Primo*, an Indulgentia propriæ  
Habsolutio, an solutio. *Secundo*, cuius debiti sit so-  
lutio; vel à quo debito sit absolutio.

2 Prima Conclusio. Indulgentia propriæ est absolutio  
iudicaria, annexam habens solutionem ex thesauro. *Prius*  
probatur ex hoc Matth. 16. v. 19. *Quodcumque solueris super*  
*terram*; quod intelligitur de potestate iudicaria absoluendi.  
*Secundo*, ex Canonibus, quia Alex. III I. in Epistola ad  
Archiepiscopum Cantuariensem, docet neminem posse concedere  
Indulgencias, nisi propriis subditis. Et rationem addit,  
quia non potest, nisi proprius iudex absoluere, vel ligare.  
Vult ergo Alexander concessionem Indulgenciarum esse actum  
iurisdi-

iurisdictionis. Vide in Decretalibus *cap. quod antem, de Pænitentiis & remissionibus.* Tertio probatur ratione, quia Indulgencie non conceduntur pro defunctis, nisi per modum suffragij. At huius rei non est alia causa, nisi quod defuncti propriè non possint iudicialiter absolvi. Ergo signum est, quod Indulgentia, quæ viuentibus simpliciter datur, & non per modum suffragij, sit absolutio iudicaria. Vide Nauar. de Iubil. eo, notab. 20. num. 7.

*Quarto* probatur, quia, si non esset necessaria iurisdiction ad Indulgencias concedendas, quilibet diceretur concedere Indulgentiam, quia applicaret alteri suam satisfactiōnem, quod est inauditum.

Posterior probatur auctoritate Clement. VI. in Extrav. Vnigenitus. vbi ita docet aperte. Et ratio est, quia Index, quantum est Index, debet satisfacere Iustitiae. Sed Prelati Ecclesiæ sunt à Deo constituti iudices in concedendis Indulgenciis. Ergo debent satisfacere Iustitiae. Ergo non possunt suo arbitrio, sine villa compensatione condonare pœnam temporalem: sed debent aliquid soluere ex communi thesauro ad æqualitatem.

3 Secunda Conclusio. Quamvis in Indulgenciis ordinariè coniungatur absolutio cum solutione; posset tamen Pontifex concedere Indulgentiam per solam solutionem, non tamen per solam absolutionem. *Prius* de sola solutione patet ex Indulgenciis quæ dantur pro defunctis. Nam sicut defunctis Indulgencie conceduntur per hoc solum, quod Pontifex applicat ex thesauro Ecclesiæ, quantum satis est ad compensandam pœnam quam illi in Purgatorio luituri erant: sic etiam posset alicui viuenti applicare satisfactionem ex thesauro Ecclesiæ, & eo modo illum liberare à debito pœnae, etiamsi non propriè eum absoluueret. Ceterum ista non esset eiusdem rationis Indulgentia cum ea quæ ordinariè viuentibus datur.

Posterior probatur, quia Pontifex est constitutus à Deo Index in hac causa. Ergo debet satisfacere iustitiae. Ergo non potest aliquem absoluere sine solutione, seu compensatione ex communi thesauro Ecclesiæ desumpta.

4 Prima Obiectio. Si Indulgentia esset ab solutio iudicialis, iam Pontifex non posset esse particeps ullius Indulgencie,

620 CAP. XXVIII. DE SACRAMENTIS  
gentiæ, quia non potest seipsum iudicialiter absoluere, & multò minus aliquis inferior Pontifice. Idem argumentum fieri potest Episcopis, quando ipsi in sua dioecesi concedunt indulgentiam subditis. Aliqui concedunt Pontificem non posse frui indulgentiis. Ut Archid. *in cap. Indulg. gentiæ, in 6. Deer. de Pan. & remiss.* Alij ferè omnes contrarium docent, sed valde laborant in soluendo hoc argumento.

Quidam respondent, Pontificem & Episcopos, erga alios vti absolutione simul & solutione; erga se verè solutione tantum. Hæc responsio conformis est secundæ conclusioni. Tantum tamen sequitur illos esse deterioris conditionis, quam alijs. Alij dicunt Pontificem posse dare potestatem confessario suo, non solum ut ipsum à peccatis absoluat in sacramento Poenitentiæ; sed etiam ut conferat Indulgentiam extra sacramentum. Ita Caiet. tom. 1. Opus. tract. 15.

Alij putant Pontificem posse sibi ipsi dare Indulgentias, cum non habeat superiorum in terris; ac proinde posse exercere iurisdictionem in seipsum, præsertim cum hæc iurisdictione sit fauorabilis, nec requirat ullam vim coactiuam. Ita Henriquez *cap. 32. de Indulg. num. 3.*

Alij denique respondent Pontificem indirecte posse fieri participem indulgentiarum, si videlicet ea præstet, quæ ab aliis requiruntur ad eas consequendas. Tunc enim se habet non ut pastor, sed veluti unus de grege, & velut per accidens sibi ipsi subiectus.

5 Secunda Obiectio. Absolutio iudicialis potest dari etiam inuito, ut patet de absolutione ab excommunicatione. Sed Indulgentia non potest dari inuito. Ergo non est absolutio iudicialis. Respond. non omnis absolutio potest dari inuito; sed ea sola, quæ non requirit aliquā actionem, vel dispositionem in eō cui datur, verbi gratia, absolutio ab excommunicatione & ab alijs censuris potest dari inuito, quia non pendet necessariō, nisi à voluntate Prælati. Absolutio autem à peccatis non potest dari inuito, quia requirit attritionem, seu contritionem & confessionem in suscipiente.

Idem est de Indulgentia, quæ requirit ut suscipiens sit in statu gratiæ, & faciat illa quæ præscribuntur in Bulla, seu Literis Indulg. gentiæ.

6 Tertia Obiectio. Absolutio iudicialis requirit cognitionem causæ : sed Indulgentia non requirit cognitionem causæ , quia sçpè datur in communī iis omnibus qui hoc aut illud præstiterint, non cognitis eorum causis. Ergo Indulgentia non est absolutio iudiciaria.

Respond. duplex est absolutio : vna particularis & abso-luta, quæ fertur secundūm allegata & probata ; & hæc re-quirit particularem cognitionem causæ : altera est genera-lis & conditionata , quæ non requirit cognitionem causæ, nisi generatim. Prior absolutio dicitur sententia ab homi-ne, posterior à iure. Itaque Indulgentia , quæ datur singulis pœnitentibus, & olim visitatissima erat similis est priori ab-solutioni, & ideo requirit cognitionem causæ in particula-ri. Indulgentia verò quæ datur omnibus generatim, & cum con-ditione certi operis faciendi , similis est posteriori ab-solutioni. Et ideo satis est generatim cognoscere adesse iustam causam concedendi talem indulgentiam.

7 Quarta Obiectio. Archiepiscopus potest concedere Indulgentias per totam suam Prouinciam. cap. nostro. De pæ-nitent. & remission. At non omnes Prouinciales sunt pro-priè subiecti Archiepiscopo , sed ij soli qui ad eius dioce-sin pertinent. Ergo Indulgentia non requirit iurisdictio-nem; ac proinde non est absolutio propriè dicta.

Respondeo , non sunt quidem omnes Provinciales ab-solutè subiecti Archiepiscopo, cùm habeant suos proprios Episcopos , aut Suffraganeos : sunt tamen omnes subiecti illi in casibus certis, quorum unus est Indulgentiarum lar-gitio. Vide Ioannem Andræ. cap. Roman. De pænitent. & re-mission. in 6.

8 Tertia Conclusio. Per Indulgentias non absoluimur, neque soluimur à reatu ullius culpæ, siue mortalis, siue ve-nialis. De mortali certum est, quia peccatum mortale non tollitur sine infusione gratiæ, & gratia non infunditur mi-nisterio humano , nisi per sacramenta. De veniali non ita certum est ; quia Valudanus putat tolli per Indulgentias. Alij tamen rectius negant, quia Indulgentia supplet locum satisfactionis pœnitentialis , & ideo solūm tollit pœnam temporalem.

9 Quarta Conclusio. Per Indulgentiam liberamur à poena

poena temporali, quām debemus in foro Pœnitentiæ post remissionem culpe. Hæc autem poena duplex est: vna iniuncta à Confessario, altera non iniuncta, sed tamen debita coram Deo. Quæritur an vtraque tollatur per Indulgentiam?

Opus est hac in re distinctione. Nam quando in forma Indulgentiæ palam exprimitur concedi remissionem pœnitentiæ iniunctæ, non intelligitur concedi remissio, nisi eius pœnitentiæ quām sacerdos in Confessione iniunxit. Ratio est, quia Indulgentiæ valent quantum sonant. Quando verò non fit mentio iniunctarum pœnitentiarum, sed absolute conceduntur Indulgentiæ, intelligendum est condonari omnes pœnitentias, siue iniunctæ sint, siue iniungi potuerint. Ita D. Thom. in 4. dist. 20. quest. 5. art. 3.

Ratio huius est, quia, ubi lex & priuilegium non distinguunt, nec nos distinguere debemus. Sed.

10 Obiicies primo. Concessio Indulgentiarum semper explicari debet secundūm formam iuris: Sed in iure Canonico, cùm agitur de Indulgentiis concedendis, additur particula *de iniunctis*. Ergo illa particula subintelligi debet etiam cùm non exprimitur. Confirmatur ex forma Indulgentiarum, quæ in Sacello Pontificio promulgantur; in qua dicuntur dari Indulgentiæ secundūm formam Ecclesiæ consuetam.

Respondeo, illa particula *De Iniunctis* aliquando quidem additur in iure Canonico, sed tamen sèpè non additur, vt patet in *Extravaganti. Antiquorum, & in Extravag. Vnigenitus; & in Extravag. quemadmodum, de Pœnitenti. & remissione:* in quibus nulla fit mentio illius particulæ. Itaque negandum est, quod illa particula sit addenda secundūm formam iuris Canonici. Ad confirmationem respondeo, per formam Ecclesiæ consuetam non significari Indulgentiam de iniunctis, sed consuetudinem quæ seruatur in Ecclesia in suscipiendis Indulgentiis, nempè vt suscipiens sit in statu gratiæ, & faciat ea quæ prescribuntur.

11 Obiicies Secundo. Per Indulgentias remittuntur pœnitentiæ certorum dierum, vel annorum. Ergo remittuntur solum iniunctæ pœnitentiæ. Si enim non essent ab aliquo iniunctæ, quomodo essent certorum annorum aut dierum?

Respond.

Respond. consuetudo concedendi & condonandi certum numerum annorum, vel dierum Pœnitentia relictæ est ex antiquo Ecclesiæ vsu. Olim enim certus numerus dierum, vel annorum ipsis pœnitentibus iniungebatur, ut eo tempore se exercerent in operibus laboriosis ac pœnali bus. Ac ideo quando fiebat condonatio illorum pœnali um, concedebatur talis condonatio pro illo numero dierum, vel annorum, quibus pœnitentes debuissent agere pœnitentiam.

Hoc autem tempore, licet non iniungantur pœnitentia certorum dierum, vel annorum; dantur tamen Indulgentia certorum annorum, vel dierum, quia remittitur pœna, pro qua alioqui certis annis, vel diebus satisfacere nos fanè debuissimus.

### QVÆSTIO III.

*Qualis & quam varia sit Indulgentia?*

1 **P**rima Conclusio. Indulgentia solent variis modis concedi. Interdum enim conceduntur aliquot dies, vel anni Indulgentiarum. Interdum quadragenæ dierum. Interdum tertia vel quarta, vel alia peccatorum pars. Interdum datur Indulgentia Plenaria. Inuenitur etiam Indulgentia plena, plenior & plenissima, in forma Iubilæi. Et rursum hæc omnia, vel conceduntur in vita, vel in articulo mortis. Et denique vel sunt Indulgentia temporariæ, vel perpetuæ, de quibus omnibus & singulis dicam breuiter.

2 **S**ecunda Conclusio. Indulgentia tot dierum vel annorum, secundum veriorem sententiam, significat remissio nem pœnitentia, quæ peragenda suisset tot diebus, vel annis secundum Ecclesiæ ritum. Nam in primitiva Ecclesia solebat sœpè imponi pœnitentibus, ut feria secunda, quarta & sexta ieunarent, ut abstinerent à balneo, equitatione, sacra communione, & aliis similibus, ut constat ex Tertulliano in lib. de Pœnitentia, cap. 9; ubi hæc verba habentur. Itaque exomologesis prosterendi & humiliandi hominis disciplina est, conuersationem iniungens misericordie illicem. De ipso quoque habitu atque victu mandat, sacco & cineri incubare, corpus fardibus obscurare, animum maroribus dejicere, &c. ceterum

614 CAP. XXVIII. DE SACRAMENTIS  
pastum & potum pura nosse, non ventris scitum, sed animæ  
causa: plerumque verò ieuniis preces alere, ingemiscere, lacry-  
mari, & mugire dies noctesque ad Dominum. Et clarius ex Con-  
cilio Triburensi can. 34. Et ex lib. 19. Burkardi. Itaque per  
Indulgentiam siebat aliquando condonatio illius pœnæ  
per aliquot dies vel annos, prout Pastor Ecclesiæ videba-  
tur, & res ipsa exigebat.

3 Tertia Conclusio. Indulgentia Quadragesimæ significat  
remissionem pœnitentiae, quæ quadraginta continuatis  
diebus in ieuniis & aliis laboriosis operibus agenda fuisset.  
Hæc quadragena, si acrior esset, ita ut pœnitens folo pa-  
ne & aqua contentus esse deberet per 40. dies, Carenam di-  
cebatur, quia scilicet continebat carentiam omnium ferè  
ciborum. Eiusmodi Carenam præmitti solitam ante septen-  
nem pœnitentiam testantur Concil. Triburicense & Bur-  
kardus locis citatis.

4 Quarta Conclusio. Quando Indulgentia condonat ali-  
quam partem, verbi gratia, tertiam aut quartam peccato-  
rum, nihil aliud significatur, nisi remitti pœnitentiam, quæ  
pro tanta parte pœnæ peccatis debitæ expianda fuisset. In-  
dulgentia verò Plenaria tollit totum reatum pœnæ, qui  
post culpam remissam fortè remansit. Quid autem sit In-  
dulgentia plena, plenior & plenissima non satis constat.  
Aliqui sic distinguunt, quod Plena referatur ad solam pœ-  
nam peccatis mortalibus debitam: Plenior addat remissio-  
nem pœnæ debitæ venialibus. Plenissima addat absolutio-  
nem non solum à tota pœna, sed etiam à culpa saltem  
veniali.

Verisimilium est, quod Bonifacius, qui primus usus est il-  
lis vocibus, retulerit Plenam ad remissionem totius pœni-  
tentiae iniunctæ à Sacerdote: Pleniorem ad remissionem to-  
tius pœnitentiae, quæ secundum Canones iniungi debuisset:  
Plenissimam ad remissionem totius pœnitentiae, quæ à  
Diuino Iudicio posset exigi.

5 Quinta Conclusio. Indulgentiae conceduntur aliquan-  
do in vita, & aliquando in articulo mortis. Sed quid est  
articulus mortis? Respond. si in literis Pontificis exprima-  
tur verus articulus mortis, tunc non conceditur Indulgen-  
tia, nisi ei qui reuera statim moritur post acceptam Indul-  
gentiam.

gentiam. Si verò non exprimatur, sed generatim dicatur, in mortis articulo, tunc communior sententia est Indulgentiam obtineri etiam in articulo mortis præsumpto, quamvis reuera mors non sequatur.

6 Sexta Conclusio. Indulgentiae temporarie dicuntur, quæ conceduntur definito spatio temporum, quo Indulgentia percipi potest, ut cùm determinantur 24. horæ, vel una aut altera hebdomada, vel integer annus, ut in Iubilæo. Perpetuae dicuntur, quæ Sunt alligatae certis locis, ut Ecclesiis, aut altaribus, aut etiam rebus mobilibus, ut Rosariis, seu granis benedictis, sineulla determinatione temporis.

## QVÆSTIO IV.

*Ad quid utilis sit Indulgentia?*

1 Indulgentiae non solum vriles sunt ad remissionem poenæ temporalis, sed etiam ad alia commoda, præsertim in Iubilæo. *Primo*, quia in hoc datur facultas eligen-  
di confessarium approbatum. *Secondo*, datur authoritas confessariis absoluendi à multis casibus reseruatis, & à multis censuris Ecclesiasticis; itemque commutandi quædam vota in alia pia opera.

Quæres: si quis tempore Iubilæi absolutionem accipiat à casibus reseruatis, & postea negligat perficere quæ ad consequendam Indulgentiam necessaria sunt, an absolutio illa sit rata? Respond. ratam esse, quia absolutio (Sacra-  
mental) debet esse absoluta, & non pendere à futura con-  
ditione.

## QVÆSTIO V.

*Quis possit Indulgentias concedere?*

1 **D**uo requiruntur in eo qui concedit Indulgentias, nempe authoritas legitima, & causa iusta. Hæc au-  
thoritas potissimum residet in summo Pontifice, ac proin-  
de potest ipse Indulgentiam etiam plenariam omnibus fi-  
delibus elargiri. Episcopi autem & Metropolitani possunt  
dare Indulgentiam in sua diœcesi & prouincia; ita tamen

## QVÄSTIO I.

*An Pœnitentia sit Sacramentum?*

<sup>1</sup> **L**Vtherani & Caluinistæ aut negant esse Sacramen-

<sup>neofit</sup> <sup>2</sup> tum, aut putant non distingui a Baptismo. Sit ergo.  
Prima Conclusio: Pœnitentia est Sacramentum nouæ Legis à Christo institutum post Resurrectionem, cùm dixit Apostolis, Ioannis 20. versu 22. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remissoris peccata, remissa sunt eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Ita Concilium Tridentinum, sess. 14. cap. 1.

& canone 1. Ratio est, quia tria sufficiunt ad Sacramentum, nempè Symbolum externum à Christo institutum, promissio gratiæ, & mandatum. Hæc tria sunt in pœnitentia. Symbolum externum est confessio & absolutio, quam Christus instituit cùm dedit Apostolis potestatem remittendi peccata. Non enim poterant Apostoli remittere, aut retinere aliorum peccata, nisi per externam confessionem ea cognoscerent, nec alij poterant scire remitti sibi peccata ab Apostolis, nisi externo signo absolverentur. Promissio gratiæ includitur in promissione remissionis peccatorum. Non enim remittuntur peccata mortalia, nisi per infusionem gratiæ iustificantis. De mandato dicam infra quæst. 1. cap. 8.

<sup>3</sup> Secunda Conclusio: In hoc Sacramento distingui possunt hæc tria: sacramentum tantum, res tantum sacramentum & res simul. Ita D. Thom. q. 8. 4. a. 1. ad 3. Sacmentum tantum est confessio & absolutio, quia significat & non significatur. Res tantum est remissio peccati, quia significatur & non significat. Res & sacramentum simul est contrito, quia ratione confessionis, quæ exprimitur, significat remissionem peccati; & per externam confessionem & absolutionem significatur.

<sup>4</sup> Quæres: Quo sensu dicit S. Thomas *ibid.* Confessionem & Absolutionem esse causam contritionis, cùm potius contritio sit causa confessionis & absolutionis? Respondeo. Contritio potest dupliciter spectari. Primo, quoad substantiam actus, & sic est causa disponens ad confessionem & absolutionem. Secundo, quoad vim & efficaciam sacramentalem, & sic est quodammodo effectus & confessionis

626 CAP. XXVIII. DE SACRAMENTIS  
vt Indulgentiam vnius anni in die Dedicationis Ecclesie,  
vel quadraginta dierum aliis temporibus de iniunctis poenitentiis non excedant, cap. Cum ex eo, & cap. auctro. de Puen.  
& remiss.

2 Porrò Abbates, Parochi, & alij Sacerdotes Episcopis  
inferiores, iure communi non possunt concedere Indulgentias; sed solum ex commissione Pontificis, vel Episcoporum, cap. Excedentib. de excessib. Prelatorum. An autem Concilium generale possit dare plenariam Indulgentiam, dubitatur. Affirmant Panormitanus, Felinus, D. Sotus. Nauarrius & Cordubensis. Alij rectius negant, quia Concilium secluso Papa non habet Papalem autoritatem, sed tantum Episcopalem. Ergo secluso Papa non potest dare Plenariam Indulgentiam, quia hoc propriè spectat ad autoritatem Pontificis.

## QVÆSTIO VI.

*Quis possit Indulgentiam suscipere?*

1 **D**uo requiruntur in suscipiente, *Primo*, vt sit in statu gratiae, quia Papa non potest alicui remittere poenam coram Deo, qui adhuc est hostis & inimicus Dei. *Secundo*, vt perficiat id quod pro Indulgentia fuerit iniunctum.


2 Quæres: Quo tempore beatum esse in statu gratiae? Respond. Certum est debere esse eo tempore, quo Indulgentiam percipit. An autem etiam eo tempore quo iniunctum opus perficit, controuersum est. Paludan. Antonin. & Cordubensis putant non esse necessarium. Ratio, quia Indulgentia non nititur nostra satisfactione, sed Christi. Ergo non est necesse, vt opus iniunctum sit viuum & meritorum. Alij contra sentiunt, quia in literis Pontificiis, vt plurimum exprimitur, Indulgentiam concedi iis, qui vere poenitentes Ecclesiam visitauerint, aut tale, vel tale opus fecerint. Hæc sententia tutior est, & certa in uno casu, scilicet quando opus iniunctum in literis Pontificiis expressè iubetur fieri in statu gratiae. Deinde verior est, etiam si in literis Pontificiis id non exprimatur, quando opus iniunctum tale est, vt non conferat ad finem consequendarum Indul-

Indulgentiarum , nisi fiat in statu gratiæ . Ut si finis sit Indulgentiæ placare Deum Christiano populo , & ideo iniungantur preces , ieiunia , eleemosynæ , visitationes Ecclesiarum , &c. Ratio , quia Deus non placatur per opera mortua . Ergo necesse est , ut fiant in statu gratiæ , alioqui non conferrent ad finem ad quem ordinantur . Quod si opus iniunctum tale esset , quod etiam si non esset factum in statu gratiæ , tamen conferret ad consequendum finem , pro quo datur Indulgentia , tunc probabile est , Indulgentiam posse habere suum effectum , ut verbi gratia : Si finis sit ædificatio templi , aut subuentio pauperum , aut recuperatio Terræ Sanctæ . Huiusmodi enim finis potest obtineri etiam per opera facta à peccatore .

## Q V A E S T I O   V I I .

*An Indulgentiæ profint etiam Defunctis ?*

I **A**ffirmant Catholici , & probant ex dñobus principiis . Primum est . Fideles defunctos ita coniunctos esse cum fidelibus viuentibus per vinculum fidei & charitatis , vt vnam Ecclesiam & vnum corpus efficiant . Secundum , Defunctos posse iuuari per preces & alia pia opera viuentium , sicut membra vnius corporis à se mutuo iuantur . Reliqua petenda sunt ex Authoribus citatis .



## C A P V T   X X I X .

*De Sacramento Pœnitentiae.*

I **N**ON OMEN Pœnitentiae sumitur dupliciter . *Primo* , pro virtute pœnitentiae , quæ consistit in contritione , seu detestatione peccati , vel certè in aliquo simili actu , vt infrà videbimus . *Secundo* , pro Sacramento Pœnitentiae , quod consistit in contritione , seu detestatione peccati , quatenus manifestatur per externam confessionem , absolutionem & satisfactionem . De hac Pœnitentia queritur *primo* , an sit Sacramentum . *Secundo* , an sit Sacramentum distinctum à Baptismo . *Tertio* , quæ sit materia & forma illius . *Quarto* , quæ partes .

fessionis & absolutionis ; quia non potest sacramentaliter remittere peccata , nisi in virtute confessionis & absolutionis.

5 Prima Obiectio : In nouo Testamento non est alia pœnitentia, quam in veteri. Sed in veteri non erat Sacramentum. Concilium Tridentinum sessione 14. canone 1. Ergo nec in nouo. Maior patet Actorum 10. vers. 43. vbi S. Petrus dicit , se illam pœnitentiam docere , quæ à Prophetis testimonium habet. Et Act. 26. vers. 20. vbi S. Paulus recitans summam suæ doctrinæ de Pœnitentia dicit , se nihil docuisse extra ea quæ Prophetæ locuti sunt. Respondeo. Virtus pœnitentiae est eadem in nouo & veteri Testamento, non autem sacramentum pœnitentiae. Nam contritio, quatenus manifestatur per confessionem externam singulorum peccatorum in particulari , & per iudicariam absolutiōnem Sacerdotis , non fuit instituta in veteri Testamento, sed tantum in nouo. Tunc enim nondum erat dictum : *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata.* Porro S. Petrus Actorum 10. solum dicit omnes Prophetas Christo prohibere testimonium , quod in ipsius nomine accepturi sint remissionem peccatorum , qui credunt in illum : quod nihil contra nos facit. S. Paulus autem loquitur de pœnitentia, quæ baptismum adulorum præcedit, quam fatemur non esse Sacramentum. Quod verò addit , se nihil locutum esse extra ea, quæ Prophetæ prædixerunt futura , non refertur ad doctrinam de pœnitentia. Sed de C H R I S T I Aduentu , Passione & Resurrectione , ut aperte constat ex ipso textu.

6 Secunda Obiectio : Pœnitentia noui Testamenti prædicata est à Christo & à Ioanne Baptista. Sed pœnitentia ab illis prædicata non est Sacramentum, ut concedit Tridentinum. Ergo Pœnitentia noui Testamenti non est Sacramentum. Respondeo. Maior vera est de virtute pœnitentiae, non autem de Sacramento pœnitentiae. Nam Christus & Ioannes Baptista prædicarunt pœnitentiam , quæ necessaria est ante baptismum. Sacramentum autem pœnitentiae non poterat tunc prædicari , quia nondum erat institutum. Non enim ante , sed post Mortem & Resurrectionem C H R I S T I institutum est.

7 Tertia Obiectio: Quando Christus dixit Apostolis: *Quorum remiseritis peccata, &c.* dedit illis potestatem remittendi peccata, non fidelium, sed infidelium, vt patet ex Luca, qui capite ultimo de eadem re sic loquitur: *Oportebat in nomine eius prædicari poenitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes.* Ergo inde non potest probari Sacramentum poenitentiae ad remittenda peccata fidelium post baptismum commissa. Respondeo. Christus dedit illis potestatem remittendi peccata fidelium, vt patet ex 2. Cor. 5. v. 18. *Deus dedit nobis Ministerium reconciliationis.* Et infra: *Posuit in nobis verbum reconciliationis;* nempè cum dixit: *Quorum remiseritis peccata, &c.* Loquitur autem Apostolus de ministerio reconciliationis inter fideles, vt patet ex textu, & fatetur Caluin. 4. Institut. 1. §. 22. Nec verum est, quod Lucas fatetur de eadem re, de qua Christus loquitur, quia Christus dat Apostolis potestatem remittendi peccata: Lucas autem refert prædictum fuisse à Prophetis prædicandam esse poenitentiam & remissionem peccatorum in nomine Christi per omnes gentes; quod longe aliud est.

## QVÆSTIO II.

*An hoc Sacramentum sit distinctum à Baptismo?*

I Certeum est, lapsos post baptismum posse Deo reconciliari; quæstio est, per quod Sacramentum reconcilientur? Catholici docent id fieri per Sacramentum poenitentiae distinctum à baptismo, & hoc Sacramentum vocant secundam post naufragium tabulam, quia facta naufragio per peccatum post baptismum, non supereft aliud remedium, nisi poenitentia, quam velati tabulam debemus arripere si volumus euadere. Hæretici autem dicunt lapsos post baptismum reconciliari per ipsum baptismum, non quidem re ipsa, sed apprehensione & memoria repetitum. Et hac ratione vocant baptismum sacramentum poenitentiae. Hinc consequenter afferunt non recte vocari poenitentiam naufragij tabulam, quia non est opus tabula, cùm liceat redire ad ipsam nauem baptismi, quæ integra semper manet, & nos redeentes expectat.

<sup>2</sup> Prima Conclusio : Sacramentum pœnitentia<sup>e</sup> est planè distinctum à sacramento Baptismi. Ita Tridentinum *sess. 14. cap. 2. & can. 2.* Probatur *Primo*, quia habet distinctam materiam & formam. *Secundo*, quia Minister pœnitentia<sup>e</sup> debet esse Sacerdos & iudex, baptismi autem Minister potest esse Laicus. *Tertio*, per baptismum delentur omnia peccata, quoad culpam & pœnam ; post pœnitentiam sèpè restat pœna luenda temporalis, ut infra dicetur. *Quarto*, alius est finis baptismi , aliis pœnitentia<sup>e</sup> : Baptismus ordinatur ad tollenda solum ea peccata, quæ ante baptismum commissa sunt, & ideo repeti non potest : Pœnitentia vero ad tollenda peccata post baptismum commissa.

Huc spectat illud Hebr. 6. v. 4. *Impassibile est eos, qui semel sunt illuminati (baptizati) & prælapsi sunt, rursum renouari ad paenitentiam.* Vbi non negat Apostolus lapsos post baptismum posse Deo per Ecclesiam reconciliari , ut falso colligunt Nouatiani ; quia constat incestuosum Corinthium reconciliatum esse : sed negat posse renouari per baptismum, ut est communis expositio Patrum , & ex ipso textu satis patet.

Respondent Aduersarij, non posse quidem lapsos renouari per baptismum re ipsa repetitum , cùm non liceat rebaptizare ; posse tamen per baptismum cogitatione & memoria repetitum. Sed contrà, quia inde sequeretur, lapsos post baptismum facilius renouari quam ante baptismum lapsos, cùm facilius sit cogitare de baptismo, quam re ipsa eum suscipere. Hoc autem est contra Apostolum , qui volens baptizatos deterrere à peccatis , dicit eos non posse amplius eadem facilitate reconciliari. Hinc etiam Patres vocant Pœnitentiam Baptismum laboris & lacrymarum. Trident. *sess. 14. can. 2. in fine.*

Confirmatur *primo*, quia contra rationem est Deum facilius ignoscere iis qui scienter post fidem & Baptismum peccant , quam qui ignoranter in incredulitate peccarunt, iuxta hoc Lucæ 12. versu 47. *Seruus, qui cognovit voluntatem Domini sui, & non fecit, vapulabit plagiis multis: Qui autem non cognovit, & fecit digna plagi, vapulabit paucis.* Confirmatur *secundo*, quia sententia aduersariorum procedit ex falsis principiis. *Primo*, solam fidem iustificare & peccata delere.

632 CAP. XXIX. DE SACRAMENTIS  
Secundo, Sacra menta non aliter deseruire ad tollenda peccata, quam excitando fidem. Tertio, Sacra menta excitare fidem subiiciendo oculos mentis promissionem Dei de remittendis peccatis per Christum. Ex quibus falsis principiis refutatis alibi colligunt. Primo, non opus esse sacramento poenitentiae distincto à Baptismo. Nam sicut ipse Baptismus subiicit ante oculos promissionem Dei, & hoc modo fidem excitat; sic etiam memoria Baptismi. Ego simili ter colligerem non esse opus Eucharistia vel Baptismo, quia sola prædicatio Euangelij sufficit ad excitandam fidem.

Secundo colligunt aduersarij eandem esse vim Baptismi re ipsa suscepiti & memoria repetiti; ac proinde sicut Baptismus re ipsa susceptus tollit omnia peccata, non solum quoad culpam, sed etiam quoad poenam; sic etiam Baptismus memoria repetitus. Hinc reliquint Satisfactionem, Indulgentias, & Purgatorium, quia haec locum non habent si nulla poena temporalis restat luenda. Poterant eodem modo tollere Baptismum & Eucharistiam, quia fides potest excitari per solam prædicationem Euangelij. Si ergo sola fides tollit omnem culpam & poenam, quid opus est sacramentis?

3. Secunda Conclusio. Hoc sacramentum Poenitentiae re ete à Catholicis vocatur tabula naufragij, vel secunda post naufragium tabula. Ita vocat D. Hieron. in cap. 3. Isaiae, & in epist. ad Demetr. D. Ambrosius in lib. ad virginem lapsam. Tertullianus in lib. de penitentia. Scholasticci in 4. distinct. 14. D. Thomas quest. 84. art. 6. Trident. sess. 14. can. 2. Ratio patet ex dictis, quia, qui peccant post Baptismum, non possunt aliter saluari, quam arripiendo poenitentiam tanquam tabulam, ne submergantur.

4. Queres: Quare vocatur secunda tabula? Respondeo, duas esse celebres opiniones; Una Magistri & multorum Scholasticorum in 4. distinct. 14. qui dicunt, hanc vitam esse quasi mare quoddam inquietum ob varios tentacionum fluctus: in hoc mari fuisse nauem integrum & bene compactam, qua facilimè ad portum æternæ beatitudinis veki potuissimus; nempè statum innocentiae, seu iustitiam originalem in Paradiso. Hac nauis fracta per peccatum

Adiani

Adami duas superesse tabulas, quibus enatemus, nimurum Baptisnum & Pœnitentiam, ita ut Baptismus sit prima tabula, & pœnitentia secunda.

*Altera expositio est D. Thomæ loco citato*, qui dicit Baptisnum esse nauim integrum, & pœnitentiam esse tabulam naufragij; ac proinde pœnitentiam non tam dici secundam tabulam quam secundum remedium. Hanc expositionem probat Domin. Sotus in 4. distinct. 14. quest. 1. artic. 6. & priorem tripliciter refutat. *Primo*, quia status Innocentie fuit pacatissimus, quo nulli erant fluctus, aut scopuli. *Secundo*, quia Baptismus dicitur frangi. Ergo non potest comparari tabulae, sed naui. *Tertio*, quia ad transandum mare huius mandi non sunt alia media nisi Sacra-menta. Sed in statu Innocentie nulla erant Sacra-menta. Ergo in illo statu nihil comparari potest cum aliqua naui.

Prior tamen expositio est probabilior. *Primo*, quia plures habet authores. *Secundo*, quia facilius explicat, quomodo pœnitentia vocetur secunda tabula. Nec rationes Soti conuincunt. Non *prima*, quia status Innocentie non fuit pacatus à tentatione serpentis: & quamvis fuisset pacatissimus, non exclusisset ideo nauim. Nec *secunda*, quia non solum nauis, sed etiam tabula potest frangi. Nec *tertia*, quia præter Sacra-menta fuit aliud medium transeundi hoc mare, nempe iustitia originalis, qua fracta recurrendum fuit ad tabulas, quæ sunt Sacra-menta Baptisni & Pœnitentie.

5 Prima Obiectio est Caluini: Baptismus per peccatum non deletur. Ergo semper potest esse utilis, si reuocetur ad memoriam; ac proinde non est necessarium Sacra-mentum Pœnitentie. Resp. Tria spectari possunt in Baptismo, externa actio baptizandi, gratia iustificans, & character. Actio transit, gratia tollitur per peccatum: characterem Caluinus non admittit. Nihil ergo supereft post peccatum in sententia Caluini.

6 Secunda Obiectio est Luth. licet Baptisnus non maneat, tamen foedus in Baptismo inter Deum & nos initum est perpetuum. Hoc autem foedus consistit in hac promissione Marci 16. v. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.* Ergo vi huius promissionis semper possumus

634 C A P . X X I X . D E S A C R A M E N T I S  
saluari per Baptismum semel suscepsum. Confirmatur, quia  
hoc modo Iudei in veteri Testamento poterant reconciliari Deo, si ad memoriam reuocarent exitum de Ægypto.  
Resp. Illa promissio apud Marcum est quidem perpetua, non  
tamen absoluta, sed conditionata, hoc sensu, qui permanse-  
rit in fide & foedere Baptismali, saluus erit, quod si non  
permanserit, non saluabitur hoc remedio, sed aliud illi  
quærendum est. Porro Iudei solent quidem commemora-  
re exitum de Ægypto, non quod ea commemoratione pur-  
garentur à peccatis, sed, ut commemorato tam insigni be-  
neficio agnoscerent suam ingratitudinem erga Deum; &  
ita se ad pœnitentiam prouocarent. Hoc etiam nos possu-  
mus facere quando cogitamus de beneficio Baptismi.

7 Tertia Obiectio est Kemnitij, quando Scriptura loqui-  
tur de effectu Baptismi, aliquando describit illum per  
tempus præteritum, aliquando per præsens, aliquando per  
futurum. Ergo Baptismus habet vim purgandi omnia pec-  
cata præterita, præsentia, & futura. Ergo non indigemus Sa-  
cramento Pœnitentiae distincto à Baptismo. Antecedens  
patet, quia ad Tit. 3. dicitur in præterito: *Saluos nos fecit*  
*per Iauacrum regenerationis.* Et 1. Pet. 3. dicitur in præsenti:  
*Saluos nos facit Baptismo.* Marci 16. dicitur in futuro: *Qui*  
*baptizatus fuerit, saluus erit.* Et confirmatur ex D. August.  
*lib. 1. de nupt. & concupis. cap. 33.* vbi aperte afferit, per Baptis-  
mum non solùm remitti peccata præterita, sed etiam futu-  
ra. Resp. ex locis Scripturæ tantum colligitur, quod Baptis-  
mus lauerit aliquos à peccatis præteritis, v.g. eos, qui iam  
baptizati sunt: aliquos nunc lauet à peccatis præteritis, v.g.  
eos, qui nunc baptizantur: aliquos etiam loturus sit à pec-  
catis præteritis, v.g. qui aliquando sunt baptizandi. S. Au-  
gustin. solùm dicit per Baptismum remitti posse futura  
peccata mediante effectu Baptismi, qui est duplex, gratia  
& character. Nam mediante gratia dicitur remittere ve-  
nialia; quia, qui gratiam baptismalem habet, potest impe-  
trare remissionem venialium. Mediante verò charactere di-  
citur remittere etiam mortalia; quia qui baptizatus est, ra-  
tione characteris habet ius ad Sacramentum Pœnitentiae,  
quo purgantur peccata mortalia.

## QVÆSTIO III.

*Quæ sit materia & forma huius Sacramenti?*

*fides et car*

1. **P**RIMA Conclusio. Materia, ex qua constat hoc Sacramentum, sunt tres actus poenitentis, contritio, confessio, satisfactio. Materia, circa quam versatur, sunt peccata. De his enim conterimur, haec confitemur, pro his satisfacimus. Sed

2. **Quæres?** An peccata sint materia poenitentiae quoad culpam tantum, an etiam quoad poenam? Respond. Contritio & confessio versantur circa culpam. Satisfactio circa poenam temporalem.

**Quæres secundo**, an omnia peccata sint materia poenitentiae? Resp. *Primo*, peccata mortalia post Baptismum commissa (excepto peccato finalis impenitentiae) sunt propria, & principalis materia huius sacramenti. Propria, quia propriè dicimus poenitere de his quæ propria voluntate commisimus. Principalis, quia ad tollenda mortalia hoc Sacramentum est principaliter institutum. Sub his comprehendimus etiam culpabilem fictionem, quia quis suscipit verum Baptismum. Haec enim fictio est posterior Sacramento Baptismi, cum non impedit veritatem illius, sed effectum gratiae. Respōdeo *secundo*, peccata venialia post Baptismum commissa, sunt propria materia huius Sacramenti, sed non principalis, quia licet propria voluntate commissa sint, non tamen ad ea tollenda hoc Sacramentum est principaliter institutum. Hinc dicitur: Venialia sunt sufficiens materia; sed mortalia sunt materia necessaria. Nam venialia possumus confiteri, sed non tenemur, cum aliis modis possint expiari. Mortalia & possumus, & tenemur confiteri, quia non est aliud remedium ordinarium pro iis institutum quam Sacramentum Poenitentiae. Resp. *Tertio*, peccatum originale nullo modo est materia huius Sacramenti, quia nec propria voluntate contrahitur, nec ad illud tollendum est institutum hoc Sacramentum, sed Baptismus.

Dices: Quid si per Baptismum propter obicem non esset dimissum? Respondeo. Nihilominus non esset materia poenitentiae & absolutionis, quia non subditur iurisdictioni,

636 CAP. XXIX. DE SACRAMENTIS  
dictioni; & iudicio Ecclesiae. Idem est de peccatis mortali-  
bus ante Baptisimum commissis, & per Baptisimum propter  
obicem non expiatis. Sunt enim commissa ab his, qui fo-  
ris sunt.

Dices : Quomodo ergo dimittuntur ? Respondeo , per  
Baptisimum remoto obice.

*ne habe*  
3 Secunda Conclusio. Forma consistit in illis verbis Sa-  
cerdotis : *Ego te absoluo à peccatis tuis.* Ita D. Thomas art. 3.  
& Trident. sess. 14. Canone 5. Porro essentialia verba huic  
formæ sunt hæc duo ; *Absoluo te* ; quia hæc sufficienter  
significant effectum huius Sacramenti , & satis exprimunt  
actum Sacerdotis sententiam ferentis.

4 Quæres : An addendum sit : *In nomine Patris, & Filii, &*  
*Spiritus sancti.* Affirmat Durandus in 4 dist. 22. q. 2. quia Mi-  
nister debet significare se non propria , sed Dei auctorita-  
te absoluere. Hæc enim est ratio, cur addatur in Baptismo.  
Alij rectius negant , quia sine illa additione sufficienter  
significatur effectus Sacramenti ; neque ex scriptura collig-  
i potest necessariam esse. In Baptismo autem necessaria  
quidem est , non tamen ad exprimendam auctoritatem  
principalis agentis, sed quia Christus sic instituit, & voluit.

5 Quære : Secundo : Vtrum, quando Sacerdos pronunciat  
formam absolutionis , sit necessaria manuum impositio ?  
Negat D. Thomas artic. 4. & alij passim , quia neque ex  
scriptura , nec ex illa definitione Ecclesiae colligi potest  
illa necessitas.

Obiectio : Forma hactenus explicata non videtur esse  
vera , saltem in tribus casibus. Primo , quando absoluitur  
aliquis , qui iam per contritionem est iustificatus. Secundo ,  
quando quis absoluitur in confessione generali ab iis pec-  
catis, à quibus antea fuerat verè absolutus. Tertio , quando  
absoluitur sine sufficiente dispositione. Respondeo , hæc  
pertinent ad quest. 14. de Absolutione.

#### Q U E S T I O N E . IV.

Quæ sint partes Sacramenti Pænitentiae ?

3. **D**icam primo , de partibus essentialibus. Secundo , de  
materialibus , seu integrantibus. Sit

2. Prima

<sup>tereo sa</sup>  
2 Prima Conclusio. Essentiales partes huius Sacramenti sunt materia & forma, id est, actus poenitentis, & absolutionis Sacerdotis. Ita D. Thomas, & alij in 4. dist. 14. contra Scotum, & Nominales putantes solam absolutionem constituere essentiam huius Sacramenti; Contritionem autem, & confessionem requiri per modum dispositionis. Sed contrarium definitum est in Tridentino *sess. 14. can. 3.*


3 Dices: id propriè est Sacramentum quod à ministro confertur; sed sola absolutio confertur à ministro. Ergo. Respondeo; Satis est, si minister supposita materia Sacramenti, adhibeat formam. Sic enim totum Sacramentum censetur ab eo conferri, saltem moraliter; licet aliquis physicè suppeditet materiam. Sicut Medicus censetur pharmacum confidere, licet ægrotus concurrat suppeditando aliquid materiale.

4 Dices secundo; Omnis pars Sacramenti concurrit ad effectum Sacramentalem. Sed actus poenitentis non concurrit ad effectum poenitentiae. Ergo non est pars Sacramenti. Minor patet, quia tota vis Sacramentalis residet in clavis, quæ non sunt poenitentis, sed Sacerdotis. Respondeo, actus poenitentis secundum se non concurrit ad effectum, sed quatenus substat potestati clavium, id est, quatenus habet annexam absolutionem Sacerdotis.

5 Secunda Conclusio. Materiales partes huius Sacramenti sunt tres, contritio, confessio, & satisfactio, ut definiuit Trident. *sess. 14. can. 3.* Vnde reiicienda est sententia Durandi in 4. dist. 16. quest. 1. qui putat solam confessionem esse partem materialēm huius Sacramenti, contritionem autem esse dispositionem, & satisfactionem esse fructum poenitentiae. Ratio eius est, quia cum Sacramentum sit signum sensibile, quælibet pars eius debet esse sensibilis. Sed contritio non est sensibilis. Ergo non est pars. Deinde, quia satisfactio realis, seu in re non est necessaria, cum sœpè sufficiat in voto. Eset enim verum Sacramentum, si aliquis confitens peccata sua absolucretur, etiamsi postea ob legitimū impedimentum non satisfaceret. Et confirmatur quia sine satisfactione, non tantum potest esse verum Sacramentum, sed etiam effectus Sacramenti, nempe iustificatio. Respondeo, contritio secundum se non

638 C A P . X X I X . D E S A C R A M E N T I S  
se non est sensibilis, sed ut manifestatur per confessionem,  
sicut anima secundum se non appareat, sed per externam  
corporis motionem, satisfactio, licet sit pars integrans, non  
tamen essentialis; ac proinde potest essentia Sacramenti  
consistere sine satisfactione, non tamen integritas Sacra-  
menti. Sicut homo potest retinere essentiam humanam sine  
brachio, non tamen integritatem. Quamuis autem satisfa-  
ctio non sit necessaria ad primum & præcipuum effectum  
Sacramenti, qui est satisfactio, seu remissio culpæ; habet  
tamen proprium effectum virtute absolutionis, nempe re-  
missionem poenæ temporalis.

6 Dices: Opera satisfactionis vocantur in scriptura fru-  
ctus pœnitentiae. Respondeo: Sunt fructus virtutis pœni-  
tentiae, sed pars Sacramenti pœnitentiae.



### C A P V T    X X X .

*De Pœnitentia ut est virtus.*

**Q**VÆRITVR primo, an sit virtus. Secundo, an sit  
specialis virtus ab aliis distincta. Tertio, quis pro-  
prius actus illius. Quarto, an virtus pœnitentiae sit  
species iustitiae. Quinto, an sit virtus Theologica, an mora-  
lis. Sexto, an sit acquisita, an infusa. Septimo, an sit in volun-  
tate tanquam in subiecto. Ottavo, an conueniat, aut possit  
conuenire omnibus hominibus, etiam Christo, B. Virginii  
Mariæ, primis parentibus in statu innocentiae, & infantib-  
us baptizatis.

---

### Q V Æ S T I O    I .

*An Pœnitentia sit virtus?*

1 PRIMA Conclusio. De interna pœnitentia dupliciter  
loqui possumus. Primo, ex communi usu loquendi,  
& sic consistit in odio, & detestatione peccati, quæ est pri-  
ma pars Sacramentalis pœnitentiae, & vocatur contritio,  
vel attritio. Si enim detestatio peccati fiat propter Deum  
summè dilectum, dicitur contritio: si propter aliud mo-  
tuum, verbi gratia, turpitudinem, infamiam, timorem  
poenæ,

pœnæ, dicitur attritio. De hac detestatione peccati loquitur scriptura, quando nos ad pœnitentiā hortatur, & hanc Theologi dicunt esse necessariam ad iustificationem, tam necessitate mediæ, quam præcepti. Hoc tamen discrimen est, quod contritio iustificet cum solo voto Sacramenti; attritio verò cum reali perceptione Sacramenti.

*Secundo*, loqui possumus de interna pœnitentia, prout Scholastici disputant de ea in hac materia. Multi enim docent illam detestationem peccati, de qua dixi, pertinere ad virtutem charitatis, ac proinde assignant alium actum peculiarem, qui pertinet ad virtutem pœnitentiae, nempe intentionem, seu voluntatem satisfaciendi pro offensa, ut postea videbimus.

*2. Secunda Conclusio.* Interna pœnitentia sive priore, sive ~~tertio~~ <sup>et</sup> posteriore modo sumatur, est virtus propriè dicta. Ratio est, quia actus pœnitentiae, sive sit detestatio peccati, quatenus est offensa Dei, sive sit intentio satisfaciendi Deo ob peccatum offenso, semper est laudabilis & honestus, cùm sit actus ex electione, & secundum rectam rationem. Ergo est actus virtutis. D. Thom. quest. 85. art. 1. aliter probat, quia præcepta diuina non dantur, nisi de actibus virtutum; sed extat diuinum præceptum de pœnitentia, ut patet ex scripturis. Ergo pœnitentia est virtus. Hæc ratio potissimum procedit de pœnitentia, quatenus sumitur pro detestatione peccati.

*3. Prima Obiectio.* Pœnitentia est dolor, seu tristitia de peccato admisso. Sed tristitia non est virtus, cùm potius sit quedam passio, seu perturbatio animi. Ergo D. Thomas dicit duplē esse tristitiam: unam in appetitu sensitivo, alteram in voluntate: priorem non esse virtutem, sed passionem: posteriorem verò si sit cum recta electione, esse virtutem. Scotus verū in 4. distinc. 14. quest. 2. de vtraque negat. Nam in Scotti doctrina nulla tristitia, aut delectatio de obiecto est vitalis actio appetitus, sed tantum passio eius, ad quam passiuè solùm concurrit appetitus. Putat verò hanc passionem effectiuè causari ab obiecto, mediante actu amoris, aut odij.

Hæc doctrina Scotti non placet. *Primo*, quia falsum est, tristitiam & delectationem non esse operationem, sed tantum

tantum passionem. Nam tristitia, & delectatione possumus mereri gloriam & poenam. Delectari enim de gloria Dei est opus virtutis, & meretur gloriam: Tristari vero de bono alterius, est peccatum inuidiae, & meretur poenam. Secundo, fallum est huiusmodi affectum delectationis, & tristitiae procedere physicè ac effectiue, ab obiecto tanquam ab integro principio actiuo. Sapientia enim contingit hominem delectari de aliquo obiecto nondum re ipsa, sed sola apprehensione existente; immo de obiecto, quod reuera bonum non est, sed apprehenditur ut bonum. Ergo tale obiectum ratione suæ bonitatis non potest physicè producere delectationem.

Rectius ergo dixit D. Thomas, tristitiam hanc, quæ est in voluntate esse actum virtutis, si fiat cum electione secundum rectam rationem. Idem dico de tristitia in appetitu (quod tamen negat sanctus Thomas) sensitivo, quando prouenit ex electione partis intellectiæ secundum rectam rationem; quod etiam docuit Sotus & Paludanus in 4. distinct. 14. quæst. 2. Vnde D. Thomas, cum id negat, intelligi potest de tristitia sensitiva, quæ est cum nimirum perturbatione, aut non est ex electione (sicut est motus primus primus.)

Dices: sensus interni & externi, à quibus mouetur appetitus sensitivus non possunt apprehendere peccatum, ut est offensa Dei. Ergo appetitus sensitivus non potest delere de peccato ut offensa Dei. Ergo tristitia in appetitu sensitivo non potest esse actus virtutis poenitentia. Respondeo, tristitia potest dupliciter causari in appetitu sensitivo. Primo, ex apprehensione sensitiva. Secundo, ex imperio voluntatis. Priori modo non potest esse actus virtutis, sed posteriori. Idem est de actibus externis, qui non sunt moraliter boni, quatenus præcisè eliciuntur à suis potentiis; sed quatenus subsunt imperio voluntatis.

4 Secunda Obiectio. Ideo verecundia non est virtus, quia est de turpi facto, ita Aristoteles 4. Ethic. cap. 15. Ergo neque poenitentia est virtus, cum sit etiam de turpi facto, D. Thomas articulo 1. ad 2. negat esse simile, quia verecundia est circa peccatum præsens, poenitentia circa præteritum. Est autem contra rationem virtutis, ut aliquid peccati

peccati vel culpæ sit coniunctum cum illa ; non tamen est contra rationem virtutis , vt præcesserit peccatum. Hæc tamen differentia non semper habet locum , quia etiam verecundia potest esse de peccato præterito , vt si cui peccatum suum præteritum reuocetur & inde erubescat. Durand. in 4. dist. 14. quæst. 1. assignat aliam differentiam, quod pœnitentia sit de præterito , verecundia vero spectet futurum , cùm sit timor de re turpi : Timor autem versatur circa futurum , & futurum ideo timetur , quia habet aliquam dispositionem in causa ut sit futurum. Vnde verecundia , cùm sit huiusmodi timor habet secundum quandam inclinationem ad peccatum , quod videtur esse contra rationem virtutis. Idem insinuat D. Thomas in 2.2. quæst. 144. artic. 1. vbi dicit ; verecundiam esse timorem alicuius turpis , quod est exprobrabile ; & citat Damascenum , qui ait esse timorem de turpi actu. Vnde colligit D. Thomas non posse esse virtutem , quia virtute præditus non timet aliquid turpe & exprobrabile. Hæc solutio non videtur etiam satisfacere. Primo , quia verecundia secundum Aristotelem , non est timor peccati futuri , sed potius infamiae quæ ex peccato sequitur. Qui enim erubescit , non timet peccatum , sed ex commissio peccato timet infamiam. Hoc autem non est contra rationem virtutis , si fiat ex honesto aliquo motiuo. Secundo , quia verecundia potius retrahit à futuro peccato , quam secum habeat inclinationem ad illud. Tertio , quia etiam timor peccati potest esse actus virtutis : Imò potest esse timor filialis. Possumus enim timere offendam , vel ut est contra Deum , vel ut est contra rationem , vel ob aliam causam honestam ; quod tamen non arguit propositū peccandi , sed propriā infirmitatem quæ nō repugnat virtuti ; licet ad peccatum inclinet.

His ergo omissis , Respondeo<sup>o</sup> primo , Aristotelem docere verecundiam esse tantum affectum quendam laudabilem in iunioribus , qui adhuc versantur in animi turbatione , & nondum ad statum virtutis peruerterunt : Senes autem , si habent perfectam virtutem , carere verecundia , quia nil turpe agunt unde verecudentur. Fundamentum Aristotelis est , quia putat omnes virtutes esse connatas in eo , qui habet unam perfectam virtutem , & eum

peccare non posse, qui semel ad statum virtutis peruenierit; & ideo prauis hominis esse erubescere, quia erubescencia supponit culpam.

Hæc sententia est contra nostram fidem, quia etsi concedamus omnes virtutes esse connexas, (quod tamen reprehendit D. Hieronymus in dial. 1. contra Pelagium) numquam potest homo peruenire ad illum statum, seculo priuilegio ut peccare non possit, & rursum pœnitere atque erubescere. Idcirco Respondeo secundo, verecundiam posse esse actum virtutis, si fiat ex motiuo virtutis, vt cum aliquis erubescit propter offendam Dei, aut alia de causa honesta. Si tamen fiat ob timorem infamiae temporalis, non est actus virtutis. Nam talis timor licet aliquando retrahat a peccato, tamen aliquando etiam impellit ad peccatum; & ideo optimè dicitur timor mundanus. Eadem ergo de causa, qua dolor de præteritis peccatis est secundum rationem, etiam verecundia potest esse.

5 Tertia Obiectio. Pœnitere non est aliud, quam velle non peccasse. Hoc autem velle, stultum est, cum sit impossibile. Ergo non est actus virtutis. Hæc difficultas propriè pertinet ad 1. 2. quæst. 13. art. 5. ubi disputatur, an electio sit etiam impossibilium: nunc breuiter Respondeo ex D. Th. art. 1. ad 3. stultum esse, si doleas de eo, quod factum est, hac intentione, vt coneris reddere infectum, quia hoc est impossibile. Si autem doleas ea solum intentione, vt remoueras illud, quod ex tuo facto fecutum est, nempe offendam Dei & reatum pœnæ, non esse stultum, sed virtuosum. Ratio, quia hoc nihil aliud est, quam velle Deum placare, & illi reconciliari, neque deinceps eum offendere, quod laudabile est. Hæc solutio non patitur difficultatem. Bellarm. lib. 2. de penit. cap. 5. aliter respondet; stultum esse, si quis absoluta voluntate vellet se non peccasse; vt si quis dicaret: Ego absolute nolo me peccasse: non tamen esse stultum, si quis sub conditione diceret: Ego, si fieri posset, nollem me peccasse. Ratio est, quia, licet electio non sit impossibilium; tamen voluntas (simplex) potest esse impossibilium saltem conditionata. Hæc solutio patitur hanc difficultatem: an aliquis actus voluntatis elicitus, qui sit præfens, possit esse conditionatus. Multi negant circa citatam quæst.

quæst. D. Thom. in 1.2. Vide Gabrielem Vasquez. *ibid. disp.*  
42. cap. 3.

## Q V A E S T I O I I.

*An pœnitentia sit specialis virtus?*

1 R Atio dubij est, quia non facile inuenitur aliquis actus, qui requirat specialem virtutem distinctam ab aliis. Vnde.

Prima Opinio est, pœnitentiam non esse specialem virtutem, sed generalem, non eo quidem sensu, quasi sit aliquid prædicatum ad omnem virtutem; sed quia pœnitere generatim possit conuenire omnibus virtutibus. Sicut enim unaquæque virtus prosequitur bonum proprium; ita etiam odio habet peccatum oppositum. Vnde secundum hanc sententiam sunt diuersi actus pœnitentiae, sicut sunt diuersæ virtutes ad quas illi actus pertinent. Nam temperantia detestatur peccatum intemperantiae; iustitia peccatum furti, & sic de aliis secundum diuersos respectus. Ita Altiſodorensis l. 4. summae, tract. 6. quæſt. 6. Et Ioannes Major in 4. d. 14. q. 2. dub. 1.

2 Secunda Opinio est, duos esse actus pœnitentiae, punitionis scilicet, quo quis vult in se peccata punire; & detestationis peccati; priorem esse actum generalis virtutis, non quod eliciatur à quacunque virtute, sed quia à quacunque potest imperari. Alensis 4. p. quæſt. 12. n. 1. art. 1. quia putat ad actum detestationis peccati requiri actum amoris circa oppositam virtutem, à quo imperetur; adeo, ut si voluntas detestetur peccatum intemperantiae, necessarius sit amor temperantiae, à quo imperetur odium intemperantiae. Et ita docet odium cuiuscunque peccati elici à sola virtute pœnitentiae, supponere tamen actum aliarum virtutum, à quo imperetur.

3 Tertia Opinio est, pœnitentiam esse virtutem speciali-  
lem. Ita S. Thom. q. 85. art. 2. Scot. Durand. Richard. Palud.  
Bonauent. Gabriel, Albert. Dom. Sot. in 4. d. 14. Ratio est  
quia impenitentia est speciale peccatum. Ergo pœnitere  
est actus specialis virtutis.

4 Prima Conclusio: Pœnitentia non est virtus generalis

eo sensu quo vult prima opinio, quasi pœnitere sit actus omnis virtutis, & probatur *primo*, quia pœnitere est actus voluntatis. Ergo non potest esse actus fidei & prudentiae, quæ sunt in intellectu. Ergo non potest esse actus omnis virtutis. Non enim per fidem intellectualē dolamus de peccato infidelitatis, nec per prudentiam de peccato imprudentiæ. *Secundo*, quia, licet unaquaque virtus appetitiua possit detestari peccatum sibi oppositum sub ea ratione qua illi est oppositum; non tamen id facit sub ea ratione, quatenus est offensio Dei. Hoc enim est solius charitatis, quæ non detestatur peculiare genus peccati, sed omne peccatum; sub peculiari tamen ratione, quatenus illud est offensio Dei.

5 Secunda Conclusio : Pœnitentia in suo actu eliciendo non requirit imperium aliarum virtutum, vt vult opinio secunda, quasi nemo possit detestari peccatum intemperantiae, nisi presupposito amore temperantiae, à quo impetratur ea detestatio. Probatur, quia eiusdem virtutis est prosequi bonum suum, & detestari malum oppositum, cùm sit eadem ratio virtutis in utroque. Imò in ipso odio mali, vt dicetur *in seq. quæst.* essentialiter includitur amor boni oppositi. Sicut ergo quæcunque virtus appetitiua detestatur peccatum sibi oppositum, sic etiam charitas detestatur omne genus peccati, quatenus est offensio Dei. Vnde ad huiusmodi actum detestationis non videtur necessaria alia virtus.

6 Tertia Conclusio : Pœnitentia est virtus specialis, vt ex dictis patet: an autem sic charitas, an Religio, an iustitia, an ab hisce omnibus tribus distincta, non potest definiri, nisi proprius actus pœnitentiae prius constet. Si enim proprius eius actus pertinet ad charitatem, aut religionem, aut iustitiam, non potest esse distincta virtus ab illis. Erit autem distincta, si actus ipsius ad illas reuocari non potest.

7 Obiicies : Nihil expellitur nisi à suo contrario. Sed pœnitentia expellit omne peccatum. Ergo contrariatur omni peccato. Ergo non est virtus specialis. D. Thomas art. 2. ad 3. Respondet pœnitentiam expellere omne peccatum efficienter, non formaliter; & ideo non opponi omni

omni peccato propria oppositione. Hanc solutionem explicat Sotus in 4. d. 14. quæst. 2. art. 2. afferens duplicitia esse contraria: quædam quæ expellunt suas formas contrarias tantum formaliter, sicut albedo expellit nigredinem: quædam efficienter, sicut calor expellit frigus; & huiusmodi esse pœnitentiam, quæ expellit omnia peccata efficienter. Loquitur autem Sotus de calore introducto ab agente in pariens, quem putat effectiuè expellere frigus, cùm sit qualitas actiua.

Hæc Sotii doctrina non placet. *Primo*, quia non satisfacit obiectioni nostræ. Licet enim daremus calorem introductum in passum expellere frigus effectiuè; non tamen ideo amittit rationem contrarij formalis, quia tam formaliter calor opponitur frigori, quam albedo nigredini. Si ergo ita se haberet pœnitentia respectu cuiusque peccati, sequeretur pœnitentiam & effectiuè & formaliter contrariam esse omni peccato; quod tamen negat S. Thomas, quia tunc non esset virtus specialis, sed generalis. *Secundo*, falsum est calorem introductum in passum expelle frigus effectiuè, quia non est principium alicuius actionis qua frigus expellatur, sed est terminus actionis agentis, qua expellitur frigus. Vnde potius calor per contrariatem formalem expellit frigus, sicut forma incompossibilis. Quod si aliquando Philosophi dicunt unam formam expellere aliam effectiuè; hoc generatim intellige tam de formis actiuis, quam non actiuis; non alia ratione, nisi quia est terminus actionis agentis, propter cuius incompossibilitatem, seu formalem repugnantiam expellitur forma contraria.

Alij Thomistæ sic explicant, quasi Diuus Thom. velit dicere actum pœnitentie, seu contritionem in genere causæ efficientis priorem esse gratia habituali, & effectiuè operari ad inductionem gratiæ habitualis, & consequenter ad expulsionem peccati, quæ sequitur ex inductione gratiæ habitualis. Sed hæc explicatio est contra ipsum Diuum Thomam in 1. 2. quæstione 113. articulo 8. vbi contrarium ordinem assignat ex parte efficientis. Docet enim priorem esse inductionem gratiæ habitualis ex parte efficientis, quam sit motus contritionis. Ponit enim

648 CAP. XXX. DE SACRAMENTIS  
hunc ordinem in iustificatione, ut *Primo* loco sit infusio  
gratiæ habitualis. *Secundo*, motus liberi arbitrij in Deum,  
seu dilectio Dei super omnia. *Tertio*, motus liberi arbitrij  
in peccatum, seu detestatio peccati. *Quarto* expulsio,  
seu remissio peccati. Ex hoc ordine patet actum poenitentiaæ,  
seu detestationis non cooperari effectiuè ad induc-  
tionem habitualis gratiæ, sed à gratia habituali effectiuè  
potius causari.

Rectius ergo alij dicunt D. Thom. non loqui de actu,  
sed de habitu pœnitentiaæ; quem dicit effectiuè expellere  
omne peccatum, quia in eius sententia habitus effectiuè  
operatur detestationem peccati. Detestatio autem peccati  
(in eius sententia) immediatè expellit peccatum, ut patet  
ex assignato ordine iustificationis. Et *inf. q. 86. art. 2.* An au-  
tem hoc verum sit, huius loci non est assignare. Sed tamen  
adhuc manet difficultas; quia hinc sequitur actum con-  
tritionis formaliter opponi omni peccato; ac proinde esse  
actum generalis virtutis, cùm habeat pro opposita forma  
omne peccatum.

Hæc difficultas non tantum probat detestationem pec-  
cati sub diuersis rationibus, verbi gratia, intemperantiaæ,  
&c. esse actum generalis virtutis, (quia hoc suprà conce-  
ssi,) sed etiam procedit de actu detestationis peccati, ut est  
offensa Dei, quem dixi esse actum charitatis. Respondeo. Ut  
aliqua virtus sit generalis, quæ propriè opponatur omni  
peccato, non solum necessarium est, ut expellat omne pec-  
catum, (hoc enim facit charitas, quæ tamen est virtus spe-  
cialis) sed requiritur propria contrarietas, qualis solet  
esse inter peccatum & oppositam virtutem. Hæc autem  
contrarietas attendi debet penes formalem contrarieta-  
tem obiectorum, quæ tunc est, quando ratio motiva est  
omnino opposita. Patet in exemplo, quia, licet obedientia  
quæ versatur circa obseruationem præceptorum, seu pro-  
priam materiam, aliquo modo contraria sit omni pecca-  
to, quia omne peccatum consistit in transgressione præ-  
cepti; non tamen est propriè contraria omni peccato, ac  
proinde, non est generalis virtus, quia propria eius ra-  
tio motiva est velle obedire superiori in obseruatione  
præcepti; & ita propriè solum opponitur speciali pec-  
cato.

cato inobedientiae, quod habet contrariam rationem motiuam, nempe non velle obedire Superiori in obseruatione praecepti.

Eodem modo, licet charitas per detestationem peccati aliquo modo opponatur omni peccato; propriè tamen solum opponitur odio Dei, propter contrariationem motiuam. Vnde patet, actum detestationis peccati non opponi omni peccato ex parte obiecti formalis, ac proinde non opponi propria oppositione virutis ac vitij.

### QVÆSTIO III.

*Quis sit proprius actus virtutis Pœnitentia?*

1 **E**X proprio actu definiri debet, an virtus pœnitentiae sit ab aliis distincta, nec ne.

Prima Opinio est, proprium actum pœnitentiae esse detestationem peccati ex intentione satisfaciendi Deo pro offensa. Bonaventura, Albertus, Richardus, Durandus, Panduan. *in 4. dist. 14. afferentes*, detestationem peccati dupliciter spectari. *Primo*, sub hoc tantum respectu, ut est offensa Dei. *Secundo*, sub hac intentione, ut compensemus iniuriam Deo factam. Priori modo dicunt esse actum charitatis; posteriore esse pœnitentiae.

2 Secunda Opinio est Caietani *quaest. 85. art. 6.* pœnitentiam in eo potissimum versari, ut fiat compensatio Deo pro offensa. Hanc ait dupliciter fieri posse. *Primo*, quoad culpam. *Secundo*, quoad pœnam. In compensatione peccati, quoad culpam assignat tres actus. *Primo*, displicantiam peccati. *Secundo*, confessionem peccati. *Tertio*, interiorem submissionem pœnitentis ad Deum offensum. Primum actum dicit pertinere ad charitatem, reliquos duos ad Religionem. In compensatione peccati, quoad pœnam assignat opera satisfactoria.

3 Tertia Opinio est Scotti *in 4. d. 14. q. 1. & 2.* vbi ponit quatuor actus pœnitentis. *Primo*, voluntatem puniendi peccata. *Secundo*, odium seu displicantiam peccati. *Tertio*, libenter acceptare punitionem. *Quarto*, patienter eam ferre. *Primum* dicit esse iustitiae punitiæ. *Secundum* & *tertium*

zium cuiuscunque virtutis appetituæ. Quartum esse actum patientiæ.

4 Prima Conclusio : Primus ac potissimum actus virtutis pœnitentiæ est intentio satisfaciendi Deo pro culpa. Probatur , quia hic actus est laudabilis & secundum rationem. Ergo est actus virtutis. At non est actus Charitatis, aut Religionis , aut Iustitiae , de quibus poterat esse dubium. Ergo debet esse pœnitentiæ actus. De Religione & Iustitia patebit ex q. seq. De charitate probatur, quia haec non habet alium actum , quam velle Deo bonum , aut odiisse malum Dei , vt ei malum est , vt magis post constabit. Quod autem haec intentio satisfaciendi Deo sit primus & potissimum actus pœnitentiæ , probatur , quia alij actus assignati , aut non sunt actus pœnitentiæ , aut solùm sunt actus secundarij.

Iuxta hanc conclusionem intelligatur S. Thom. a. 2. cùm ait intentionem operandi ad destructionem peccati præteriti esse specialem actum pœnitentiæ. Et Caietanus, cùm ait pœnitentiam in eo potissimum versari, vt fiat compensatio Deo pro offensa. Authores primæ opinionis autem partim conueniunt nobiscum, partim discrepant. Conueniunt, quia ponunt intentionem satisfaciendi Deo pro offensa. Discrepant , quia adiungunt detestationem peccati, de qua videbimus.

5 Secunda Conclusio. Detestatio peccati propriè non est actus pœnitentiæ , probatur , quia tripliciter spectari potest. *Primo*, vt est contra proprium bonum cuiusque virtutis. Et sic potest esse actus variarum virtutum , vt supra dictum. *Secundo*, vt est offensa Dei ; & sic est actus charitatis, vt omnes concedunt. *Tertio* , vt fit ex intentione satisfaciendi Deo pro offensa. Et sic etiam manet actus charitatis , vt probo contra primam opinionem. Nam detestari peccatum ex intentione satisfaciendi Deo , necessariò includit duplē actum voluntatis. *Prior* est intentio satisfaciendi Deo. *Posterior* est detestatio peccati vt est offensa Dei. Atqui detestatio peccati præcisè & ex se est actus charitatis. Ergo propter adiunctum actum non desinit esse actus charitatis.

6 Dices primo : Non videntur esse duo actus distincti :  
sed

sed unus, quo detestamur peccatum ex intentione satisfaciendi Deo. Respondeo, hoc dici non potest. *Primo*, quia, qui habet intentionem satisfaciendi Deo, vult illi satisfacere per aliquod opus satisfactorium, nimis per detestationem peccati. Ergo habet reflexam quandam voluntatem qua eligit tanquam medium detestationem peccati; & ipsa detestatio est obiectum illius reflexae voluntatis. Ergo necessariò sunt duo actus distincti. *Secundo*, quia detestatio peccati, ut est offensa Dei, versatur circa peccatum, ut est offensa Dei. Intentio autem satisfaciendi versatur circa ipsam satisfactionem, quæ fit actu detestationis. Ergo sicut sunt diuersa obiecta, sic etiam actus diuersi.

*7 Dices secundo*: Etiam si intentio satisfaciendi Deo, & detestatio peccati sint duo actus distincti: tamen ita se habent, sicut intentio finis & electio medij. Sed intentio finis & electio medij essentialiter pertinent ad eandem virtutem, quia medium non eligitur nisi ob bonitatem finis. Ac proinde electio medij sumit essentialē speciem ab ipso fine, à quo etiam intentio sumit speciem. Et sic electio & intentio essentialiter sunt eiusdem speciei. Ergo etiam detestatio essentialiter est actus pœnitentiae, sicut intentio satisfaciendi Deo pro offensa. Confirmatur obiectio, quia furtum, quod fit ex intentione occidendi, accipit speciem homicidij. Ergo similiter detestatio peccati, quæ fit ex intentione satisfaciendi Deo, accipit speciem virtutis pœnitentiae. Resp. isti duo actus non ita se habent sicut electio medij & intentio finis. Sunt enim tres actus hic distinguendi. *Primus*, est intentio satisfaciendi Deo, quæ pro obiecto habet satisfactionem in communī. *Secundus* est electio, qua propter illum finem eligimus actum detestationis peccati, quo actu satisfit Deo. *Tertius* est ipsa detestatio peccati, quæ non est electio, sed obiectum electionis. Itaque electio, qua eligitur detestatio peccati, est actus reflexus, quia non habet pro obiecto actum exteriorem, sed alium interiore; nempe detestationem peccati.

*8 Nota*: Quando electio versatur circa actum exteriorem, tunc actus exterior accipit speciem ab intentione

finis, ex qua intentione fit electio. Quando autem electio versatur circa actum voluntatis, tunc actus voluntatis manet in sua specie essentiali quam antea habebat. Ratio est, quia actus externus non habet moralem bonitatem ex se. Ergo debet illam sumere ab interno actu, sub cuius motu imperatur. Actus autem voluntatis cum in se sit liber, & fiat ex electione secundum rationem, habet in se bonitatem moralem, quam non amittit, etiam si fiat obiectum alterius actus reflexi. Et, cum non pendeat ab actu reflexo, non sumit inde ullam bonitatem. Posito enim actu reflexo, adhuc liberè elicetur actus voluntatis, qui à reflexo eligitur. Hinc sit, ut furtum externum, quando eligitur ex intentione homicidij, sit in eadem specie essentiali cum intentione homicidij. Detestatio autem peccati, quando eligitur ex intentione satisfaciendi Deo, maneat essentialiter in specie charitatis, & non transeat in aliam speciem.

9 Dices tertio: Potest assignari speciale motuum in detestatione peccati, ut sit aut fiat actus Poenitentiae. Nam dupliciter spectari potest. Primo, ut sit detestatio peccati, quatenus hoc est, contra Bonitatem Dei. Et sic est actus charitatis, quia speciale motuum charitatis est bonitas Dei. Secundo, ut sit detestatio peccati, quatenus hoc est contra iustitiam Dei. Et sic est actus poenitentiae, quia poenitentia est quædam pars iustitiae erga Deum.

— Resp. hoc valde est probabile, sed non potest commode explicari. Nam dupliciter intelligi potest peccatum esse contra iustitiam Dei. Primo, ut sit contra attributum diuinæ iustitiae. Secundo, ut sit contra Iustitiam, qua nos tenemur erga Deum. In priore sensu si semel distinguimus detestationem peccati, quatenus est contra bonitatem Dei, & quatenus est contra iustitiam Dei, poterimus eadem ratione distinguere, quatenus est contra alia attributa Dei; quod tamen nemo hactenus fecit. Ergo nec illud alterum faciendum est. Cur autem dicamus peccatum esse contra bonitatem Dei potius, quam contra alia attributa, est peculiaris ratio. Nam peccatum mortale destruit amicitiam cum Deo, quæ, cum sit amor Dei (ex parte nostra) respicit bonitatem eius, seu proprium motuum.

tium. In aliis attributis non potest commodè assignari ratio, qua peccatum illi opponatur. Loquor autem de peccato mortali generatim, non de hoc aut illo in particula- ri, ut verbi gratia de desperatione, aut præsumptione, quæ opponitur misericordiæ Dei.

In posteriore sensu iustitia nostra erga Deum est obe- dientia, seu obligatio seruandi præcepta. Tunc enim dici- mur seruare iustitiam erga Deum, cùm obseruamus præ- cepta Dei. Est autem obedientia *primo* generalis, quæ con- silit in generali obligatione omnium præceptorum Dei, & reperitur in qualibet virtute, quia quilibet virtus obligat ad sui obseruationem, & consequenter ad euitandum pec- catum oppositum. *Secundo* specialis, quæ in eo consilit, ut ex speciali motu obseruemus præcepra Dei, scilicet ex formali intentione parendi Deo. Itaque detestatio peccati, quatenus est contra iustitiam hanc, id est, contra hanc specialem obedientiam, est actus huius obedientiæ. Sicut quatenus est contra temperantiam, est actus temperantiae. Et sic de aliis virtutibus. Patet ergo non posse comodè adhuc explicari quomodo peccatum mortale, si generatim sumatur, sit contra iustitiam Dei.

10 Dices *quarto*, Deus habet ius quoddam, ut illi obtem- peremus, & non offendamus per peccatum. Ergo per pec- catum violamus hoc ius & facimus illi iniuriam. Ergo de- testatio peccati, quatenus est iniuriosum Deo, potest distingui à detestatione peccati, quatenus est contra bo- nitatem Dei. Ergo sicut hæc detestatio pertinet ad chari- tatem, sic illa ad poenitentiam. Resp. illud ius fundatur in bonitate Dei. Nam ex eo, quod Deus est summum & in- finitum bonum, ius habet ut summè, id est, suprà omnes creatureas diligatur.

Nota, hoc ius posse dupliciter concipi. *Primo* genera- tim, respectu peccati mortalis ut tale est. *Secondo* specia- tim, respectu huius & illius peccati in particulari. *Primo* modo fundatur in bonitate Dei, ut dixi. *Secondo* potest fundari in quibusdam aliis attributis. Nam in misericor- dia Dei fundatur peculiare ius, ut non offendamus eum per peccatum desperationis. Hinc patet peccatum gene- ratim sumptum non esse peculiari modo contra iustitiam

Dei

Dei distinctam à bonitate; sed tantum esse contra bonitatem Dei, & contra ius quod in illa bonitate fundatur. Hic autem disputamus de detestatione peccati generatim sumpti. Secundo, bonitas Dei, ut est attributum Diuuum, de quo hic, complectitur perfectiones omnes in se Diuinias absolutas, ut suppono ex 1. p. & materia de charitate. Nam ex hoc cap. solemus probare charitatem esse perfectiorem fidei, quia fides versatur immediatè circa veritatem Dei, quæ solùm includit sapientiam & veritatem, non autem reliquias perfectiones. At charitas versatur circa bonitatem Dei, quæ complectitur omnes perfectiones diuinias quibus Deus in se bonus & perfectus est.

ii Dices quinto, quælibet virtus appetitiua potest detestari peccatum sibi contrarium. Sed poenitentia est virtus appetitiua. Ergo potest detestari peccatum sibi contrarium. Ergo detestatio peccati est propriè actus poenitentiae. Resp. detestatio peccati impoenitentiae propriè pertinet ad poenitentiam, non autem detestatio peccati cuiuscunq[ue], de quo hic.

Dices sexto, adhuc videtur esse alia detestatio peccati, quæ propriè pertineat ad poenitentiam, ut cum quis detestatur peccatum infidelitatis, quatenus præcisè est contra honestatem & virtutem fidei, aut peccatum imprudentiae; quatenus præcisè est contra honestatem prudentiae. Hec enim detestatio non est actus fidei aut prudentiae, ut ex dictis patet; nec est actus charitatis; quia charitas detestatur peccatum sub ea tantum ratione, quatenus est contra bonitatem Dei. Ergo vel debet esse actus poenitentiae, vel certè nullius virtutis erit actus. Resp. est actus illius virtutis, quia amamus honestatem fidei ac prudentiae.

Nota, duplex est habitus fidei, primus in intellectu, quo assentimur rebus à Deo reuelatis. Secundus, in voluntate, quo volumus assentiri. Per hunc habitum sicut amamus honestatem, quæ est in actu credendi Deo reuelanti, sic detestamur turpitudinem, quæ est in actu contrario.

ii Tertia Conclusio. Actus detestationis peccati, quem tribuimus charitati, est verè dilectio Dei, & non tantum supponit actum dilectionis Dei distinctum ab ipsa detestatione; licet aliquando possit illum supponere.

Nota *Primo*, ex D. Th. p. 2. q. 26. a. 4. Et Caiet. *ibid.* in eodem actu dilectionis esse duplē respectum, imò duplē rationem amoris, scilicet amoris concupiscentiæ, & amoris amicitiæ, seu benevolentiæ. Amare enim ut D. Thom. ait, est velle alicui bonum. In hoc autem actu est unus respectus amoris ad bonum, quod volumus; & alter ad personam cui bonum volumus. Idem ergo actus, respectu boni, quod volumus, dicitur amor concupiscentiæ; & respectu personæ, cui volumus, dicitur amor amicitiæ, seu benevolentiæ. Voluntas autem vtriusque respectu habet se affirmatiæ per modum prosecutionis. Eodem modo in gaudio & delectatione distinguere possumus.


Nota *secondo*, ex Caiet. q. 29. a. 1. sicut duplex amor est, amicitiæ & concupiscentiæ, ita duplex est odium, inimicitiæ & abominationis. Odium inimicitiæ est, quo volumus alicui malum, & hic actus respectu mali, quod volumus, habet se affirmatiæ; at respectu personæ, cui volumus, negatiæ, per modum displicantia. Odium abominationis est, quo volumus malum alicui personæ, habet se affirmatiæ per modum complacentiæ; respectu mali negatiæ, per modum displicantia. Odium ergo abominationis est amor personæ & odium rei: Sic ergo detestatio peccati, quatenus est offensa Dei, est odium abominationis, quo displiceret peccatum; & placet Deus, quem offendimus. Vnde est odium peccati & amor Dei. Amor autem Dei propter ipsum est actus charitatis. Ergo & odium peccati, quatenus hoc est contra Deum, est actus charitatis.

## Q V A E S T I O I V.

*Quoniam virtus sit Pœnitentia?*

**D**Vrandus dicit esse veram iustitiam commutatiuam, quia ad illam pertinet dare vnicuique quod suum est. Ergo ad illam pertinet reddere Deo compensationem pro offensa; quia hoc est debitum ipsi Deo. Gabriel vult esse iustitiam distributiua, quia ad illa pertinet præmiare merita & punire delicta. Scotus ait esse iustitiam vindicatiua, seu punitiuam, cuius propriū est sumere vindictam

de



de peccato. Caiet. putat esse religionem, cuius officium est reddere debitum cultum Deo in quocunque genere. Ergo etiam reddere debitam compensationem pro offensa. Denique D. Th. docet esse virtutem specialem & ab aliis distinctam, quæ tamen ad iustitiam reuocari possit, non seu pars eius subiectua, sed seu potestatina.

2. Prima Conclusio. Pœnitentia non est vera iustitia commutativa, ut volebat Durandus; neque intentio satisfaciendi Deo pro offensa, est actus iustitiae commutativa. Probatur *primo*, quia iustitia commutativa habet locum in triplici rerum genere. *Primo*, in commutationibus. *secundo*, in deferendis honoribus. *Tertio*, in compensandis offensis. Et in his omnibus constituit, seu seruat iustitia æqualitatem. Vnde proprius eius actus est reddere unicuique suum debitum secundum æqualitatem. Vbi ergo non potest esse æqualitas, non potest esse vera commutativa iustitia. At homo non potest ad æqualitatem satisfacere Deo pro offensa. Ergo illa satisfactio non est iustitiae commutativa. Ex eodem principio docet D. Thomas in 2. quest. 80. art. 1. religionem erga Deum pietatem erga parentes, & obseruantiam erga superiores non pertinere propriè ad iustitiam commutativam, quia in tribuendo debito deficiunt ab æqualitate. Nam neque homines Deo præstant æqualem honorem, qui illi debetur, nec filij parentibus, neque subditi superioribus.

Probatur *secundo*, quia in commutativa iustitia debet esse propriè datum & acceptum. Hinc inter filium & patrem, inter dominum & seruum non est propriè iustitia commutativa, teste Aristotele s. *Ethic.* 6. quia omnia bona filij, quamdiu emancipatus non est, sunt bona patris, excepto peculio castrensi & aduentitio. Similiter quicquid seruus habet, ipsius Domini est. At eadem est ratio inter hominem & Deum; quia quicquid ( boni ) habet homo, ipsius Dei est. Sicut ergo filius nihil habet, quod propriè possit dare patri, nec seruus quod domino; ita nec homo, quod possit dare Deo. Vnde ex hac parte deficit materia iustitiae.

3. Secunda Conclusio. Pœnitentia non est vera iustitia distributiva, ut volebat Gabriel, neque compensatio offensæ

offensa diuinæ est actus iustitiæ distributiæ. Probatur, quia proprium officium huius iustitiæ est distribuere bona communia in plures personas, seruata proportio-  
ne geometrica, id est, vt eadem sit proportio, inter bona quæ distribuuntur, quæ est inter conditiones persona-  
rum, quibus fit distributio. Hoc enim interest inter iusti-  
tiam commutatiuam & distributiua, quod illa spectet ad  
conditionem rei, vt ea reddat æquales has conditiones  
personæ, vt sitne doctus an indoctus, nobilis an ignobi-  
lis, diues an pauper, idoneus ad officium aliquod an ine-  
ptus, vt secundum proportionem harum conditionum fiat  
distributio. Quam enim proportionem habent personæ  
inter se secundum conditiones, eandem inter se debent  
habere bona, quæ illis distribuuntur. At virtus pœnitentiæ  
nec distribuit bona communia in plures personas, nec  
seruat explicatam antea proportionem; sed solum atten-  
dit æqualitatem compensationis ad offensam, quantum  
fieri potest. Potius ergo seruat modum iustitiæ com-  
mutatiæ quam distributiæ, ac proinde si ad alteru-  
tram esset reuocanda potius ad illam, quam ad hanc  
deberet reuocari. Vide Diuus Thom. 22. quæst. 6. artic. 1.

¶ 2.

4. Tertia Conclusio. Pœnitentia non est vera iustitia puni-  
tiua, seu vindicatiua pertinens ad iustitiam commutati-  
uam, quod volebat Scotus; nec satisfactio nostra pro cul-  
pa est actus iustitiæ vindicatiæ. Probo primo, ex dictis,  
quia in vera iustitia commutatiua debet seruari æqualitas,  
quæ tamen non seruatur in pœnitentia, quia non possumus  
æqualiter satisfacere Deo ex iustitia pro culpa. Secundo,  
quia iustitia vindicatiua per se non intendit reconciliatio-  
nem, sed æqualitatem compensæ. Nam sæpe inter inimi-  
cos datur æqualis compensatio & iusta solutio absque re-  
conciliatione. At pœnitentia per se intendit destructionem  
peccati, vt amicitia cum Deo recuperetur.

5. Quarta Conclusio. Pœnitentia non est religio, vt vult  
Caietan, neque satisfacere Deo pro culpa est actus reli-  
gionis. Probatur, quia religio exhibit Deo debitum cul-  
tum & reuerentiam, non ex quo cunque motiuo, sed ex eo  
solum, quia Deus est primum principium creationis &  
guber-

656 C A P . XXX . D E S A C R A M E N T I S  
gubernationis omnium rerum , vt docet D. Thom. 2. 2.  
quæst. 81. art. 3. Et hinc probat religionem esse vnam vir-  
tutem , quia reddit Deo cultum sub vna tantum ratione ,  
nempe tanquam creatori & gubernatori. Pœnitentia ve-  
rò non respicit Deum sub hac ratione , sed quatenus per  
peccatum offensus est , & per detestationem huius placari  
potest.

*ad hanc*  
6 Quinta Conclusio. Pœnitentia est virtus specialis ab  
omnibus aliis distincta , quia habet proprium actum , qui  
requirit distinctam virtutem , vt patet ex dictis. Hæc ta-  
men virtus , quia refertur ad alterum , scilicet Deum , benè  
constituitur sub iustitia. Et quia non versatur in distribu-  
tione bonorum communium ; sed in compensatione &  
commutatione offensæ , benè reducitur ad iustitiam com-  
mutatiuam. Denique quia non retinet perfectam ratio-  
nem iustitiae commutatiæ ; cùm non seruet æqualitatem  
rei ad rem , seu satisfactionis ad offensam , non est vera  
iustitia commutatiua , sed solum habet similitudinem  
cum ea.

7 Prima Obiectio. Si Pœnitentia esset virtus ab aliis di-  
stincta , sequeretur eum , qui sèpius peccasset , habere plu-  
res virtutes , & consequenter meliorem esse quam alium ,  
qui semper fuisset innocens ; quia præter alias virtutes ha-  
beret etiam specialem virtutem Pœnitentie , quam inno-  
cens non habet. Respondeo , potest aliquis habere plures  
virtutes , qui tamen minus sit sanctus. Nam præstantia san-  
ctitatis non debet æstimari ex numero , sed ex qualitate  
& magnitudine virtutum , vt patet in Christo , qui fuit  
sanctior omnibus aliis , & tamen non habuit fidem , quam  
alij sancti habent. Et , vt alibi docui , habuit quidem habi-  
tum spei , quod alij negant.

8 Secunda Obiectio. Ut compensemus iniuriam factam  
parentibus , aut amicis , non requiritur aliqua virtus di-  
stincta ab aliis. Ergo neque ut compensemus offensam Deo  
factam. Respondeo , non requiritur alia virtus erga paren-  
tes , quam iustitia & pietas. Iustitia enim intendit redde-  
re , quod ablatum est contra iustitiam ; & pietas , quod  
contra pietatem. Similiter erga amicos non requiritur  
alia virtus , quam iustitia & affabilitas. His enim possimus  
compen-

compensare, quod ablatum est. Erga Deum verò non potest esse vera iustitia; & ideo requiritur charitas & pœnitentia. Hæc intendit satisfactionem, illa præstat.

### QVÆSTIO V.

*An Pœnitentia sit virtus Theologica, an moralis?*

1 **V**irtutes sunt triplices. *Prima* habent Deum pro obiecto, & fine intrinseco, ut fides, spes, charitas, quæ ideo Theologicæ dicuntur. *Secunda* nec pro obiecto, nec pro fine intrinseco habent Deum, ut fortitudo, iustitia, temperantia, prudentia, quæ dicuntur morales. *Tertia* habent Deum non quidem pro obiecto, sed pro fine proximo & intrinseco, ut religio; & haec sunt quasi mediae inter Theologicas & morales. Quæritur ergo an etiam pœnitentia sit talis virtus?

2 **P**rima Conclusio. Pœnitentia non est virtus Theologica. Ita D.Thomas art.3.ad 1.& alij passim. Probatur, quia virtus Theologica habet D E V M pro obiecto & fine; Pœnitentia licet habeat D E V M pro fine, non tamen pro obiecto, quia versatur circa satisfactionem, seu obiectum.

3 **S**ecunda Conclusio. Pœnitentia est similis religioni. Nam sicut hæc respicit cultum diuinum tanquam obiectum, & Deum ut finem, cui cultus ille immediatè deferitur; sic illa respicit satisfactionem tanquam obiectum & Deum ut finem, cui fit satisfactio. Ratio tamen motiva est diuersa, quia religio respicit Deum, quatenus est primum principium omnium rerum, cui eo titulo debetur cultus. Pœnitentia autem respicit Deum, quatenus per peccatum est offensus, cui eo titulo debetur satisfactio.

### QVÆSTIO VI.

*An Pœnitentia sit virtus infusa an acquisita?*

1 **S**COTUS, Durandus, & Henricus docent esse acquisitam, quia putant nullam esse virtutem infusam præter tres Theologicas. D.Thom.art.5.docet esse infusam. Richardus ponit duplēm pœnitentiam. *Primo*, acquisitam,

*eo Gauz* Prima Conclusio: Pœnitentia, qua homo Christianus vult satisfacere Deo ob peccatum offenso, & cum illo reconciliari, est virtus infusa, non acquisita. Ratio, quia pœnitentia ex natura sua necessariò supponit fidem iustificationis, & spem huius acquirendæ. Sed fides, & spes habent actus supernaturales, ad quos indigemus habitu supernaturali. Ergo etiam pœnitentia habet actum supernaturale, qui requirit habitum supernaturale. Habitum autem supernaturalis non acquiritur, sed infunditur.

3 Secunda Conclusio: In statu puræ naturæ posset acquiri aliqua virtus, quæ detestetur peccatum in tali statu commissum. Hoc dupliciter intelligi potest. Primo, de virtute quæ detestetur peccatum, quatenus est contra honestatem huius, vel illius virtutis. Hoc sensu certa est conclusio, quia certum est, morales virtutes naturaliter posse acquiri, quarum singulæ sicut amant propriam honestatem, ita detestantur oppositam turpititudinem. Secundo, de virtute, quæ detestatur peccatum, ut est offensa Dei. Hoc sensu aliqui negant conclusionem, quia putant naturaliter cognosci non posse Deum offendere peccatis nostris.

Dico tamen primo, naturaliter cognosci posse peccatum esse offensionem Dei, quatenus hic est auctor & finis naturæ. Ratio est, quia naturaliter cognosci potest diuina prouidentia. E. cognosci potest Deum esse uniuersalem gubernatorem & legislatorem; Item esse finem ultimum naturalem, & super omnia diligendum. Ergo etiam cognosci potest illum offendere nostris peccatis, tum etiam quia contemnitur eius præceptum, tum etiam quia in ratione ultimi finis aliquid illi præfertur.

Dico secundo, posse homini naturaliter displicere peccatum ob hanc peculiarem rationem, quia est offensa Dei. Ratio est, quia, quod homo naturaliter potest iudicare esse malum seu peccatum, hoc potest naturaliter odiisse, seu detestari. Deinde quia potest naturaliter diligere Deum, ut finem ultimum naturalem. Ergo potest odiisse quicquid contrarium est huic dilectioni. Sed peccatum, ut est offensa Dei, est contrarium huic dilectioni. E. potest illud odiisse.

6 Dico tertio, posse hominem in statu naturæ, postquam peccauit, & Deum offendit, habere naturale desiderium placandi Deum, & expellendi peccatum. Ratio, quia naturaliter (actu elicito) appetit esse beatus. Ergo naturaliter potest desiderare, ut auferantur impedimenta beatitudinis, qualia sunt peccata. Deinde quia naturaliter cognoscit prouidentiam Dei. Ergo etiam vindictam peccatorum. Ergo ex hoc motu potest desiderare, ut habeat Deum placatum.

Obiicies. Homo non potest naturaliter cognoscere, quod Deus offensus possit placari. Ergo non potest id appetere. Antecedens patet, quia nullum medium naturaliter cognosci potest, quo modo possit placare Deum. Imò multi putant peccatum in statu naturæ commissum non posse tolli, nisi per infusionem gratiæ sanctificantis: Hæc autem naturaliter cognosci nequit. Respon. sicut homo naturaliter cognoscit Regem posse ita placari, ut condonet offendam; sic cognoscit Deum posse placari, & condonare offendam, si is qui offendit, ex animo doleat se offendisse.

### Q V A E S T I O V I I .

*An virtus Pœnitentia sit in sola voluntate?*

I **C**ertum est hanc virtutem esse in voluntate, quia actus illius, nempe intentio satisfaciendi pro offensa, pertinet ad voluntatem. Questio tantum est, an in appetitu sensitivo generetur etiam habitus qui respondeat virtuti in voluntate existenti? Affirmant Pal. in 4.d.14.q.2, & alij. Et est satis probabile, quia experimur appetitum sensituum paulatim domari per frequentes actus virtutum, & minus resistere voluntati; ac proinde acquirere aliquam promptitudinem, & facilitatem subiiciendi se imperio voluntatis. Si hoc fit in aliis virtutibus, ut in temperantia, mansuetudine, humilitate, potest etiam fieri in Pœnitentia. Hæc tamen facilitas, seu habitus acquisitus in appetitu sensitivo non est propriè virtus, sed participat rationem virtutis, quatenus subest virtuti, & electioni voluntatis.

## Q V A E S T I O   V I I I .

*An virtus Pœnitentia sit in omnibus hominibus?*

**I**Dificultas est de Christo, B. Virg. Maria, primis parentibus in statu innocentiae, & infantibus baptizatis.

**2** Prima Conclusio: Virtus pœnitentiae non fuit in Christo aut B. Virgine. Ita D. Thom. q. 84. art. 7. ad 4. de Christo. Ratio, quia nec peccauerunt unquam, nec possunt peccare. Ergo non potuerunt exercere actum pœnitentiae. Ergo frustra habuissent virtutem pœnitentiae.

**3** Secunda Conclusio: Virtus pœnitentiae est in parvulis post baptismum iustificatis, (præsertim si verum est, quod ego verum puto, primum peccatum eorum qui perueniunt ad usum rationis posse esse veniale.) Ratio, quia status iustificationis in Baptismo debet esse tam perfectus, ut nulla virtus desit homini, cuius exercitium requiritur, quando peruenit ad usum rationis. Hac enim de causa infunduntur illi virtutes Theologicae. Nam illarum est usus necessarius in progressu ætatis. E. etiam debet infundi virtus pœnitentiae. Nam & eius usus necessarius est, si primum peccatum potest esse veniale. Si tamen primum peccatum necessario esset mortale, ut putat D. Thom. in 1. 2. q. 89. art. 3. tunc nunquam esset usus illius virtutis primo in Baptismo infusæ, quia per primum mortale amitteretur, sicut habitus charitatis & gratiae.

**Tertia Conclusio:** Virtus pœnitentiae fuit in Adamo in statu innocentiae, si verum est, quod primum peccatum in eo statu potuit esse veniale. Si autem primum non potuit esse veniale, non fuit virtus pœnitentiae in illo statu. Prius patet ex dictis. Probatur posterior, quia si primum peccatum non potuit esse veniale, sed mortale, prius amisisset virtutem pœnitentiae, quam habuisset materiam circa quam operaretur; & sic virtus illa fuisset superflua.

Dices: cum D. Thom. 1. p. q. 95. art. 3. licet in statu innocentiae (durante) non possit esse peccatum; poterat tamen homo ita esse dispositus, ut pœniteret peccati, si commisisset. Confirmatur à simili; quia in eodem statu erat virtus misericordiae, quæ tamen operari non poterat, nisi circa misericordiam

miseriam quæ non erat in illo statu. Satis autem erat hominem ita dispositum, ut, si esset miseria, exercearet actum misericordiæ. Resp. de virtute poenitentia id dici nequit, alioqui Christus & B. Virgo habuissent & illam virtutem, quod tamen negat D. Thom. de Christo. Nec est simile de misericordia, quia poterat esse miseria in aliquo altro homine, etiamsi Adamus perseverasset in statu innocentia, & sic potuisset habere actum misericordiæ.

C A P V T     X X X I.

*De primo effectu Pœnitentiaæ, qui est remissio mortaliūm peccatorum?*

**V**ÆRITVR *primo*, an omnia mortalia remitti possint per pœnitentiam. *Secundo*, an remitti possint sine pœnitentia. *Tertio*, an tolli possunt per solam contritionem, & dilectionem Dei sine infusione gratiæ iustificantis. *Quarto*, an per solam infusionem gratiæ iustificantis sine contritione. *Quinto*, an per solam Dei condonationem sine omni reali mutatione facta in peccatore. *Sexto*, an vnum mortale tolli possit sine alio. *Septimo*, an remissa culpa maneat reatus pœnæ. *Ottavo*, an remissio peccati mortalis fiat gratis, an ex iustitia.

## Q V A E S T I O     I.

*An omnia peccata mortalia remitti possint per  
pœnitentiam?*

- D**Vobis modis intelligi potest aliquod peccatum non posse tolli per pœnitentiam. *Primo*, si esset aliquod peccatum, de quo homo non posset pœnitere. *Secundo*, si esset aliquod peccatum ad quod tollendum non esset sufficiens pœnitentia, etiam si homo pœniteret & doleret.

**2** Prima Conclusio : Nullum est peccatum mortale, de quo homo in hac vita pœnitere non possit. Ita D. Thom. art. 1. Ratio sumitur ex duabus principiis, quæ hic tanquam certa suppono. *Primum*, nulli peccatori in hac vita deesse sufficiens auxilium Dei ad salutem. *Secundum*, hominem

662 CAP. XXXI. DE SACRAMENTIS  
esse liberi arbitrij, & posse vti auxilio Dei ad suam salu-  
zem. Ex his sequitur hominem posse dolere de peccato, si  
velit dolere.

*ad locum* 3 Secunda Conclusio: Nullum est peccatum mortale,  
quod per Sacramentum Pœnitentiæ deleri nequeat. D.  
Th. art. i. Ratio est, quia Sacramentum operatur in virtute  
passionis & meritorum Christi, quæ virtus tam efficax est,  
vt sufficiat ad delenda omnia peccata totius mundi, i. Ioan.  
2. v. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris au-*  
*tem tantum, sed etiam totius mundi.* Confirmatur ex Ioanne  
20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, nempe per*  
*Sacramentum absolutionis.*

4 Tertia Conclusio: Nullum etiam peccatum est morta-  
le, quod per veram contritionem extra Sacramentum de-  
lieri nequeat. S. Thom. *ibid.* Non autem loquor de contritio-  
ne, vt est pars Sacramenti, quia sic est eadem ratio de con-  
tritione, quæ est de Sacramento, de quo dictum; sed de  
contritione secundum se, quatenus est interna detestatio  
peccati, quæ in omni statu locum habet.

Conclusio probatur, quia hæc contritio est ultima dispo-  
sitio ad gratiam, ad quam infallibiliter sequitur gratia, sed  
gratia excludit omne peccatum. E. nullum est peccatum,  
quod non tollatur per contritionem. Hinc illud Ezech. 18.  
v. 17. *Cum auerterit se impius ab impietate sua (per con-*  
*tritionem) ipse animam suam vivificabit, scilicet dispositiue.*  
Et *ibid.* *Conuertimini, & agite pœnitentiam, & non erit vobis in-*  
*ruinam iniquitas, id est, tolletur à vobis.*

5 Prima Obiectio est 1. Reg. 2. v. 25. *Si peccauerit vir in*  
*virum, placari ei potest Deus. Si autem in Deum peccauerit vir,*  
*quis pro eo orabit?* Resp. hinc solum colligitur, peccatum in  
Deum difficultius expiari, quam peccatum in homines.  
Deinde raros esse viros sanctos, qui pro aliis Deum pos-  
sint placare. Vide Ambros. lib. 1. de pœnit. cap. 8.

6 Secunda Obiectio: Antiochus & Esau egerunt pœni-  
tentiam, & non impetrârunt veniam, 2. Mach. 9. v. 13. *Orā-*  
*bat hic scelestus Deum à quo non esset misericordiam consecu-*  
*turus. Hebr. 12. v. 17. Non inuenit pœnitentiæ locum, quamquam*  
*cum lachrymis inquisisset eam.* Respon. Non fuit vera utrius-  
que pœnitentia, Antiochus solum petebat liberari à cru-  
giatu

ciatu viscerum quo vexabatur. Elau autem solūm flebat ob amissam hæreditatem. Nam eo ipso tempore, quō videbatur agere pœnitentiam, cogitabat de fratre occidendo, Gen. 27. vers. 41. *Venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum.*

7 Tertia Obiectio: Scriptura docet, peccatum in Spiritum sanctum esse irremissibile, Matth. 12. vers. 32. *Quicumque dixerit verbum contra Filium, &c. qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur neque in hoc seculo, nec in futuro.* Respondeo, peccatum in Spiritum sanctum est, quando quis resistit veritati fidei, quam Spiritus sanctus inspiravit, & miracula, quæ fiunt à Spiritu sancto ad confirmandam fidei veritatem, tribuit Diabolo. Sicut Pharisei dicebant Christum in Beelzebub eiicere Dæmonia, & oppugnabant veritatem Christi miraculis comprobataam. Hinc colligitur, quomodo differat blasphemia in Filium hominis à blasphemia in Spiritum sanctum. Nam illi dicuntur blasphemare in Filium hominis, qui putantes Christum non esse nisi hominem, opera eius calumniabantur, dicentes: *Ecce homo vorax & potator vini.* Illi autem dicuntur blasphemare sanctū Spiritum, qui sciētes Christum in virtute Dei miracula operari; tamē ex malitia, & inuidia adscribunt illa non Spiritui sancto, sed spiritui immundo.

Porrò hoc peccatum dicitur irremissibile, quia ordinatè, & vt plurimum non curatur & sanatur. Idq̄tue duabus de causis. Primo, quia directè resistit, & repudiat gratiam Dei, per quam solam curari potest. Sicut si ægrotus repudiaret medicinam quā sola curari posset, meritò morbus eius dic̄retur incurabilis. Secundo, quia fit ex mera malitia, & ideo non meretur Dei misericordiam. Nihilominus tamen aliquando curatur hoc peccatum, vt ostendit D. Ambros. lib. 2. de pœnit. c. 4. quia populus Iudeorum, qui dixerat Christum in Beelzebub eiicere Dæmonia, postea ad prædicationem Petri conuersus legitur. Act. 2.

8 Quarta Obiectio: Ex Hebr. 6. vers. 4. *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, & prolapsi sunt, rursum renouari ad pœnitentiam.* Et cap. 10. *Voluntariè peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia.* Respondeo. Sensus utriusque loci est, quod qui

664 CAP. XXXI. DE SACRAMENTIS  
peccant post suscep̄tam fidem & Baptis̄mum non possint  
iterum renouari per Baptis̄mum, ut falsò putabant He-  
bræi lauantes se domum reuersi. Vnde cap. 10. per hostiam  
intelligitur Christus, qui fuit hostia pro peccatis nostris.  
Christus enim, qui semel mortuus est pro nobis, non mo-  
rietur iterum pro nobis, & consequenter non est alius Ba-  
ptis̄mus expectandus. Qui ergo semel baptizati sunt, si  
iterum peccant, non possunt iuuari per Baptis̄mum, sed per  
Sacramentum Pœnitentiæ.

9 Quinta obiectio : 1. Ioan. 5. v. 16. *Est peccatum ad mortem,*  
*non pro illo dico, ut roget quis.* Respond. D. Augustin. lib. de  
corrept. & grat. c. 12. Peccatum ad mortem vocari finalem  
impœnitentiam, quæ non potest tolli, quia homo non vult.  
D. Hieron. lib. 2. cont. Iou. dicit orationes nostras difficulter  
exaudiri pro aliorum peccatis mortalibus.

---

### Q VÆSTIO II.

*An peccata mortalia remitti possint sine Pœnitentia?*

1 **P**rima Conclusio : Sine Sacramento Pœnitentiæ po-  
test aliquando remitti peccatum mortale. D. Thom.  
art. 2. Ratio, quia Deus, qui remittit peccata, non habet vir-  
tutem suam ita alligatam Sacramento, vt non possit illam  
exercere sine Sacramento. Et hoc modo Deus remisit in  
veteri Testamento, & toto tempore prædicationis Christi,  
antequam hoc Sacramentum esset institutum. Nunc etiam  
post factam institutionem sàpè remittuntur peccata per  
contritionem cum solo voto Sacramenti.

2 Secunda Conclusio : Sine contritione non potest re-  
mitti peccatum mortale secundùm legem Dei ordinariam  
exera Sacramento. Hoc addo, quia in Sacramento suffi-  
cit attritio. Ita definiuit Trid. sess. 14. c. 4. ubi dicit contritio-  
nen omni tempore fuisse necessariam ad veniam pecca-  
torum impetrāndam. Et patet ex Luc. 13. *Nisi pœnitentiam*  
*habueritis, omnes simul peribitis.* Ratio D. Thom. art. 2. per se  
difficilis est.

Q VÆ

## QVÆSTIO III.

*An peccatum mortale tolli possit per solam contritionem & dilectionem Dei?*

1 **P**rima Opinio negat id fieri posse. Ita Andreas Vega ~~tereo~~  
*tib. 7. super Concilium Tridentinum, cap. 24.* & aliqui alij  
 recentiores. Probantque **Primo**, quia scriptura ait hominem non iustificari ex operibus, sed gratis. Si autem iustificaretur contritione & dilectione sine gratia habituali, iam ex operibus iustificaretur, & non gratis; quod est contra scripturam. **Secundo**, quia Concilium Tridentinum *sess. 6. cap. 6. & 7.* definit contritionem esse dispositionem ad iustificationem & remissionem peccatorum. Ergo per contritionem non formaliter, sed tantum dispositiū tollitur peccatum. **Tertio**, quia idem Concilium *sess. 6. cap. 7.* definit unicam esse causam formalem nostræ iustificationis, scilicet iustitiam inhærentem, seu gratiam habitualē. Ergo non potest esse contritio, vel dilectio. **Quarto**, quia effectus formalis non potest esse sine causa formalī, etiam per absolutam Dei potentiam. Sed remissio peccati, seu iustificatio est formalis effectus gratiæ habitualls. Ergo non potest esse sine gratia habituali. **Quinto**, quia priuatio non potest tolli sine habitu opposito, sicut tenebrae, non nisi per lumen tolluntur. Sed peccatum est priuatio gratiæ. Ergo non potest tolli sine gratia.

2 Secunda opinio est plane contraria, per solam contritionem & dilectionem Dei super omnia posse tolli peccatum mortale, & hominem iustificari. Ita sentiunt multi Theologi.

**Primo** illi qui docent hactenus non esse definitum ab Ecclesia, iustitiam nobis inhærentem esse habitum, & non actum. Ut Dom. Soto *in 4.d.1. quest. 3. art. 1.* Canus *in relect. de sacramentis. 4. part. post 5. concl.* Et *l. 7. de locis Theol. c. 7.* Stapletonus *l. 5. de iustific. 5. 8.* Ioannes Vincentius *in l. de gratia Christi. concl. 6.* & nonnulli alij.

**Secundo** illi, qui expressè docent aut formam iustificantem, qua expellitur peccatum, esse dilectionem charitatis, aut ipsam dilectionem esse veram iustitiam Christianam.

Ita Ianson. in concordia Euang. cap. 46. circa illud: Remittuntur ei peccata multa, &c. Lucæ 7. Ruardus Tapperus art. 2. Hosius in confessione catholica, cap. 75. Gaspar Cassalius l. 2. de quadripartita iustitia, part. 1. cap. 2. & 16.

Tertio illi, qui dicunt per contritionem condigne satis fieri pro culpa mortali. Ut Cajetanus 3. part. quæst. 1. art. 2. Barth. Medina ibid. Tapperus art. 6. Paludanus in 3. d. 20. qu. 2. art. 2. Richardus in 4. d. 17. a. 1. q. 7.

Quarto illi, qui docent maiorem esse oppositionem inter dilectionem Dei & peccatum, quam inter gratiam habitualis & peccatum. Ut Scotus in 4. d. 49. quæst. 6. Gabr. e<sup>1</sup>. ibid. q. 2. a. 3. dub. 6. Gregorius in 2. d. 7. q. 2. a. 2. Et Ocham. in 2. q. 19. Quanquam hi Authores simul sentiant gratiam habitualis ex natura sua non pugnare cum peccato mortali, sed tantum ex lege, seu ordinatione Dei, ut post videbimus in seq. quæst.

Quinto, Multi recentiores qui docent hominem quidem de facto iustificari per infusionem gratiæ habitualis, posse tamen sufficienter iustificari per solam contritionem & dilectionem Dei super omnia si non infunderetur gratia habitualis. Putant enim cum D. Th. gratiam habitualis prius natura infundi quam eliciatur actus contritionis & dilectionis: & sic hominem iustificari per gratiam habitualis prius natura, quam adgit actus dilectionis & contritionis. Quod si hic actus prior esset infusione gratiæ, tunc ex illo rum sententia iustificaretur homo per illum actum, & non per gratiam habitualis.

Hæc secunda opinio probatur Primo, quia Scriptura tribuit dilectioni sanctitatem animæ, & cum Deo coniunctionem. Ioan. 14. vers. 23. Si quis diligit me, & Pater meus diligit eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus, &c. Et Col. 3. v. 14. Super omnia autem charitatem habete, quod est vinculum perfectionis. Et 1. Tim. 1. vers. 5. Finis præcepti est charitas de corde puro (in actu.) Rom. 13. vers. 11. Plenitudo legis est dilectio.

Scundo, quia Scriptura tribuit illi remissionem peccatorum. Prou. 10. v. 12. Vniuersa delicta operit charitas (actualis.) Et 1. Pet. 4. v. 8. Charitas operit multitudinem peccatorum. Hinc Aug. 1. de natura & gratia, c. 42. ait: Charitas verissima, plenissima.

ma, perfectissimaque iustitia est. Loquitur autem de actu charitatis, ut patet ex l.3. doct. Christ. c.10. cum ait: Charitatem voco motum (actum) animi ad fruendum Deo propter ipsum. Imò aliqui affirmant S. August. nusquam loqui de habitu charitatis, sed semper de actu.

*Tertio*, probatur ratione, quia si quis existens in statu peccati, subito assumeretur ad visionem & amorem beatificum sine ullo habitu, procul dubio esset beatus, quia beatitudo formalis non consistit in habitu, sed in operatione, ut omnes fatentur. Ergo etiam esset sanctus, quia beatitudo excludit omnem miseriam, & consequenter omne peccatum. Hæc autem sanctitas esse tribuenda amori, non visioni. Ergo amor beatificus habet vim sanctificandi hominem. At amor Patriæ & viæ est eiusdem rationis. Ergo etiam amor viæ potest sanctificare.

*Quarto* probatur: qui diligenter Deum ex toto corde & affectu, etiam sine habitu gratiæ & charitatis, diceretur unus spiritus cum Deo; quia esset unus cum eo voluntate & affectu. Ergo esset verè iustus cum Deo. Nam qui Deo tanquam summa regulæ toto affectu coniunctus est, recte dicitur Deo, vel regulæ adæquari; ac proinde iustus cum eo esse.

*Quinto*, quia per amorem charitatis sine habitu verè dicemur diligere Deum, ut amicum, quia diligemus eum propter ipsum. Ergo vicissim ab eo diligemur tanquam amici. Amor enim natura sua reciprocus est, & Deus, cum sit summè bonus, non patitur se ab aliquo diligere, quem non vicissim diligit. Imò, hoc ipso quod sponte nobis communicat dilectionem sui, diligit nos tanquam sui dilectores, ac proinde tanquam amicos.

*Sexto*, qui iustificatur contritione & dilectione, etiam simul iustificetur habitu, aliter iustificatur quam si solo habitu iustificaretur. Nam si solo habitu iustificaretur, & Deus auferret ab eo debitum, auferret simul omnem iustitiam; ut patet in parvulo baptizato. Si autem præcessisset actus contritionis, seu dilectionis, & Deus auferret debitum, adhuc maneret iustus. Simile est in eo qui per bona opera crescit in iustitia & sanctitate. Is enim maneret iustus, etiamsi Deus ab ipso auferret habitum iustitiae. Hinc

pater

668 CAP. XXXI. DE SACRAMENTIS  
patet actum contritionis & dilectionis conferre aliquam  
sanctitatem & iustitiam quæ non dependet ab ipso habitu.  
Iam, quod puto me posse defendere, indicandum. Res sanè  
difficilis est.

3 Prima Conclusio: Tria manent ex actu peccati mortalis, postquam transiit. *Primo*, culpa. *Secundo*, reatus, seu dignitas poenæ: *Tertio*, ipsa poena & ordinatio ad poenam. Rursum in culpa tria spectari possunt. *Primo*, macula, seu foeditas animæ. *Secundo*, inimicitia, seu offensa. *Tertio*, iniuria Deo facta.

4 Secunda Conclusio: Est autem duplex macula peccati. Una consistit in morali turpitudine, quæ relinquitur ex actu peccati præterito non retractato, sed moraliter permanente. Altera in priuatione gratiæ iustificantis. Differunt tripliciter. *Primo*, quia prior habet locum etiam in statu naturæ; posterior non item. *Secundo*, prior oriatur ex quovis peccato siue mortali, siue veniali; posterior ex solo mortali. *Tertio*, prior est propria in unoquoque peccato, & prout singula peccata actualia sunt inter se distincta, ita singulæ maculæ ex illis reliæ inter se distinguuntur. At priuatio gratiæ non est propria alicui peccato actuali, sed æqualiter à quolibet mortali causari potest.

Hinc sequitur *primo*, hominem denominari furem, blasphemum, homicidam à priore macula, quæ cuique peccato propria est; non autem à posteriore. *Secundo*, priorem esse inæqualem ratione inæqualium peccatorum actualium à quibus causatur. Maior enim est macula homicidij, quam furti. Posteriorem verò, vel esse æqualem in omnibus, si in se spectatur: vel etiam inæqualem ratione gratiæ cui opponitur; quatenus scilicet est priuatio maioris, seu minoris gratiæ. *Tertio*, in homine peccatore posse esse maculas plures prioris generis, non autem posterioris. Nam qui per actum furti contraxit maculam furti, potest etiam per actum homicidij contrahere maculam homicidij, &c. Atqui per unum peccatum mortale priuatus est semel gratia, non priuatur iterum per alia peccata subsequentia.

5 Tertia Conclusio: Prior macula peccati mortalis sufficienter

cienter potest tolli per solum actum contritionis & dilectionis Dei super omnia. Hoc patet primo in statu puræ naturæ. Nam peccator per actum contritionis sufficienter retractat priorem actum peccati ; & per actum dilectionis Dei super omnia , sufficienter conuerit se ad Deum à quo erat auersus. Ergo prior macula sufficienter tollitur. Queres : An hoc modo sublata macula tollatur etiam offensa & iniuria Deo facta? Resp. offensa, seu inimicitia tollitur, quia sublata macula Deus non habet causam offensionis. Erat enim offensus ob maculam.

Dices : Erat etiam offensus ob iniuriam sibi factam. Respondeo. Erat quidem offensus ob iniuriam , quamdiu illa fuit voluntaria & coniuncta cum macula : non autem ob iniuriam , quando desit esse voluntaria, & coniuncta cum macula. Sic enim est tantum iniuria materialis , non formalis. Hinc vterius patet iniuriam partim tolli , partim non tolli per actum contritionis & dilectionis ; Tollitur enim iniuria formalis , quia tollitur macula : non tollitur materialis, quia non fit æqualis compensatio, cum hæc fieri ab homine non possit per solas vires naturales. Debet ergo tolli hæc materialis iniuria per liberalem Dei condonationem. Hinc etiam patet , quomodo post sublatam maculam & offensam possit homo manere obnoxius poenæ , seu satisfactioni. Nam obligatio ad poenam non oritur ex macula & offensa præcisè , sed potius ex iniuria. Qui enim exigit poenam , seu satisfactionem, facit hoc ex iustitia vindicativa ratione iniuriæ ab aliis factæ. Hæc de statu puræ naturæ. In statu gratiæ res facilior est. Nam si naturalis actus contritionis & dilectionis potest sufficienter maculam peccati tollere in statu naturæ ; poterit etiam actus supernaturalis in statu gratiæ. Hinc sequitur tolli etiam offensam, seu inimicitiam Dei per hunc actum; non tamen tolli iniuriam per illum, quatenus præcisè est actus contritionis & dilectionis. An alio autem modo per eum tolli possit , nempè quatenus est actus supernaturalis proueniens ex gratia Christi, dubitari potest. Valde id probabile est , quia per illum actum tali modo spectatum applicatur nobis meritum & satisfactio Christi. Et sic fieri potest sufficiens compensatio pro iniuria Deo facta. Sicut Ergo iniuria

670 CAP. XXXI. DE SACRAMENTIS  
iniuria formalis tollitur per voluntariam contritionem  
qua detestamur culpam nostram; sic materialis tollitur  
per satisfactionem Christi, quæ applicatur nobis per super-  
naturalē dilectionem ex gratia Christi profectam.

*ed. 1. 1. 1.* 6 Quarta Conclusio: Posterior macula peccati mortalis,  
quæ consistit in priuatione gratiæ iustificantis, non potest  
sufficienter tolli per solum actum contritionis & dilectionis  
Dei super omnia. Nam priuatio alicuius formæ non po-  
test tolli, nisi per presentiam eiusdem formæ. Sicut cæcitas  
non tollitur, nisi per visum, nec tenebrae, nisi per lumen.  
Ergo similiter priuatio gratiæ nō tollitur, nisi per gratiam.

7 Dices *primo*: Quid ergo fieret de homine peccatore, qui  
sine gratia habituali raperetur ad visionem & amorem  
beatificum, vel ad vniōnem Hypostaticam cum persona  
Diuina? Vel enim in tali casu tolleretur macula hæc pec-  
cati, vel non. Si tolleretur, falsa est conclusio. Si non tolle-  
retur, posset aliquis simul esse beatus & miser; simul Deus  
& peccator. Respondeo. In tali casu tolleretur macula pec-  
cati, quia tolleretur priuatio gratiæ, quatenus habet ra-  
tionem maculæ. Aliud enim est carentia, vel negatio gratiæ;  
aliud verò priuatio gratiæ. In tali casu esset carentia gratiæ  
iuxta suppositionem: non tamen esset priuatio gratiæ, quia  
non esset debitum habendi gratiam. Nam debitum haben-  
di gratiam consistit in eo, quod is, qui gratiam culpabili-  
ter amisit, iure Diuino obligatus sit eam recuperare. Cùm  
enim homo à Deo creatus sit in statu gratiæ, iustitiæ & san-  
ctitas ( quem statum per peccatum Parentis primi amisi-  
mus, & nunc sèpè per propria peccata amittimus ) manet  
obligatus, vt redeat ad eum statum à quo recessit. Po-  
test autem dupliciter redire. *Primo*, præcisè ad eundem  
statum gratiæ, in quo ante fuit. *Secundo*, ad meliorem sta-  
tum, vt verbi gratia, ad statum gloriæ, vel vniōnis Hyposta-  
ticæ. Vtroque modo tollitur debitum habendi gratiam; &  
consequenter priuatio gratiæ, quatenus habet rationem  
maculæ, seu peccati.

8 Dices *secundo*: Illud debitum habendi gratiam videtur  
tolliri etiam per actum contritionis & dilectionis Dei super  
omnia. Ratio, quia debitum habendi gratiam non obligat  
hominem, nisi ut se sufficienter disponat ad gratiam. Atqui  
per

per actum contritionis & dilectionis sufficienter se disponit. Ergo per illum actum sufficienter tollitur debitum. Maior probatur, quia illud debitum non obligat hominem ad impossibile. Est autem impossibile, ut plus faciat homo in hoc negocio, quam ut sufficienter se disponat ad infusionem gratiae, cum ipsa infusio sit supra ipsius vires. Ergo posita sufficiente dispositione cessat obligatio ex parte hominis. Ergo etiam cessat ratio maculae, seu priuationis gratiae. Respondeo, hoc est valde probabile, & multi cum Suarez ita sentiunt. Nihilominus dici potest debitum habendi dupliciter concipi posse. *Primo* actiuè, ut sit idem, quod debitum acquirendi gratiam per propriam actionem. *Secundo* passiuè, ut sit idem, quod debitum existendi in gratia, vel in aliquo statu perfectiore (gloriae) quomodounque id fiat. Si ergo priuatio gratiae, quatenus habet rationem peccati, includeret debitum priore sensu; tunc sufficienter tolleretur per actum contritionis & dilectionis: quia homo praeter eum actum nihil potest ulterius facere ad habendum gratiam: ac proinde non potest ulterius actiuè obligari. Si autem priuatio gratiae includit debitum posteriori sensu, non potest tolli per actum contritionis & dilectionis: sed necessario requiritur infusio gratiae, aut aliquid praestantius. Est autem probabile hoc posterius debitum includi in priuatione gratiae, non illud prius. *Primo*, quia prius non potest habere locum in infantibus ante baptismum. *Secundo* nec in adultis, qui per solam attritionem iustificantur in Sacramento. Neutri enim satisfaciunt priori debito, quia nec infantes habent ullam actionem propriam qua acquirant gratiam: nec eiusmodi adulti habent talem actionem, quæ per se sufficiat ad acquirendam gratiam. Et tamen constat utrosque iustificari Sacramento: ac proinde non amplius habere priuationem gratiae, & consequenter, nec debitum habendi gratiam, quod in illa priuatione includitur.

*9 Dices tertio.* Priuatio gratiae, ut sit peccatum, debet esse voluntaria. Sed per actum contritionis definit esse voluntaria. Ergo per hunc actum definit esse peccatum. Respondeo. Maior distinguenda est. Potest enim dupliciter intelligi. *Primo* sic: Priuatio gratiae ut sit peccatum, debet esse

volun-

voluntariè contracta per actuale peccatum: Et tunc vera est; sed minor falsa est. Non enim actus contritionis efficit, ut, quod factum est, reddatur infectum. Secundo sic: Priuatio gratiæ, ut peccatum, debet manere voluntaria; & non sufficit voluntariè contractam esse; & tunc falsa est. Hoc patet in paruulis ante Baptismum, quia in his priuatio gratiæ habet rationem peccati originalis: & tamen non manet voluntariè voluntate primi parentis, quia ipse doluit, quod se & posteros priuasset iustitia originali, & retractauit primum actum peccati per contritionem: Cenetur tamen voluntaria, quia voluntariè per actuale peccatum primi parentis contracta est.

Sicut ergo non sufficit paruulis ad tollendum peccatum originale, quod Adam per actum contritionis retractauerit suum actuale peccatum; ita non sufficit adultis ad tollendam priuationem gratiæ, quatenus habent rationem peccati quod definit esse voluntaria per retractationem.

10 Dices quarto: Quando quis per contritionem retractat suum peccatum actuale, tunc tollitur macula prioris generis, quæ consistit in morali turpitudine, seu auersione Dei, ut antè dixi. Ergo etiam tollitur macula posterioris generis, quæ consistit in priuatione gratiæ. Est enim par ratio. Nam ideo tollitur prior macula, quia per retractationem definit esse voluntaria. Atqui etiam posterior definit esse voluntaria. Ergo & hæc tollitur.

Respondeo, non quævis retractatio sufficit ad tollendam maculam, ut patet in actu attritionis; qui ex se non potest tollere ullam maculam, siue prioris, siue posterioris generis, ut omnes fatentur: Imò ne quidem maculam peccati venialis, & tamen per attritionem definit esse voluntaria. Est ergo hæc regula seruanda: Quando retractatio tam est efficax, ut restituat hominem in priorem statum, ex quo per actuale peccatum excidit, tunc tollit maculam peccati: alias non tollit. Retractatio, quæ fit per solam attritionem, nunquam restituit hominem in priorem statum. Retractatio autem quæ fit per contritionem & dilectionem Dei super omnia, in uno casu id præstat, in altero non item. Nam quando homo (in pura natura) contraxit maculam prioris tantum generis, tunc restitui potest in priorem statum per

contritionem & dilectionem. Nam per illum actum tam perfectè conuertit se ad Deum actualiter, quam antea erat conuersus. Quando autem contraxit maculam posterioris generis, nempè priuationem gratiæ, non potest in priorem statum restituī per solum actum contritionis & dilectionis, quia per illum actum præcisè non infunditur illi gratia, quam amiserat.

**n** Dices *Quinto*, quid ergo sentiendum esset de homine, qui habet contritionem & dilectionem super omnia, & tamen Deus non infunderet illi gratiam. Vel enim esset iustus, vel peccator. Si iustus. Ergo infusio gratiæ non requiritur ad tollendum peccatum; quod est contra dicta. Si est peccator, quomodo potest esse coniunctus Deo per veram dilectionem.

Respondeo, esset quidem dispositus ad iustitiam, non tamen formaliter iustus, sed peccator, quia adhuc esset priuatus gratia, & perinde se haberet ac pauper, qui semel adoptatus in filium à rege, sua culpa offendisset regem, & ab illi statu excidisset; & postea vellet placare regem, & ad pristinum statum redire. Nam in tali casu fieri posset, ut pauper doleret se peccasse; & Regem debito amore & honore prosequeretur; & tamen à rege non recipere tur in pristinum adoptionis statum. Idem est in nostro casu. Posset homo dolere de peccato; & diligere Deum super omnia; non tamen admitti ad ius adoptionis in quo antea fuerat. Et sic non esset coniunctus Deo tam perfectè, quam antè fuerat, nempè titulo adoptionis.

#### QVÆSTIO IV.

*An peccatum mortale tolli possit per solam Gratiam Habitualēm?*

**1** **Q** Væri possunt duo. *Primo*, an ad mortale peccatum tollendum sufficiat sola gratia sine liberali Dei condonatione. *Secundo*, an sola sufficiat sine actu contritionis. Est ergo.

**2** Prima Opinio: Solam gratiam non sufficere ad tollendum peccatum mortale; sed ulterius requiri fauorem, ac liberaliem Dei condonationem; ac proinde fieri posse

674 CAP. XXVIII. DE SACRAMENTIS  
vt gratia habitualis & peccatum mortale sint simul in eodem homine, si Deus nolit id condonare. Hæc sententia duobus modis defendi solet. Primo, afferendo gratiam habitualis esse quandam qualitatem quæ ex sua natura, nec faciat hominem sanctum, iustum & Deo gratum; nec pugnet cum mortali peccato; sed utrumque habeat ex libera Dei voluntate. Itaque fieri posse, vt homo per infusionem huius qualitatis, nec iustus sit; nec peccata illi remittantur. Ita Richard. in 3. dist. 31. art. 1. quest. 1. Scotus in 4. dist. 16. quest. 2. Gabriel dist. 14. quest. 1. art. 2. Ocham in 4. quest. 3. Ioannes Medina codice de Peccatis, quest. 12. Et aliqui Thomistæ recentiores, qui dicunt gratiam in hac re similem esse monetæ. Sicut enim moneta, quamvis ex se & intrinsecè habeat metallum; tamen valorem intrinsecè non habet; sed per extrinsecam impositionem. Sic etiam gratia habitualis, inquit, ex natura sua est quædam qualitas, quæ ex voluntate Dei habet valorem iustitiae ac sanctitatis, & vim remittendi peccata. Hinc consequenter docent. Primo, gratiam habitualis augeri posse secundum rationem gratiarum, etiamsi non augeatur secundum rationem qualitatis, id est, moraliter, & non physicè. Sicut etiam moneta secundum valorem augeri potest à principe, tametsi nihil metalli accedat. Secundo gratiam, quatenus habet rationem qualitatis, non pugnare cum peccato mortali; sed quatenus habet rationem gratiae & sanctitatis. Tertio, rationem qualitatis positam esse in entitate physica & reali: rationem autem gratiae in aliquo morali, quod ex Dei estimatione & voluntate pendeat. Quarto, hanc Dei voluntatem in eo consistere, vt homo habens talam qualitatem diligatur à Deo tanquam iustus & amicus: vel certè ut ad vitam æternam ordinetur & acceptetur.

Alio modo solet defendi hæc sententia, afferendo gratiam habitualis esse quidem veram iustitiam & sanctitatem, quæ ex sua natura constituit hominem iustum, sanctum & Deo gratum: non tamen ex se esse sufficientem ad tollenda peccata, nisi libera Dei condonatio adiungatur: ac proinde seclusa condonatione fieri posse, ut idem homo sit iustus & gratus Deo, & simul maneat in peccato mortali.

tali. Sicut fieri potest per absolutam Dei potentiam , ut idem homo sit simul calidus & frigidus. Itaque gratiam non indigere fauore & acceptatione Dei , ut sit iustitia & faciat nos formaliter iustos : indigere tamen fauore & acceptatione Dei , ut peccatum à nobis expellat. Hanc tamen condonationem esse debitam gratiæ ad secundarium eius effectum , nempè ad expellendum peccatum ; sicut calor debitum est ut Deus destruat frigus, & non conseruet illud in eodem subiecto cum calore. Itaque , sicut calor habet duos effectus formales,vnum primarium,qui est facere subiectum calidum : alterum secundarium , qui est expellere frigus : sic etiam gratiam habere duos effectus : primarium , qui est facere hominem Deo gratum & iustum : secundarium, qui est expellere peccatum. Rursum : sicut fieri potest ut calidum faciat subiectum calidum & non expellat frigus : ( per absolutam Dei potentiam ) ita gratia fieri potest,ut faciat hominem gratum, & non expellat peccatum.

Hæc opinio sic explicata probatur. *Primo*,quia nulla apparet contradic̄tio , si dicamus gratiam & peccatum simul esse. Nam calor & frigus non minus inter se pugnant, quam peccatum & gratia. At non implicat calorem & frigus esse simul. Ergo,&c.

*Secundo*,quia gratia potest consistere cum peccato actuali. Ergo etiam cum habituali, seu cum macula. Antecedens patet,quia gratia non potest tolli ab homine, nisi per subtractionem diuini influxus. Sed Deus non cogitur subtrahere s̄qum influxum,quando quis peccat actu. Ergo potest gratia conseruari cum peccato actuali. *Tertio*,quia nullum videtur esse genus oppositionis inter peccatum & gratiam. Non enim opponuntur contrarie , quia peccatum non est quid absolutum & posituum. Nec relatiue , quia gratia est forma absoluta. Nec priuatiue , quia macula in statu naturæ non est priuatio gratiæ. Nec contradictoriæ , quia peccatum non est pura negatio gratiæ. *Quarto*,quia ratio peccati , seu offendit est aliquid morale. Ergo debet expelli per contrarium eiusdem generis , nempè per aliquid etiam morale. Sed non potest esse aliud morale quo expellatur,nisi Dei condonatio , cùm infusio gratiæ sit physi-

676 CAP. XXXI. DE SACRAMENTIS  
ca. Ergo per eam expelli deber. *Quinto*, quia offensa in Deum est infinita. Ergo non potest sufficienter per aliquid finitum tolli, cuiusmodi est gratia habitualis. Ergo opus est liberali Dei condonatione.

3 Secunda Opinio est, solam gratiam non sufficere ad tollendum peccatum mortale, sed ulterius requiri actum contritionis. Ita Dom. Soto in 4.d.15.q.1. art. 2. fauet illi D. Thom. hic q.86. art. 2. vbi dicit, impossibile esse remitti alicui peccatum mortale sine virtute pœnitentiae, id est, sine contritione. Ratio huius opinionis est, quia sicut peccatum non potest committi, nisi per liberum actum voluntatis, ita non potest tolli, nisi per liberam retractationem illius actus. Hinc Trident. sess. 6. can. 7. dicit hominem iustificari per voluntariam susceptionem donorum gratiae. Ergo susceptio gratiae non sufficit, nisi accedat actus voluntatis quo illa susceptio fiat voluntaria. Nec refert, quod ille actus non requiratur in infantibus qui per baptismum iustificantur, quia illi propria voluntate non peccarunt, & ideo non egent retractatione propriæ voluntatis.

4 Prima Conclusio: Gratia habitualis, quæ in iustificatione nobis infunditur, est vera iustitia & sanctitas, quæ nos formaliter constituit iustos & sanctos, sine novo fauore & acceptatione Dei superaddita. Patet ex Tridentino sess. 6. can. 7. vbi duo dicit. *Primo*, formalem causam nostræ iustificationis esse iustitiam Dei, non illam qua Deus in se iustus est, sed qua nos iustos facit, & qua nos verè iusti sumus & nominamur. Si ergo sumus verè iusti per gratiam habitualem, necesse est gratiam habitualem esse veram iustitiam. *Secundo* dicit, gratiam habitualem esse unicam formalem causam nostræ iustificationis. Ergo per illam solam sumus formaliter iusti, & non per fauorem & acceptationem Dei superadditam. Et ratio est, quia si gratia habitualis non facit nos formaliter iustos & sanctos, sed sola Dei acceptatio ad presentiam illius qualitatis; sequitur non esse in nobis veram iustitiam & sanctitatem; sed nos esse sanctos extrinseco Dei fauore: quæ est heres Lutherorum & Calvinistarum. Sequela patet, quia, si totum id, quod nobis realiter inhæret, non est vera iustitia, iam non habemus veram iustitiam inhærentem, sed tantum extrinsecam & imputam

imputatiuam. Ergo non sumus iusti in nobis, sed tantum  
in acceptatione Dei. Hoc autem haereticum est & damna-  
tum in Trident. sess. 6. can. 11. his verbis: *Si quis dixerit gra-  
tiam qua iustificamur, esse tantum fauorem Dei, anathema sit.*  
Hoc autem dicunt illi, qui docent gratiam in ratione qua-  
litatis non iustificare, sed in ratione iustitiae & sanctitatis.  
Hanc autem rationem iustitiae & sanctitatis nihil aliud esse  
quam fauorem & acceptationem Dei.

5 Secunda Conclusio: Gratia habitualis non tantum est  
vera iustitia & sanctitas, qua formaliter iusti & sancti su-  
mus, ut probauimus: sed etiam est integra iustitia & sancti-  
tas, qua iusti & sancti sumus: ita ut non egeat fauore nouo  
& acceptatione Dei per quam perficiatur in ratione iusti-  
tiae & sanctitatis.

Probatur Primo ex dictis. Nam si nostra sanctitas consta-  
ret partim ex gratia habituali, partim ex Dei fauore & ac-  
ceptatione superaddita: iam gratia habitualis non esset  
unica formalis causa nostrae iustificationis: sed tantum esset  
altera pars causae formalis: quod est contra Concil. Triden.  
Secundo, quia impossibile est, imperfectam iustitiam compleri extrinseco Dei fauore, ut veram habeat rationem iu-  
stitiae & sanctitatis. Nam fauor Dei vel ponit aliquid in re,  
vel nihil, si nihil, non potest re ipsa perficere iustitiam in-  
haerentem. Si aliquid, quid illud est?

Dices: Prius natura sumus grati & accepti Deo, quam  
accipiamus gratiam habitualem. Ergo per illam non effici-  
mur formaliter sancti & grati Deo. Ergo utraque conclu-  
sio falsa est. Anteced. probatur ex Durand. in 1.d.17. quest. 1.  
quia omnis effectus ordine naturae est posterior sua causa.  
Sed gratia habitualis est effectus diuinae dilectionis circa  
nos: quia Deus sua dilectione est causa omnium donorum  
supernaturalium quae nobis conferuntur. Ergo prius est  
nos diligere Deo quam accipere gratiam habitualem. Ergo  
etiam prius est nos esse Deo gratos & acceptos quam ha-  
bere gratiam habitualem. Hanc sententiam Durandi vide-  
tur approbare. Dom. Sot. in 4.d. 1.q. 3. a. 1. Et ex eadem sequitur  
applicaci nobis merita Christi non tantum in infusione do-  
norum gratie, sed etiam antea, nempè in ipsa dilectione, seu  
acceptatione Dei, quae prior est infusione donorum gratie.

678 C A P . XXXI . D E S A C R A M E N T I S  
Nam illa acceptatio & fauor Dei erga nos , debet fundari in meritis Christi . Resp . Hæc sententia fauet Calvinistis , quia , si homo esset gratus & acceptus Deo priusquam in se haberet donum gratiæ & sanctitatis , sequeretur illum prius iustificari & mundari à peccatis , quam haberet in se iustitiam inhærentem : ac proinde iustificari extrinseco tantum fanore per imputationem Christi meritorum : quod planè hæreticum est .

Argumentum Durandi facile soluitur . Nam amor Dei , quo Deus vult nobis iustitiam & sanctitatem inhærentem , dicit duplē respectum , vnum ad iustitiam & sanctitatem tanquam ad bonum supernaturale , quod nobis vult : & sic vocatur amor concupiscentiæ : alterum ad nos ipsos , quibus vult illud bonum : & sic est amor benevolentia . Itaque amor ille non versatur circa nos tanquam iustos & sanctos : sed tanquam circa peccatores indigentes sanctitate & iustitia , ut per eam sancti & iusti efficiamur . Itaque in illo instanti naturæ , quo dilectio Dei prior est suo effectu , nempè dono sanctitatis & iustitiae , non sumus grati & accepti Deo , sed peccatores , quos ipse vult facere sanctos & sibi gratos per donationem iustitiae inhærentis .

Dices : Si in illo naturæ instanti diligit nos Deus . Ergo nos sumus dilecti à Deo . Ergo & grati . Respondeo . In illo instanti non diligit nos tanquam iustos , sed diligit nos ad iustitiam , id est , vult nobis conferre iustitiam per quam constituamur iusti & grati Deo .

*20 521* 7 Tertia Conclusio : Gratia habitualis , cum sit vera & perfecta iustitia , & sanctitas nobis inhærens , sufficienter tollit maculam peccati mortalis , sine nouo fauore & condonatione Dei superaddita .

Probatur *Primo* ex dictis , quia sola gratia habitualis est formalis causa nostræ iustificationis , vt definit Concilium Tridentinum . Iustificatio autem includit duas partiales mutationes , quarum una consistit in sanctificatione & renouatione interioris hominis : altera in peccatorum remissione : vt docet *ibid.* Concilium Tridentinum . Ergo sola gratia habitualis est formalis causa utriusque mutationis . Ergo per illam solam sufficienter tolluntur peccata , & interior homo sanctificatur & renouatur .

Secundo

*Secundo probatur, quia per baptismum omnia peccata sufficienter tolluntur. Sed baptismus non aliter tollit, quam conferendo gratiam habitualem. Tertio, quia Scriptura opponit peccatum & gratiam iustificante. Roman. 6. vers. 18. Liberati autem à peccato servi facti estis iustitiae. Et 1. Thessalonicens. 4. vers. 7. Non enim vocavit nos Deus in immandiciam (id est peccatum) sed in sanctificationem.*

*Quarto, quia si sola gratia non tollit peccatum. Ergo potest cum peccato consistere. Ergo si postea tollitur peccatum, tollitur solo fauore Dei extrinseco : quod est impossibile, ut quest. seq. patet.*

*Quinto, quia duplex est macula peccati mortalis, ut supra dixi : Una consistit in eo, quod voluntas proprio actu se auerterit à Deo, & non iterum se ad illum conuerterit. Altera consistit in priuatione gratiae. Vtraque sufficienter tollitur per infusionem gratiae sanctificantis : De posteriore patet, quia priuatio tollitur per oppositam formam. Ergo priuatio gratiae tollitur per infusionem gratiae. De priore probatur, quia auersio habitualis quæ moraliter manet ex auersione actuali nō retractata, sufficienter tollitur per conversionem habitualem. At gratia iustificans est habitualis conuersio ad Deum. Ergo per illam tollitur habitualis à Deo auersio. Voluntas enim non tantum mutatur per actum à se elicitem, sed etiam per actum diuinum, quo producitur noua qualitas in voluntate, qua formaliter fit grata & accepta Deo. Non potest autem esse grata Deo, si maneat auersio à Deo. (Id connaturaliter fieri nequit, quicquid sit de potentia Dei absoluta, de qua postea.)*

Dices : *Sola infusio gratiae non videtur sufficere ad tollendam maculam, quia in hoc statu nullum peccatum remittitur, nisi per Christi merita. Ergo præter gratiam requiritur applicatio meritorum Christi, que fit per liberam Dei condonationem. Repondeo. Ad hoc respondet Tridentinum. eff. 6. cap. 7. aliterens, merita Christi applicari per ipsam infusionem iustitiae (seu gratiae). Nam iustitia, quæ infunditur in iustificatione, & quæ sola formaliter iustificat non infunditur, nisi propter merita Christi; ac proinde merita Christi sufficienter applicantur per hanc iustitiae donationem & infusionem. Hinc potius confirmatur nostra*

conclusio : quia , si præter iustitiam inhærentem necessaria esset libera Dei condonatio ad tollendum peccatum , iam merita Christi non applicarentur per solam infusionem gratiæ ; sed simul per liberam Dei condonationem ; quod tamen minimè Concil. Trid. agnoscit.

8 Quarta Conclusio : Gratia habitualis non solùm sufficenter tollit maculam peccati mortalis , sed etiam offendam & iniuriam Deo factam. De offensa patet , quia Deus non est offensus nisi propter peccati maculam. Si ergo macula sublata est , non potest manere offensa. De iniuria similiter patet , quia formalis iniuria tollitur sublata macula & offensa. Materialis autem tollitur per sufficientem compensationem , quæ fit ex applicatione meritorum Christi in infusione gratiæ.

Dices : Ergo gratia data ex meritis Christi est efficacior quam gratia ex sola Dei liberalitate concessa , quia illa prestat sufficientem compensationem , hæc non item. Respondeo. Verum est gratiam Christi esse ex ea parte efficaciem : nihilominus ex altera parte sufficeret etiam gratia secundum se spectata. Est enim connaturale & quodammodo esse entiale gratiæ , ut sit quedam Diuinæ naturæ participatio , & constituat nos Dei Filios per adoptionem : & consequenter tribuat ad vitam æternam , ut patet 2. Pet. 1. v. 4. Ut per hæc (dona gratiæ ) efficiamini Diuinæ consuætes naturæ , 1. Ioan. 3. v. 1. Videte qualēm charitatem dedit nobis Pater , ut Filij Dei nominemur & simus. Rom. 8. v. 17. Si autem filii , & hæredes. Ad Tit. 3. v. 5. Saluos nos fecit per Iauacrum regenerationis , ut iustificati gratia ipsius hæredes simus vita æternæ. Hinc sequitur eo ipso , quod Deus dat nobis gratiam , dare simul ius ad vitam æternam , & constituere nos filios & hæredes vita æternæ : & consequenter non manere in nobis reatum aut obligationem poenæ æternæ. Hæc enim obligatio non potest naturaliter consistere cum iure adoptionis. Non enim connaturaliter fieri potest , ut idem sit hæres vita æternæ , & simul reus mortis æternæ.

Hinc vñterius sequitur , si per gratiam sumus hæredes vita æternæ & liberati à reatu poenæ æternæ , iam non requiri ullam satisfactionem ad illam æternam poenam compensandam. Sicut enim per gratiam donatur nobis ius vita æternæ;

æternæ ; ita per eandem condonatur obligatio pœnæ æternæ. In hoc ergo differt gratia Dei secundum se spœcta à gratia Dei ex meritis Christi concessa , quod illa per condonationem , hæc etiam per satisfactiōnem suffi- ciente tollat iniuriam Deo factam. Illa tamen condonatio non est extrinseca & superaddita gratiæ , sed ipsi intrinseca & connaturalis , ut dictum est.

9. Quinta Conclusio. Gratia habitualis non solùm expellit peccatum mortale , quoad maculam , offensam & iniuriam , vt probatum est , sed etiam nullo modo potest consistere cum peccato mortali. Ut colligitur ex 2. Cor. 6. v.15. *Quæ conuentio Christi ad Belial?* & 1.Ioan.3.v.9. *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipſius in eo manet, & non potest peccare.* Vbi Apostolus docet semen Dei , id est , gratiam iustificantem non posse consistere cum peccato. Et probatur primo ex vtriusque effectibus ; quia fieri non potest per absolutam Dei potentiam , vt idem homo ( secundum animam ) simul sit mundus & immundus , simul iustus & iniustus , simul filius Dei , & filius Diaboli , simul dignus vita æterna , & dignus morte æterna , simul innocens & reus. Ergo peccatum non potest consistere cum gratia. Quando enim effectus formales non possunt simul consistere , tunc nec ipsæ formæ pos- sunt consistere. Secundo probatur , quia Calvinistæ meritò reprehenduntur à Catholicis , quod dicant peccata non tolli , sed tegi per iustitiam Christi imputatiuam ; & ita fieri posse , vt idem sit peccator in se , & iustum extra se , nem- pe in Christo. At facilius intelligitur eundem hominem per peccatum inhærens esse peccatorem in se , & per iusti- tam alienam esse iustum in alio : quam per inhærens pec- catum esse peccatorem in se , & simul per iustitiam inhærentem esse iustum in se. Ergo si illud meritò reprehendi- ditur , multò magis hoc reprehendi debet. Tertio , quia im- plicat peccatum mortale tolli per solam Dei extrinsecam donationem , vt patebit seq. quest. Hoc autem sequeretur , si dicamus peccatum posse cum gratia consistere. Si enim potest cum ea consistere , & potea tollitur , non tollitur nisi per condonationem. Quarto probatur à priori. Nam tria sunt in peccato. Primo duplex macula. Secundo , inimi-

682 C A P . X X X I . D E S A C R A M E N T I S  
citia seu offensa. *Tertio* iniuria Deo facta. Gratia cum nullo horum potest subsistere. De macula patet, quia prior macula nihil est aliud, quam habitualis auersio à Deo. At gratia est habitualis conuersio ad Deum. Fieri autem non potest ut anima habitualiter auersa à Deo tanquam à fine vltimo simul maneat habitualiter conuersa ad Deum, tanquam ad finem vltimum. Posterior macula est priuatione gratiae. Hæc autem non potest simul esse cum gratia: quod certum est, cum absolute non possint lux & tenebrae simul esse. Iam inimicia seu offensa Dei non potest manere sublata macula. Denique nulla iniuria ibi est, ubi est perfecta condonatio vel satisfactio. Hæc autem fit per gratiam Christi.

10 Ad *primum* argumentum primæ opinionis resp. plus pugnare inter se peccatum & gratiam, quam calorem & frigus, ut ex dictis patet. Ad *secundum* respon. nego gratiam posse consistere cum peccato actuali mortali. Deus enim ratione suæ Bonitatis & Iustitiae non potest conseruare gratiam cum peccato mortali. Repugnat enim Bonitati Dei amicum, & filium adoptiuum odiisse. Similiter repugnat Iustitiae Dei inimicum & iniustum amare, & hæredem constituere. Ad *tertium* respon. varia est oppositio inter peccatum & gratiam. Nam macula peccati, quæ consistit in priuatione gratiae, opponitur gratiae priuatione: altera, quæ consistit in auersione, opponitur illi, quasi contrarie: Similiter gratia & offensa contrarie opponitur. Ad *quartum* respon. quamvis peccatum sit aliquid morale, potest tamen, & debet tolli per aliquid physicum. Sicut obligatio unius hominis erga alium est quid morale, & tollitur per physicam voluntatem, qua, cui alter est obligatus, ille vult remittere obligationem. Ad *quintum* respon. offensa non est infinita nisi obiectuè, Deus enim, quia offenditur, infinitus est. Hanc autem offensam sufficienter gratia habitualis tollit, quæ facit hominem Deo gratum & amicum.

Ad unicum argumentum secundæ opinionis resp. peccatum, quod liberè est commissum, posse tolli per mutationem factam in voluntate, siue illa mutatio sit libera, siue non sit, modo sit peccato opposita. *Cong. Trid. loco cit.*

tantum agit de ordinaria iustificatione adulorum, quæ sit per voluntariam susceptionem donorum gratiæ. De mente D. Thom. litigant interpretes.

## QVÆSTIO V.

*An peccatum mortale possit tolli per solam condonationem Dei, nulla facta mutatione reali in peccatore?*

1 Affirmant Scotus, Gabriel, & alij citati. Et probatur primo, quia reatus poenæ tolli potest per solam condonationem. Ergo & reatus culpæ. Secundo, quia Deus est supremus Dominus, & à nullo dependens. Ergo potest remittere iniuriam sibi factam sicut ipsi placuerit. Tertio, quia quando homo condonat alteri iniuriam vel offendam, non est opus physica mutatione in eo cui fit condonatio. Quarto, quia macula & offensa non est aliquid physicum, sed morale. Ergo potest tolli per solam mutationem moralem. Quinto, quia Deus potest homini remittere voti debitum, quo se obstrinxerat per solam ablationem debiti, quæ est mutatio tantum moralis. Sexto, quicquid Deus potest facere per causam secundam, potest etiam per se facere. Sed per causam secundam potest tollere peccatum infundendo gratiam. Ergo etiam per se. Septimo, quia peccata venialia, cum possint consistere cum gratia habituali, tolluntur per solam condonationem. Ergo etiam mortalitia possunt ita tolli. Octavo, Deus potest infundere gratiam peccatori dormienti, & ita peccatum ab eo expellere: postea adhuc dormientem potest eum priuare gratia, & tunc manebit sine peccato & gratia. Ergo sicut sunc peccatum manet ablatum sine prælenti gratia, ita prius auferri potuit sine gratia. Ergo etiam sine villa physica mutatione peccatoris. Hoc vrget P. Suarez.

2 Prima Conclusio. Peccatum mortale potest dupliciter remitti seu tolli. Primo perfectè, non solum tollendo peccatum, sed etiam restituendo hominem in gratiam. Secundo, imperfectè, tollendo quidem peccatum, non tamen restituendo hominem in pristinum statum iustitiae, & amicitie

*co<sup>ra</sup>c* 3 Secunda Conclusio. Peccatum mortale, quod propria voluntate contractum est, nec perfectè nec imperfectè potest tolli per solam extrinsecam Dei condonationem, sine physica mutatione peccatoris. Probatur *primo*, quod immediatè non pendet à voluntate Dei, hoc sola Dei voluntate tolli non potest. Sed peccatum mortale non pendet immediatè à voluntate Dei, sed à voluntate, seu libero actu peccatoris. Ergo, &c. Confirmatur, quia quamdiu perseverat adæquata causa alicuius effectus, ita ut nullo modo causa mutetur, tamdiu manet effectus qui ab illa sola essentialiter dependet. Sed adæquata causa peccati est voluntas peccatoris. Ergo, quamdiu hæc non mutatur tamdiu manet peccatum. *Secundo*, quia certum est peccatum actuale non posse tolli sola Dei voluntate, nisi voluntas peccatoris cesset ab actu peccati. Ergo nec macula relictæ ex peccato actuali potest tolli sola Dei voluntate. Est enim par ratio. Nam ideo actuale non tollitur sola Dei voluntate, quia immediatè non pèdet à Dei voluntate, sed peccatoris. At idem est de macula. *Tertio* probatur: quia quando Deus in tempore remittit peccatum, vel hoc facit præbendo realem influxum, vel suspendendo realem influxum, vel merè negatiuè se habendo. Si præbet realem influxum, E. fit aliqua realis mutatio in homine: quod nos contendimus. Si suspendit influxum (actionis peccati) fit etiam mutatio realis ab esse ad non esse. Si negatiuè se habet. Ergo de nouo non tollitur peccatum, quia etiam antè negatiuè se habebat. *Quarto*, quia tria sunt in peccato mortali, macula, offensa, & iniuria Deo facta. Macula, si consistit in voluntaria auersione à Deo non retractata, non potest tolli, nisi auersio retractetur. Hæc autem non potest retractari sine mutatione actuali, aut habituali peccatoris. Si autem macula consistit in priuatione gratiæ, non potest tolli nisi vel infundatur gratia, vel cesset debitum habendi gratiam. Hoc autem debitum non cessat in homine, qui propria voluntate illud contraxit, nisi mutetur voluntas. Offensa seu inimicitia Dei non potest cessare, quamdiu macula non cessat. Est enim impossibile, quod Deus non oderit pec-  
catum

catum quamdiu est. Iniuria materialis condonari potest, non autem formalis manente macula.

4 Ad *primum argumentum contrarium respon.* reatum pœnæ non posse tolli nisi sublata culpa. Potest quidem Deus cōdonare ipsam pœnam, sed non potest tollere reatum, seu dignitatem pœnæ manente culpa. Ad *secundum.* Potest Deus condonare iniuriam materialem, non autem formalem, nisi culpa sublata. Ad *tertium.* Quando vnuus homo condonat alteri offendam, semper fit realis mutatio, vel in solo condonante, vel utroque. Ad *quartum.* Sicut macula contrahitur per mutationem realem; ita non potest tolli sine mutatione reali. Ad *quintum debitum voti non auferatur,* nisi is, qui tenetur voto, intelligat hanc esse voluntatem Dei, & sic iudicet se non teneri: quod fit per mutationem physicam. Ad *sexuum.* quicquid Deus potest facere per causam secundam efficientem, potest facere per se ipsum, exceptis actibus vitalibus, quicquid autem potest facere per causam secundam in genere cause formalis, non potest facere per se ipsum. Non enim potest parietem album facere sine albedine. Ad *septimum,* peccata venialia non tolluntur sola Dei voluntate, sed contritione peccatoris. Ad *octauum,* Deus potest facere ut peccatum, quod semel ablatum est, maneat ablatum sine gratia: nō tamen ut res ipsa auferatur sine gratia, aut aliqua mutatione peccatoris.

### Q V A E S T I O      VI.

*An vnum peccatum mortale tolli possit sine alio?*

1 **H**oc dupliciter intelligitur. *Primo*, secundum legem ordinariam. *Secundo*, de potentia Dei absoluta.

2 Prima Conclusio. Secundum ordinariam Dei legem *fere* non potest vnum mortale remitti sine alio. S. Thom. art. 3. Probatur *primo*, quia mortale ordinariè non tollitur sine gratia habituali. Sed gratia non patitur secum ullum peccatum mortale. Ergo per infusionem gratiæ tolluntur omnia simul mortalia. *Secundo*, quia mortale, vel tollitur in sacramento, vel extra Sacramentum. In Sacramento tollitur per attritionem & gratiam. Gratia autem tollit omnia. Extra Sacramentum tollitur per contritionem & gratiam.

Nemo

Nemo autem potest conteri de vno mortali , quatenus est offensa Dei , quin conteratur de omnibus sub eadem ratione. Ergo vnum non potest remitti per contritionem , nisi omnia remittantur. Simili argumento probant Theologici hominem non posse amittere fidem circa vnum articulum , quin amittat circa omnes. Fides enim ntititur auctoritate Dei reuelantis. Si ergo is , qui in vno articulo contemnit reuelationem Dei , censetur in omnibus eam contemnere : sic etiam , qui in vno peccato detestatur offenditam Dei , censetur in omnibus eam detestari.

3 Dices primo , peccata mortalia non sunt necessariò inter se connexa. Ergo vnum potest remitti sine alio. D. Thom. art. 3. ad 3. responderet , peccata non quidem esse connexa , quantum ad conuersionem ad creaturam : esse tamen connexa , quantum ad auersionem à Deo. Respondeo , licet non sint connexa , tamen gratia iustificans , quæ expellit vnum , necessariò expellet omnia.

4 Dices secundo , peccata sunt quædam debita , quæ nobis relaxari petimas in oratione Dominica. Ergo sicut homo potest homini dimittere vnum debitum sine alio , ita Deus potest vnum peccatum dimittere sine alio. Resp. quando est debitum solius iustitiae , tunc vnum potest remitti sine alio : non autem quando est debitum amicitiae recuperandæ. Deinde in peccato mortali sunt hæc tria , macula , offensa & iniuria. In singulis est quoddam debitum. Nam in macula , quæ consistit in aduersione à Deo , est debitum conuertendi se ad Deum : hoc tollitur per contritionem , & dilectionem Dei super omnia. In altera macula consistente in priuatione gratiae est debitum recuperandi gratiam: hoc tollitur per gratiae infusionem. Sublatto autem debito quod est in macula , auferitur etiam debitum , quod oritur ex parte offensæ , seu inimicitiae Diuinæ. Porro debito quod nascitur ex iniuria Deo facta , partim tollitur per gratiam , partim per condonationem , & satisfactionem Christi. Nam gratia sicut tollit peccati maculam : ita tollit formalem iniuriam : Satisfactione autem , vel condonatio tollit materialem.

5 Dices tertio , Deus dimitit homini peccatum per suam dilectionem. Sed potest hominem diligere quantum ad vnum ,

vnum, & manere illi offensus quantum ad aliud. Ergo potest vnum peccatum remittere sine alio. Minor patet ex simili, quia diligit hominem quantum ad naturam, & odit quantum ad culpam. Resp. duplex est Dei dilectio circa nos. Una naturæ, quæ ordinatur ad finem naturalem. Altera gratiæ, quæ ordinatur ad gloriam, seu finem supernaturalem. Hæc debet esse talis, ut tollat omnia impedimenta ad gloriam, id est, omnia peccata mortalia.

6 Secunda Conclusio. Nec per absolutam Dei Potentiam potest vnum mortale remitti sine alio, si verum est, quod supra diximus, peccata non remitti per solam Dei condonationem extrinsecam, sed per contritionem, aut gratiam iustificantem. Ratio patet ex dictis, quia nec contritio potest esse circa vnum, nisi sit circa omnia, nec gratia potest tollere vnum, nisi tollat omnia.

Dices: cum duplex sit macula peccati mortalis, contritio per se potest vnam tollere sine altera, in statu naturæ, & etiam gratiæ. Ergo contra conclusionem est. Resp. non conferimus hic duas maculas unius peccati inter se, sed varias maculas diuersorum peccatorum. Et dicimus non posse tolli maculam unius peccati per contritionem, aut gratiam, quin tollantur maculae aliorum peccatorum quæ sunt eiusdem generis.

### Q V A E S T I O V I I .

*An remissa culpa remaneat pena reatus?*

1 **H**oc potest dupliciter intelligi. Primo, de reatu poenæ æternæ. Secundo, de reatu poenæ temporalis. Item potest esse sermo de lege ordinaria, vel de absoluta.

2 Prima Conclusio. Secundum ordinariam legem, quemadmodum remittitur culpa mortalis, simul etiam remittitur reatus poenæ æternæ. Ita D. Thom. art. 4. Probatur primo, quia ordinariè culpa remittitur per gratiam. Sed gratia ex sua natura constituit hominem dignum vita æterna. Ergo tollit reatum, seu dignitatem poenæ æternæ. Non enim potest quis simul esse dignus vita, & poena æterna. Secundo, quia per infusionem gratiæ applicantur nobis merita Christi, ut dixi supra ex Tridentino. Hæc autem sufficien-

sufficienter compensant iniuriam Deo factam, ex qua ori-  
tur reatus, seu obligatio poenæ æternæ?

**3** Quæres: an de potentia Dei absoluta fieri possit, ut per infusionem gratiæ remittatur culpa, & maneat reatus poenæ æternæ? Aliqui cum Suarez affirmant. *Primo*, quia culpa, & poena non sunt necessariò connexa. Ergo unum ab altero separari potest. *Secundo*, quia manente culpa posset Deus condonare poenam æternam. Ergo vicissim manente poena posset condonare culpam. *Tertio*, quia ut multi docent, posset Deus hominem innocentem afficere perpetuo cruciatu, cùm sit absolutus Dominus omnium rerum. Respon. *Primo*, aliud est reatus poenæ, aliud ipsa poena. Deus non potest alicui remittere culpam mortalem per infusionem gratiæ, non remittendo reatum poenæ æternæ. Ratio, quia reatus poenæ nihil est aliud quam dignitas poenæ. At homo iustus, innocens & hæres vitæ æternæ non potest esse dignus poena æternæ. Ergo non potest habere reatum poenæ æternæ. *Secondo*, Deus non potest hominem iustum & innocentem etiam si antea fuerit peccator, punire tali poena æterna, qualem nunc patiuntur damnati. Ratio est, quia illa poena includit odium Dei, desperationem, blasphemiam, & vermem conscientię, quæ omnia repugnant homini iusto & innocentio. *Terzio*, non potest iustum & innocentem, si ab eo statu per peccatum non excidat, priuare æterna Beatitudine. Ratio est, quia Deus non potest esse iniustus. Ergo non potest alicui in perpetuum negare, quod illi iure debetur. At homini iusto, & habenti gratiam iustificantem debetur vita æterna. Ergo Deus sine noua ipsius culpa non potest illam in perpetuum negare. Respon. *Quarto*, Deus non potest hominem, qui esset in statu puræ naturæ (ante Iapsum) suo solo arbitrio afficere perpetuis tormentis. Ratio, quia homo in tali statu ratione liberi arbitrij habet ius perueniendi in naturalem beatitudinem. Hoc autem ius per vim non potest violari sine iniustitia. Deus autem non potest esse iniustus.

Dices: Deus est absolutus Dominus omnium creaturarum. Ergo potest de iis statuere sicut vult. Quis enim illi resistit? Hinc S. August. cap. 16. lib. de prædest. & gratia, ait:

ait: *Si humanum genus non cum debito mortis, & peccato originis nasceretur; & tamen ex iis creator omnipotens in aeternum nonnullos damnare vellet interitum, quis omnipotenti creatori diceret, quare fecisti sic?* Respon. si praeceps spectemus potentiam Dei, non repugnat illi hoc facere, vt patet ex verbis citatis S. August. Si autem spectemus iustitiam Dei, repugnat, vt patet ex eodem August. Epist. 106. cum ait: *Hec massa si ita esset media, ut, quemadmodum nihil boni, ita nec mali aliquid mereatur, non frustra videretur iniquitas, ut ex ea fierent vas in contumeliam.* Et lib. 3. contra Iulianum cap. 28. *Bonus est Deus. Iustus est Deus: Potest aliquis sine bonis meritis liberare, quia bonus est: non potest quemquam sine malis meritis damnare, quia Iustus est.* Sed de his alibi fusiis.

4 Secunda Conclusio. Post remissam culpam, & reatum poenæ manet aliquando reatus, seu obligatio poenæ temporalis. Hoc dupliciter intelligi potest. Primo de temporali huius vitæ. Secundo, de ea temporali quæ in Purgatorio luenda sit. Hanc posteriorem negant Lutherani & Caluinistæ, contra quos agendum est in materia de Purgatorio. Priorem, de qua hic agimus, concedunt quidem, sed non eo sensu, quem nos intendimus. Potest enim dupliciter intelligi post remissam culpam manere aliquam poenam temporalem huius vitæ. Primo, vt puniat nos Deus per eam in vindictam præteriti peccati. Secundo, vt per eam nos faciat cautores in futurum. Igitur Caluin. 3. Inst. 4. §. 31. & seqq. docet fideles (prædestinatos) nunquam puniri à Deo vindictam peccati præteriti, sed tantum ad resipiscientiam, & emendationem in futurum. Distinguit autem Caluinus duplex iudicium Dei. Vnum vindictæ, quo Deus vicitur reprobos ad interitum, & confusionem. Alterum castigationis, quo verberat filios ad emendationem. In priore dicit Deum esse iudicem: in posteriore Patrem. In illo apparere iram, & indignationem Dei: in hoc amorem & benevolentiam. Hinc infert poenas fidelium respicere tempus futurum, non præteritum.

At Catholici sic sentiunt. Primo, quod Deus aliquando puniat reprobos eo fine ut resipiscant, licet ipsi non int̄ resipiscere. Secundo, quod puniat etiam fideles, cum

in peccatum prolapsi sunt, ut poenitentiam agant. *Tertio*, quod aliquando etiam puniat fideles post remissam culpam, non solum ad cautelam; sed etiam in ultionem præteriti peccati. Hoc contra Caluinum probo. *Primo*, ex exemplo infantium, qui post Baptismum moriuntur. Nam in his post remissam culpam originalem in Baptismo manet obligatio subeundæ mortis. Mors autem est poena peccati originalis. Rom. 5. v. 12. *Per peccatum in omnes homines mors pertransiit.* Constat autem eiusmodi infantes, qui ante usum rationis moriuntur, non puniri ad emendationem, sed ad vindictam. *Secundo*, probo exemplo adulorum, v. g. Dauidis, qui post impetratam veniam adulterij, & homicidij punitus est morte filij quem ex adulterio suscepserat. Quod autem punitus sit in vindictam præteriti peccati patet, 2. Reg. 12. vers. 13. *Dixit Dauid ad Nathan: Peccavi Domino. Dixitque Nathan ad Dauid: Dominus transiit peccatum tuum. Verumtamen quoniam blasphemare fecisti inimicos nomen Domini, propter verbum hoc filius qui natus est tibi, morte morietur.* *Tertio*, Exemplo eiusdem Dauidis, qui post remissam culpam superbia in numerando populo, debebat in vindictam huius peccati eligere aut bellum, aut famem, aut pestem, 2. Reg. 24. vers. 10. *Quarto*, Exemplo Moysis & Aaron, qui ob peccatum incredulitatis puniti sunt morte in deserto, non ad emendationem, sed ad ultionem. Num. 20. vers. 12. *Dixit Dominus ad Moysem & Aaron: quia non credidistis mihi, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis.* Et Deut. 31. vers. 48. *Locutus est Dominus ad Moysem dicens: ascende in montem istum, & mouere, sicut mortuus est Aaron frater tuus, quia prævaricati estis contra me in medio filiorum Israël.* *Quinto* probatur ex ipso Caluino, qui lib. 3. cap. 8. §. 6. sic ait: *Addo quod non modo infirmitatem nostram præuenire, sed præterita etiam delicia corrigere necesse habet sæpe clementissimus Pater: proinde quoties affligimur, subire protinus in mentem debet antealæ vitæ recordatio: ita procul dubio reperiemus nos admississe quod dignum eiusmodi castigatione esset.* *Sexto*, solet probari hac ratione: quia homo per peccatum iudit amicitiam Dei, & iustitiam. Ergo recuperata amicitia per contritionem, & dilectionem potest restare poena ratione iustitiae.

iustitiae violatæ. Nos in ultima obiectione dabimus rationem à priori.

5 Prima Obiectio. Ezech. 33. v. 12. *Impietas impū non nocet ei, in quacumque die conuersus fuerit ab impietate sua.* Ergo post remissam impietatem, aut culpam non superest alia pœna temporalis; alioqui adhuc noceret impiò sua impietas. Respon. Propheta confert inter se iustum, & impium hoc modo: Si iustus peccauerit, iustitia non proderit illi ad vitam æternam, si impius egerit pœnitentiam, impietas non nocet ei ad consequendam vitam æternam.

6 Secunda Obiectio. Christus absoluens adulteram dixit illi: *Vade, & noli amplius peccare,* vt Ioan. 8. vers. 11. Et nullam fecit mentionem pœnæ temporalis sustinendæ. Relp. *Primo*, non constat an illam adulteram absolverit à peccato, an solùm à pœna lapidationis. *Secundo*, etiamsi absoluisset illam non solùm à peccato, sed etiam ab omni pœna temporali; nihil contra nos esset. Non enim dicimus semper manere pœnam temporalem post culpam remissam, sed aliquando.

7 Tertia Obiectio. Christus sufficienter satisfecit pro peccatis nostris, non solùm quoad culpam, sed etiam quoad pœnam. Ergo quando satisfactio ipsius nobis applicatur per gratiæ infusionem, tollitur culpa cum pœna. Resp. applicatio illa fit secundum voluntatem Dei, qui sepe applicat satisfactionem Christi pro culpa, & pœna eterna, non tamen pro temporali, vt ex Scripturis ostensum est.

8 Quarta Obiectio. Sublata causa tollitur effectus. Sed culpa est causa reatus pœnæ. Ergo sublata culpa tollitur pœna. D. Thom. artic. 4. ad 1. dicit duo esse in peccato, vnum est auersio à Deo, cui respondet pœna damni, quæ ex se æterna est. Alterum est conuersio ad creaturam, cui respondet pœna sensus, quæ ex se temporalis est, & solùm fit æterna ex coniunctione cum pœna damni. Ergo, quia per iustificationem tollitur auersio; quod est formale in peccato, simul etiam tollitur pœna damni, quæ æterna est. Et quia non tollitur conuersio; quod est materiale in peccato; non tollitur etiam pœna sensus, quæ temporalis est, præsertim quando non

692 C A P . XXXI . D E S A C R A M E N T I S  
est coniuncta cum poena damni , à quo solet accipere  
æternitatem . Vnde fit , vt sublata culpa & poena æterna ,  
supersit poena temporalis .

Hæc solutio non videtur satisfacere . *Primo* , quia in pec-  
cato mortali non sunt duo distincti actus , quorum alter  
fit auersio à Deo , & alter conuersio ad creaturam : sed est  
vnum idemque actus , qui propter duos respectus sortitur  
duo nomina . Hoc enim ipso quod aliquis contra legem  
Dei conuertit se ad diuitias , honores , voluptates ; simul  
auertit se à Deo , quatenus plus amat creaturam quam  
Deum . *Secundo* , hinc sequitur in iustificatione non posse  
tolli auersionem manente conuersione . Est enim idem  
actus conuersionis & auersionis , ut dictum est . *Tertio* , illa  
conuersio , si maneret , vel esset culpabilis , vel non . Si esset  
culpabilis , iam culpa non esset omnino sublata , quod est  
contra suppositionem . Si non esset culpabilis , quomodo  
responderet ei poena sensus ? Nostra solutio consistit in  
his punctis . *Primo* , reatus poenæ non oritur præcisè ex ma-  
cula vel ex offensa , sed ex iniuria Deo facta , ut supra dixi .  
*Secundo* , hinc fit , vt sublata macula , & offensa non statim  
tollatur reatus poenæ ; nisi etiam iniuria sublata sit . *Ter-  
tio* , cùm autem duplex sit iniuria , formalis & materialis ;  
reatus poenæ manet , quamdiu manet iniuria materialis .  
*Quarto* , hæc autem iniuria materialis potest tolli vel fa-  
tisfactione , vel condonatione . *Quinto* , utroque modo tolli  
potest per infusionem gratiæ , quæ datur ex meritis Chri-  
sti . Et consequenter utroque modo tolli potest reatus poe-  
næ . *Sexto* , & quidem reatus poenæ æternæ necessariò per  
infusionem gratiæ tollitur . Nam gratia , cùm tribuat ho-  
mini iustificato ius vitæ æternæ , non potest consistere cum  
reatu poenæ æternæ . Itaque Deus , cùm donat alicui gra-  
tiæ , necessariò simul condonat reatum poenæ æternæ .  
*Septimo* , reatus autem temporalis poenæ non necessariò  
tollitur per infusionem gratiæ , quia ius vitæ æternæ po-  
test bene consistere cum reatu poenæ temporalis . Hinc  
apparet , quomodo post remissam culpam possit manere  
reatus poenæ temporalis , non autem æternæ .

## QVÆSTIO VIII.

*An remissio peccati mortalis fiat gratis, an ex iustitia?*

1 **P**rimo, certum est, hominem in mortali existentem dignum esse poena æterna, & indignum omni gratia, & remissione. Secundo certum est, eum non posse habere veram contritionem de suis peccatis sine gratia excitante & adiuuante. Tertio, hanc gratiam ad habendam veram contritionem dari illi gratis. Nunc autem quæstio est, an homo, qui iam ex liberali Dei misericordia consecutus est veram contritionem, & dilectionem Dei super omnia, possit per illam pro culpa mortali condignè satisfacere; ita ut ob hanc satisfactionem & debeatur illi ex iustitia remissio culpæ, an verò requiratur adhuc noua gratia pro consequenda remissione; & ita remissio culpæ fiat gratis, & non ex iustitia?

2 Prima Opinio est, hominem per contritionem condignè satisfacere Deo pro peccato; & ita peccati remissionem esse ex iustitia, licet contritio concessa sit ex misericordia. Ratio est, quia contritio est supernaturalis forma seu actio, non minùs potens ad conuertendum hominem, quam fuit peccatum ad auertendum. Ergo per illam recuperatur, quod per peccatum fuit amissum. Ergo per eam æqualiter satisfit Deo pro peccato. Vide Gabriel Vazquez in 1.2. disput. 203. cap. 3. num. 26. vbi citat pro hac opinione Cajetanum, Medinam, Paludanum, Tapperum & Abulensem.

3 Secunda Opinio est omnino contraria, quam fusè prosequitur Franciscus Suarez tom. 1. disp. 4. sect. 8. vbi docet, primo, remissionem peccati mortalis esse speciale beneficium gratiæ distinctum à beneficio contritionis. Secundo, hanc ipsam remissionem omnino gratis dari, iuxta illud Roman. 3. vers. 24. *Iustificati gratis per gratiam ipsius.* Tertio, neminem posse Deo satisfacere de condigno pro culpa mortali à se commissa: posse tamen id facere de congruo. Quarto, hoc adeo verum esse, ut etiam homo, quatenus est membrum Christi, non possit de condigno satisfacere pro culpa mortali,

4 Prima Conclusio : Remissio peccati mortalis quatuor modis tribui potest contritioni , & dilectioni Dei super omnia. *Primo*, dispositiue. *Secundo*, formaliter. *Tertio*, meritorie de condigno. *Quarto*, satisfactorie. Potest ergo quatuor modis intelligi hæc propositio : Contritio remittit maculam peccati mortalis. *Primo*, contritio sufficienter disponit peccatorem ad remissionem peccati. *Secundo*, contritio formaliter expellit peccatum, sicut albedo nigredinem. *Tertio*, contritio est actus meritorius, quo quis de condigno meretur remissionem peccati. *Quarto*, per contritionem satisfit Deo pro peccato mortali.

5 Secunda Conclusio : Macula peccati mortalis, quæ consilit in auersione à Deo , formaliter tollitur per actum contritionis & dilectionis , non autem dispositiue, nec meritorie, nec satisfactorie. Ac *primo* tollitur formaliter ; quia, sicut albedo, & nigredo sunt formæ repugnantes, ita auersio & conuersio. Per actum autem contritionis & dilectionis Dei super omnia conuertimur ad Deum. Ergo non manemus auersi à Deo. *Secundo*, non tollitur dispositiue , quia idem respectu eiusdem non potest simul esse forma , & dispositio ad formam. Si ergo contritio est forma expellens maculam, non potest esse dispositio ad illam. *Tertio*, nec tollitur meritorie , tum quia forma non dicitur mereri suum effectum formalem ; ac proinde nec contritio potest mereri expulsionem peccati , cùm hæc expulsio sit formalis effectus contritionis, tum etiam, quia actus meritorius debet proficisci ab homine existente in statu gratiae. Actus autem contritionis proficiscitur à peccatore. *Quarto*, nec tollitur satisfactorie , tum quia non dicitur satisfacere pro suo effectu formalistum etiam, quia satisfactio potius requiritur pro iniuria , quam pro macula. Itaque rectè dici potest maculam peccati formaliter tolli per contritionem & dilectionem ; iniuriam autem satisfactorie. Loquor autem de iniuria materiali, quæ sola remanet post sublatam maculam. Nam formalis tollitur simul cum macula. Similiter loquor de contritione non præcisè , quatenus est contritio ; sed quatenus est actus supernaturalis ex gratia Christi , per quem applicatur nobis Christi satisfactio. Non ergo propriè dicendum

dicendum est, peccatorem per suam contritionem satisfacere Deo pro iniuria: sed potius per applicacionem meritorum Christi satisficeri Deo pro ipsa iniuria materiali.

6 Tertia Conclusio: Macula peccati mortalis, quæ consistit in priuatione gratiæ, dispositiue tollitur per contritionis & dilectionis actum, non autem formaliter, nec meritorie, nec satisfactorie. Ac primo tollitur dispositiue, quia actus contritionis & dilectionis est ultima dispositio ad iustificationem peccatoris, ut definiuit Concilium Tridentinum. Secundo, non tollitur formaliter; quia priuatio gratiæ non potest formaliter tolli, nisi per ipsam gratiam. Tertio, nec tollitur meritorie, quia actus contritionis non potest esse meritorius primæ gratiæ iustificantis, vt suppono ex materia de merito. Quartio, nec tollitur satisfactorie, quia propriè non satisfit pro macula, sed pro iniuria, vt dictum est. Porrò, sicut contrito, quæ formaliter tollit priorem maculam, potest esse satisfactoria pro iniuria, quæ oritur ex priore macula: ita gratia iustificans, quæ formaliter tollit posteriorem maculam, potest esse satisfactoria pro iniuria quæ sequitur ex posteriore macula. Vtraque tamen satisfactoria est, quantum per ipsam fit applicatio satisfactionis, & meritorum Christi.

7 Quarta Conclusio: Simpliciter dicendum est, remissionem peccati mortalis esse omnino gratuitam.

Probatur, quia peccatum mortale, in hoc statu, in quo sumus, semper includit priuationem gratiæ. Ergo non remittitur, nisi per infusionem gratiæ. Hæc autem est gratuita. Ergo & remissio peccati est gratuita. Cum autem in peccato mortali sint hæc tria, macula, offensa, & iniuria; quorum omnium remissio dicenda est gratuita respectu nostri, quia nos ex parte nostra nihil conferimus, propter quod ex iustitia debeatur nobis remissio alicuius illorum.

CAPVT XXXII.

*De secundo effectu Paenitentiae, qui est remissio venialium peccatorum, ex quæst. 87. D.Thom.*

Vppono maculam peccati venialis sufficienter tolli per contritionem, ut omnes concedunt. Manet ergo questio, An tolli possit. *Primo*, per solam attritionem. *Secundo*, per solam gratiam habitualem. *Tertio*, per attritionem, & gratiam habitualem simul sumptam. *Quarto*, per quoduis opus meritorium. *Quinto*, quomodo tollatur per Sacra menta. *Sexto*, quomodo per Sacra mentalia, v. g. aquam benedictam, &c. *Septimo*, an veniale remitti possit sine mortali. *Octavo*, an homo mereri possit remissionem venialis de condigno. *Nono*, an veniala remitti possit in Purgatorio. *Decimo*, an etiam in inferno possit remitti.

## Q V A E S T I O   I.

*An veniale tolli possit per solam attritionem?*

<sup>1</sup> A ffirmat Durandus in 4.d.16.q.2. Et d.21. q.1. Et Ga-  
briel d.16.q.5.art.3.dub.2. Loquitur autem non tan-  
tum de attritione hominis existentis in gratia , sed etiam  
existentis in peccato mortali. Vnde concedit aliquem pos-  
se iustificari à peccato veniali , etiamsi maneat in mortali,  
de quo infrà dicam.

**2** Prima Conclusio: Peccatum veniale non remittitur per solam attritionem in hominē peccatore. Ratio, quia veniale non remittitur fine mortali, ut infra probabimus. Sed sola attritione non remittitur extra Sacramentum mortale. Ergo nec veniale.

3 Secunda Conclusio: Veniale non remittitur per solam attritionem in homine iusto. Ratio, quia solum veniale peccatum secluso mortali est sufficiens materia confessionis. Ergo vere absolvitur & tollitur virtute clavium. Ergo virtus, & efficacia clavium vere potest se extendere ad remissionem peccati venialis. Hoc autem non fieret,

fieret, si sola attritio sufficeret; quia attritio necessariò debet adesse in sacramento, tanquam dispositio ad absolutionem. Ergo si illa sola remittit veniale peccatum, nihil facit efficacia clavium in eius remissione.

Dices cum Durando: Sola contritio tollit mortale. Ergo sola attritio tollet veniale. Sequela patet, quia sicut voluntas peccati mortalis sufficienter retractatur per contritionem; ita voluntas venialis sufficienter per attritionem. Respondeo. Voluntas ita debet mutari, ut restituatur in pristinum statum. Cum ergo per veniale aliquo modo offendatur Deus, non potest tolli veniale, nisi tollatur offensa Dei. Haec autem tollitur sola attritione, quia per actum contritionis non conuertit se homo ad Deum, sed ad pœnam, vel ignominiam, &c.

### QVÆSTIO II.

*An veniale tolli possit per solam gratiam habitualem?*

1 **Q**uæri potest. *Primo*, an sola gratia habitualis sufficiat ad tollendum veniale. *Secundo*, an sit necessaria. *Tertio*, an de facto remittatur veniale sine infusione gratiæ. *Quarto*, an quoties infunditur gratia habitualis remittuntur venialia.

2 **P**rima Conclusio. Sola gratia habitualis non sufficit ad ~~tene~~ veniale tollendum. Nam gratia præcisè spectata non opponitur veniali peccato. *Iustus*, enim, *septies in die cadit*, & tamen manet in gratia. *Secundo*, quia in eo differt mortale a veniali, quod mortale dissoluat amicitiam Dei, non autem veniale. Potest ergo veniale consistere cum amicitia Dei, & consequenter cum gratia. Vide Trident. *sess. 14. can. 5.*

3 Secunda Conclusio. Ad remissionem venialis non requiritur per se infusio gratiæ. Nam potest remitti per solam contritionem. *Secundo*, quia per se gratia non opponitur veniali. Ergo per se non requiritur ad hoc tollendum.

4 Tertia Conclusio. Nunquam tamen remittitur veniale sine infusione gratiæ quando per proprium actum remittitur in hac vita. Nam dupliciter remitti potest

698 C A P . XXXII . DE SACRAMENTIS  
veniale. *Primo*, cum mortali in homine peccatore. *Secundo*,  
sine mortali in homine iusto. *Priore* modo non remittitur  
sine gratia , quia sine hac non potest mortale remitti. Nec  
*posteriore* remittitur sine gratia , quia homo iustus vel sola  
contritione extra sacramentum liberatur à veniali. Et hoc  
non fit sine infusione nouæ gratiæ , quia actus contritionis  
in homine iusto est meritorius augmenti gratiæ . Vel libe-  
ratur à veniali in sacramento, & hoc etiam non fit sine in-  
fusione gratiæ , quia sacramentum confert gratiam ex ope-  
re operato.

Hæc doctrina est contra D. Thom. qui putat, posse re-  
mitti veniale per proprium actum sine infusione gratiæ,  
præsertim in iusto & extra sacramentum. Fundamentum  
ipsius duplex est. *Vnum*, homini iusto non infundi statim  
augmentum gratiæ propter quemcunque actum merito-  
rium ; sed tunc solùm , quando actus meritorius est inten-  
sior gratia habituali præexistente, 1. 2. *quest. 114. art. 8. ad 3.*  
*Alterum*; peccatum veniale remitti posse extra sacra-  
mentum per actum contritionis , qui est meritorius in homine  
iusto.

Ex his duobus principiis sequitur fieri posse , vt veniale  
remittatur per aliquem actum contritionis remissum ; &  
ita non statim detur gratiæ augmentum ; & consequenter  
fiat remissio peccati venialis sine infusione nouæ gratiæ.  
Nos autem putamus probabilius esse quocunque actu  
meritorio, siue remisso , siue intensò statim augeri gratiam;  
ac proinde nunquam remitti veniale in homine iusto per  
actum meritorium sine infusione nouæ gratiæ. Hæc tamen  
infusio, si fiat extra sacramentum , tantum concomitanter  
se habet respectu remissionis peccati venialis , non autem  
causaliter. Vnde, licet dissentiamus à D. Thom. in eo, quod  
dicamus semper infundi augmentum gratiæ per quem-  
cunque actum meritorium , quod ille negat: tamen in eo  
conuenimus , quod remissio peccati venialis non pendeat  
ab infusione gratiæ, sed à sola contritione extra sacra-  
mentum in homine iusto. An autem in sacramento pendeat ab  
infusione gratiæ patebit in sequenti quæstione.

5 Quarta Concluſio. Non semper, quando gratia infun-  
ditur homini iusto per propriam dispositionem , remitti-

ur peccatum veniale, sed tunc solum, quando adest actus contritionis. Hoc etiam est contra D.Thom.*hic art.2.* quia ipse putat nunquam infundi gratiam adultis sine actuali modo liberi arbitrij in Deum & in peccatum, id est, sine actu dilectionis & contritionis. Quod si ita esset, optimè sequeretur semper remitti venialia, quandocunque gratia infunditur. Nos tamen putamus probabilius, quo quis actu meritorio conferri gratiam; & ideo non semper remitti venialia, quando confertur gratia, nisi adsit contritio. Et quidem quod quo quis actu meritorio conferatur gratia, probauit in materia de merito. Quod autem hinc sequatur non semper remitti venialia, quando confertur gratia, nisi adsit contritio, per se patet; quia sola gratia habitualis per se non repugnat veniali. Ergo hoc peccatum non expellitur per infusionem solius gratiae sine contritione.

6 Quæres: An debeat esse formalis & explicita contritio; an verò sufficiat virtualis & implicita, quæ in actu dilectionis Dei continetur? Durandus tametsi putet solam attritionem sufficere, vt suprà dixi, negat tamen sufficere ullam actum dilectionis, etiam intensissimum, sine actuali displicantia. Ratio eius est, quia dilectio, quantumcunque intensa sit, non opponitur veniali; sed tantum facit hominem sanctiorem. Maior autem sanctitas potest consistere cum veniali peccato.

Rectius tamen alij docent, aliquando sufficere actum dilectionis sine expresso dolore, ad veniale delendum, non quidem ex eo, quod actu dilectionis homo fiat sanctior; sed ex eo, quod aliquando actus dilectionis virtualiter continet detestationem venialis; nimirum tunc, quando quis ita diligit Deum, vt si illi occurreret memoria peccati venialis, illud detestaretur ob Deum. Nam talis actus non tantum constituit hominem magis amicum Deo, sed etiam contrarium peccato veniali. Vnde sequitur, quod si actus dilectionis esset tam insignis, quod quis statim detestaretur quodcunque peccatum veniale, si occurreret, deleret omnia venialia. Si verò esset talis, vt aliqua tantum & non omnia detestaretur, deleret tantum aliqua & non omnia.

Dices: hoc fieri nequit, quia actus charitatis est talis naturæ, ut si unum mortale detestatur, necessariò detestentur omnia quæ occurrunt, aut possunt occurrere. Ergo similiter si detestatur unum veniale, necessariò detestantur omnia. Respond. est dispar ratio, quia mortale omnino dissoluit amicitiam cum Deo. Vnde fit ut omne peccatum mortale opponatur cuicunque actui charitatis; & omnis actus charitatis cuicunque mortali: ac proinde quicunque actus charitatis necessariò detestatur quodcunque mortale, cuius est memoria: nec potest detestari unum, quin & aliud, ut D. Thom. art. 2. docet. At veniale non opponitur cuicunque actui charitatis: nec vicissim quicunque actui charitatis opponitur cuicunque veniali. Vnde fit ut possit detestari unum & non aliud.

---

### QVÆSTIO III.

*An veniale tolli possit per attritionem coniunctam cum gratia habituali?*

**A** Liqui probabiliter affirmant, quia si homo iustus cum attritione confiteatur venialia, legitime absolvitur à venialibus. Hoc autem ideo fit, quia vi sacramenti acquirit nouam gratiam habitualem, quæ coniuncta cum attritione sufficienter expellit venialia. Alij rectius negant, quia alioqui homo iustus, qui haberet attritionem, iam esset liberatus à venialibus ante confessionem, quia etiam tunc habet gratiam habitualem; & sic venialia nunquam tollerentur vi sacramenti; quod est absurdum.

Dices: Quomodo ergo in Sacramento confessionis fit remissio venialium? Respondeo hoc patebit ex quinta questione.

---

### QVÆSTIO IV.

*An peccatum veniale tollatur per quodvis opus meritorium?*

**A** Liqui affirmant, quia si opus meritorium potest mereri vitam æternam, multò magis merebitur remissionem peccati venialis. Aliqui negant, quia alioqui homo

homo iustus sola attritione liberaretur à venialibus; quod supra refutatum est. Sequela patet; quia attritio hominis iusti est actus meritorius. Sed opus videtur distinctione. Nam tria spectari possunt in opere meritorio. *Primo*, ipsum opus secundum se, quatenus est actio quædam interna, qua voluntas in se mutatur. Hoc modo nullum opus meritorium expellit venialia, nisi contritio & dilectio Dei super omnia. Hæc enim sola actio opponitur peccato veniali, & restituit voluntatem in pristinum statum. *Secundo*. Spectari potest gratia habitualis, quam meremur per opus meritorium; & sic nullo opere meritorio tolluntur venialia, quia sola gratia habitualis non opponitur venialibus. *Tertio*. Spectari potest gratia excitans, quam meremur per opus meritorium; Et sic quolibet opere meritorio tolli possunt venialia, si per illam gratiam excitantem moueamur ad actum contritionis.

## Q V A E S T I O V.

*Quomodo peccatum veniale tollatur per Sacra menta?*

**R**atio dubij est, quia ex una parte constat venialia tolli per Sacra menta præsertim Baptismi & Pœnitentiæ. Ex altera parte non appareat, quomodo tolli possint. Non enim tolluntur per gratiam habitualem, quæ ex opere operato confertur per sacramenta. Aliqui putant tolli per attritionem in ordine ad gratiam reconciliacionis, ita ut hæc tria concurrant, attritio, voluntas reconciliandi se Deo, & gratia habitualis. Alij putant tolli per contritionem, quæ confertur vi Sacramenti, non quidem immediatè, sed mediante gratia excitante. Hoc facilius intelligitur.

## Q V A E S T I O VI.

*Quomodo veniale tollatur per Sacramentalia?*

**T**heologi per sacramentalia intelligunt certa quædam remedia contra peccatum veniale, verbi gratia, oratio Dominica, generalis confessio, tunsio pectoris, aspersio

702 CAP. XXXII. DE SACRAMENTIS  
aspersio aquæ benedictæ, panis benedictus, quælibet vncio  
sacramentoſis, oratio facta in Ecclesia conſecrata, elemo-  
ſyna; quæ omnia continentur hoc verſiculo:

Orans, tinclus, edens, confessus, dans, benedicens.

Eſt ergo quæſtio quomodo per sacramentalia hæc remit-  
tatur veniale peccatum?

2. Prima Opinio eſt, hæc sacramentalia non habere vim  
aliam remittendi venialia, niſi quod excitent in nobis mo-  
tum contritionis aut dilectionis, per quem immediate ve-  
nialia tolluntur. Ita D. Thomas art. 3, ad 1. & 3. Petrus Soto  
lect. 18. de pœnitentia, &c alij apud Henriquez. lib. 1. de sacra-  
mentis, cap. 20.

3. Secunda Opinio eſt, hæc sacramentalia per modum  
impetrationis propter fidem & orationes Ecclesiæ remit-  
tere venialia. Nam Ecclesia in benedictione aquæ, ſalis, &c.  
ſolet adhibere orationes, quibus petit, ut huiusmodi res  
benedictæ conferant ad ſalutem mentis ac corporis, ut  
conſtat in Missali Romano.

Tertia Opinio eſt hæc sacramentalia ex institutione Ec-  
clieſiæ habere vim remittendi venialia, non ratione impe-  
trationis tantum, aut quia excitant motum pœnitentiaſ aut  
contritionis, ſed ex opere operato. Ita Dominicus Soto  
in 4. diſtinct. 15. quæſt. 2. art. 3. Valentia quæſt. 4. de pœnit. part.  
3. Henriquez lib. 1. de pœnitentia, cap. 15. num. 8. Ratio eſt,  
quia hæc sacramentalia ſemper remittunt peccatum ve-  
niale, & tamen non ſemper excitant in nobis motum  
pœnitentiaſ, ut docet experientia. Ergo non remittunt ve-  
nialia ſolum excitando pœnitentiam, ſed ex opere ope-  
rato. Et confirmatur, quia ſicut aqua benedicta, ſic etiam  
alia quæuis aqua, quæ putatur eſſe benedicta, potest ex-  
citare motum pœnitentiaſ in nobis. Et ſic non eſſet diſcri-  
men inter aquam benedictam & non benedictam, quod  
eſt absurdum.

5. Prima Conclusio. Nulla sacramentalia ex opere ope-  
rato remittunt peccatum veniale. Probatur, quia tribus  
modis intelligi id potest. Primo, ut ex opere operato im-  
mediate conferant gratiam habitualem, per quam tollan-  
tur venialia. Secundo, ut ex opere operato immediate con-  
ferant gratiam actualem, qua excitemur ad contritionem  
de

de venialibus. *Tertio*, ut neutram gratiam conferant, sed immediatè remittant venialia sine vlla mutatione voluntatis. Sed nihil horum dici potest. Non *primum*, quia ita sacramentalia non differunt à sacramentis. Deinde et si conferant gratiam habitualē, non sufficeret ad tollenda venialia. Non *secundum*, quia solus Deus est author gratiae tam habitualis, quam actualis, quia solus Deus potest instituere signa sensibilia, quæ ex opere operato conferant gratiam. At sacramentalia non sunt a Deo instituta. Nec *tertium*, quia remissio peccatorum non potest fieri sine aliqua interiore mutatione hominis, ut *suprà dictum* est.

6 Secunda Conclusio. Quædam sacramentalia vim habent per modum impetrationis remittendi venialia, iuxta sensum secundæ opinionis hoc modo. Aqua lustralis & similia, quæ consecrantur & benedicuntur ab Ecclesia adiunctis orationibus potentis talem effectum; possunt remittere venialia. Non ergo Ecclesia suis orationibus impetrat nobis immediate remissionem venialium, quando utimur sacramentalibus; sed quia impetrat nobis contritionem, per quam tolluntur venialia. Probatur, quia alioquin Ecclesia frustra adhiberet illas orationes, si non posset habere suum effectum, saltem per modum impetrationis. Addo tamen hunc effectum non esse omnino infallibilem, quia non est fundatus in aliqua speciali promissione Dei, sed in communi lege & efficacia orationis, quæ non semper habet effectum, præsertim si pro aliis funditur.

7 Tertia Conclusio. Sacramentalia viam habent remittendi venialia ex eo solum, quia excitant in nobis memoriam, & consequenter detestationem illorum, iuxta sensum prime opinionis. Hoc modo oratio Dominica, tunatio pectoris & confessio generalis remittunt venialia, iuxta D. Thomam.

Quæres: quomodo id fiat? Respondeo, hoc tripliciter intelligi posse. *Primo*, ut habeant vim excitandi huiusmodi motum ex natura sua; & hic sensus verus est, quia oratio Dominica, si attentè legatur, natura sua potest excitare in nobis cognitionem de peccatis, præsertim illa verba:

704 C A P . XXXII . D E S A C R A M E N T I S  
verba : *Dimitte nobis debita nostra* ; Et sic præbet nobis occa-  
sionem dolendi de peccatis , si volumus . Secundo , ut ha-  
beant vim excitandi huiusmodi motum ex opere operato ,  
& infallibiliter ex institutione Ecclesiæ , non solum per modum  
obiecti , sed etiam per modum efficientiæ . Et hic  
sensus refutatur *prima conclusione* . Tertio , ut excitent huius-  
modi actum per modum impetrationis . Hic sensus potest  
etiam esse verus , quia recitando orationem Dominicam ,  
&c. possumus à Deo impetrare verum dolorem de pec-  
catis , si illum ante non habuimus , & tamen habere des-  
ideremus .

---

### Q V A E S T I O V I I .

*An veniale tolli possit sine mortali?*

*reco Gae* **D**ruidus , & Gabriel affirmant , quia sola attritio sufficit ad tollendum veniale ; Potest autem haberi attritio de venialibus & non de mortalibus . Ergo in tali casu possunt tolli venialis fine mortalibus . Alij rectius negant . Primo , quia Deus non soler excitare peccatorem ad dolendum de solis venialibus ; sed potius ac principali-  
ter de mortalibus . Vult enim peccatorem saluum facere . Ergo in peccatore non potest esse dolor de solis venialibus . Loquor autem de dolore supernaturali ; quia natura-  
lis omnino non sufficit . Secundo , si veniale remitti posset sine mortali , vel id fieret in sacramento , vel extra Sacra-  
mentum . Non in sacramento , quia ibi confertur semper gratia habitualis , quando dignè suscipitur . Mortale au-  
tem non potest confistere cum tali gratia . Nec extra sacra-  
mentum , quia vel remitteretur per attritionem , vel per contritionem : Attritio nec sufficit , ut *questione prima* pro-  
bavi ; nec haberi potest in peccatore de solis venialibus ,  
ut *paulò ante* dixi . Contritio non solum venialis , sed etiam mortalia tollit . Nullus ergo est casus , in quo manente mortali tollantur venialis .

Q V A

## QVÆSTIO VIII.

*An homo mereri possit remissionem venialis?*

1 **I**USTUS potest mereri, non autem peccator. *Prius* patet, quia quicunque potest mereri finem, etiam media necessaria ad finem, si aliud non obstat, ut docet D. Thomas in 1. 2. quest. 114. art. 10. Atqui iustus de condigno potest mereri vitam æternam. Ergo etiam media necessaria ad illam. Remissio autem peccati venialis est tale medium. Ergo potest eam mereri. Nota tamen, iustum non mereri immediate ipsam venialis remissionem, sed auxilium gratiae excitantis, quo mouetur ad contritionem de veniali. *Posterior* patet, quia meritum requirit personam Deo gratam, qualis non est peccator. Deinde non tollitur in peccatore veniale sine mortali. Sed remissio peccati mortalis non cadit sub meritum, nec etiam in iusto. Ergo, &c.

## QVÆSTIO IX.

*An veniale remitti possit in Purgatorio?*

1 **N**Egant aliqui afferentes veniale, si in hac vita non remittitur, in ipsa morte fieri mortale. Ratio, quia qui in veniali vult ex hac vita discedere, contemnit suam beatitudinem, quia videt illam per veniale retardari, & tamen negligit tollere hoc impedimentum. Hic autem contemptus in re tanti momenti est mortale. Sed hoc severius dicitur.

2 Prima Conclusio. Falsum est omne peccatum veniale, si in fine vitæ non tollitur fieri mortale. *Primo*, quia sapè contingit hominem iustum subito mori, & non cogitare de suis venialibus. Ergo saltem in tali casu venialia non fiunt mortalia. *Secundo*, etiamsi quis aduertat se esse in veniali, non ideo censetur formaliter contemnere suam beatitudinem, ( licet parum virtualiter accidat,) quia potest fieri, ut ex animo doleat de mortalibus olim commissis, & diligat Deum super omnia cum aliqua circumstantia culpa venialis.

3 Secunda Conclusio. Peccatum veniale in hac vita commissum potest remitti post hanc vitam , siue id fiat statim in separatione animæ à corpore, siue toto tempore purgatorij, de quo postea.

Probatur, quia iustus, qui decedit cum solo veniali, est filius Dei adoptivus ; & ex iustitia debetur illi vita æternâ. Ergo certum est ingressum in vitam æternam. Non potest autem ingredi nisi remisso veniali. Ergo hoc peccatum potest illi remitti.

4 Quæres : quando & quomodo remittatur ? Bonaventura in 4. dist. 21. art. 2. quæst. 1. ad 4. putat remitti toto tempore, quo durat poena Purgatorij , idque per conformitatem voluntatis patienter tolerantis illam poenam.

Hoc impugnat Diuus Thom. quæst. 7. de malo, artic. II. Et meritò. Nam quæram, quid sit præcisè, iuxta hanc sententiam, quod tollat veniale ? Vel enim est ipsa poena tantum, ut tolerata ; vel poena ut cogitata; vel actus patientia, quo toleratur. Non primum, quia poena tolerata, si non accedit aliquis actus humanus, non mutat voluntatem, neque spiritualiter eam renouat ; quod tamen necesse est ad tollendam maculam peccati.

Nec secundum , quia sola cogitatio poenæ non prodest ad tollendum peccatum, nisi excitet in voluntate aliquem actum charitatis, aut contritionis, per quem expellatur veniale. Si autem hoc fieret, iam uno instanti expelletur veniale quoad maculam, & non successuè toto tempore Purgatorij, ut asserit Bonaventura.

Nec tertium, quia actus poenitentia, si præcisè & solus in se spectetur , nullam habet oppositionem cum veniali, ac proinde non potest illud expellere. Rectius ergo sentiunt alij. Veniale remitti in alia vita , quoad maculam statim in ipso instanti separationis animæ à corpore per solum actum veræ dilectionis & contritionis. Nam in illo primo instanti anima cognoscit suum statum , & sine impedimento considerat Deum , & sua peccata venialia. Ergo & Deum perfectè diligit , & sua peccata detestatur. Poena tamen non tollitur , nisi successuè toto tempore Purgatorij.

## QVÆSTIO X.

*An veniale possit remitti in inferno?*

1 **S**COTUS IN 4. dist. 21. quæst. 1. putat tandem remitti, & sita leuiorem fieri pœnam inferni sublatis venialibus. Probat *primo*, quia peccato veniali non debetur pœna æterna, sed temporalis. Ergo debet finiri in inferno. *Secundo*, quia pœna mortalis & venialis distant infinitè, sicut & ipsa peccata. Ergo non debent æquè diu durare; alioqui Deus non seruaret æquitatem iustitiae. *Tertio*, quia nulla est ratio, cur veniale debeat puniri in æternum, nisi forte ideo, quia coniunctum est cum mortali. Sed ex hac coniunctione non augetur demeritum venialis. Ergo nec supplicium debet augeri.

2 Prima Conclusio. Peccatum veniale non potest remitti in inferno, quoad culpam. Nam remissio culpæ non potest fieri sine mutatione & retractatione voluntatis per contritionem, aut dolorem. Sed in inferno nulla est mutatio voluntatis, quia damnati in sua malitia sunt obstinati, ut dixi de Angelis.

3 Secunda Conclusio. Veniale non potest remitti in inferno quoad pœnam. Nam reatus pœnæ non remittitur nisi remissa culpa. Sed culpa non potest remitti, ut dixi. Ergo nec pœna. Hinc Diuus Thomas in prima secundæ, quæst. 87. artic. 3. dicit manente causa manere effectum. Sed culpa est causa reatus pœnæ. Ergo manente culpa manet reatus pœnæ.

Ad primum Scoti argumentum. Respondeo ex Diuo Thoma loco citato, commune esse omni peccato, ut tamdiu duret pœna, quamdiu durat culpa. Vnde si culpa durat in æternum, siue illa fit mortalis, siue venialis, etiam pœna debet in æternum durare. Hoc solùm discriminem est, quod, qui peccat mortaliter, priuat se omni gratia, & ideo in æternum non potest resurgere, quia non habet gratiam per quam resurgat. Qui verò solùm peccat venialiter, non priuat se gratia, & ideo potest resurgere. Hinc dicunt Theologi peccato mortali pœnam æternam deberi, veniali verò temporalem, quod intelligendum

Posiunt enim duo in peccato spectari. *Primo*, ipsius natura. *Secundo*, voluntas peccatoris hominis. Si spectemus naturam venialis, facile tolli potest in hac vita quoad culpam; & ideo poena ipsi debita non est nisi temporalis; Si autem spectemus voluntatem peccatoris, fieri potest, ut non velit dolere de culpa veniali, & ideo semper manet in reatu poena.

Ad *secundum* respondeo. Poenas illas distare à se in infinitum quoad grauitatem, quia mortali peccato debetur poena damni, quæ est omnium acerbissima: veniali autem solum poena sensus.

Ad *tertium* respondeo. Veniale non augeri ex coniunctione cum mortali, quoad malitiam; sed quoad durationem & permanentiam. Vnde etiam poena illius augetur quoad durationem, non autem quoad grauitatem.

## CAPUT XXXIII.

### *De efficientia remissionis peccatorum.*

**S**ENSUS est, an peccata, quæ semel remissa sunt, tam efficaciter sint remissa, ut non amplius redeant, aut imputentur, quando quis iterum peccat post remissionem. Et queri potest *Primo*, an redeant formaliter quoad propriam maculam & reatum poenæ. *Secundo*, an redeant virtualiter ratione ingratitudinis. *Tertio*, an maior ingratitudo sit peccare post innocentiam, an post remissionem peccati. *Quarto*, an per ingratitudinem peccati sequentis redeat tantus reatus quantus erat priorum peccatorum, quæ remissa sunt. *Quinto*, an ingratitudo illa sit speciale peccatum.

---

### QUESTIO I.

*An dimissa peccata redeant formaliter per sequens peccatum?*

**P**rima opinio est: Antiqua peccata, quæ semel remissa sunt, iterum redire per quodvis peccatum mortale subse-

subsequens. Ita Hugo de S. Victore tit.3. l.2. de Sacramen-  
tis, part.14. cap.9. Gratianus de pœnitentia, d.4. Et Guiliel-  
mus Parisiensis trattat. de sacramento pœnitentiae. Hanc sen-  
tentiam probabilem putat Magister in 4. d. 22. neque au-  
det (ob fraternitatem forte) inter hanc & oppositam fer-  
re iudicium. Argumenta ex scriptutis & Patribus desum-  
pta soluentur in obiectionibus.

2 Secunda Opinio : Peccata remissa redire, non per  
quoduis mortale subsequens, sed per quatuor tantum ge-  
nera peccatorum, quæ sunt : Odium fraternal, apostasia  
à fide, contemptus confessionis, & dolor de pœnitentia  
habita. Ita Præpositiuus, vt refert Bonauentura in 4. d. 22.  
art. 1. quest. 1. Eandem videtur sequi Tittelmannus expli-  
cans parabolam de seruo nequam, Matth. 18. Nam illa pa-  
rabola videtur fauere huic sententiæ, maximè, quoad  
odium fraternal.

3 Tertia Opinio : Nullo modo redire antiqua peccata  
quoad propriam maculam & reatum, qualecumque tan-  
dem peccatum subsequatur. Ita D. Thom. hoc quest. 88.  
artic. 1. Alb. Bonauent. Scot. Durand. Gabr. &c alij in 4.  
dist. 22. Dom. Soto. dist. 16. quest. 1. art. 1. Ioan. Medina  
C. de Pœnitentia, quest. 9. An autem per absolutam Dei  
potentiam possint redire, in eo non conueniunt dicti Au-  
tores. Affirmant Scotus & Ioan. Medina : negat Dom.  
Soto.

4 Prima Conclusio : Peccata semel remissa nunquam re-  
deunt, quoad propriam maculam & reatum, per peccatum  
subsequens. In hoc conueniunt omnes Autores tertiae op-  
pinionis. Aliter tamen probatur à Scoto & Medina, aliter ab  
aliis. Nam illi, licet afferant, remissa peccata non redire &  
iterum imputari; putant tamen id fieri posse, si Deus vel-  
let. Vnde, quod non redent, nec imputentur, adscribi Dei  
misericordia. Hic autem cum aliis sentit remissa peccata  
nec actu redire, nec redire posse; & hoc adscribendum esse  
naturæ & efficacij iustificationis, quæ ita delet & extin-  
guit peccatum, ut non possit amplius redire. Vt si melius  
sentiant, patebit iam.

5 Secunda Conclusio : Si dicamus cum Scoto, peccata  
semel remissa posse per absolutam Dei potentiam redire,

710 CAP. XXXIII. DE SACRAMENTIS  
non facilè probari potest, quod actu non redeant, aut im-  
putentur. Nam si ex sola Dei voluntate pendet, quod pec-  
cata non redeant, non possumus certò scire, quod re ipsa  
non redeant, nisi certò sciamus hanc esse Dei voluntatem.  
At hoc non possumus scire nisi ex reuelatione Diuina.  
Hanc Scotus colligit ex quibusdam Scripturæ locis, quæ  
tamen non conuincunt.

Primus locus est, Nahum 1. vers. 9. *Non consurget duplex*  
*tribulatio; vel (secundum 70. Interpretes) non puniet Domini-*  
*nus bis in idipsum.* Hinc videtur sequi peccatum semel  
remissum non redire; alioqui idem peccatum bis punire-  
tur, & consurgeret duplex tribulatio. Hoc non conuincit  
*primo*, quia non agit de punitione peccatorum, sed de va-  
statione Niniuitarum, quam Propheta comminatur. Sen-  
sus ergo est Deum ita semel punitur & vastaturum Ni-  
niuitas, ut deinde non supersit locus secundo supplicio,  
quia in priori omnes consumentur. Ita explicat Arias  
Montanus, & ex ipso contextu patet. *Secundo*, etiam si illa  
verba trahantur ad tropologicum sensum, tamen inde non  
sequeretur Deum bis punire unum idemque peccatum, si  
peccata semel remissa redeant per nouum peccatum. Nam  
Authores primæ & secundæ opinionis responderent tunc  
peccatum bis puniri, quando post condignam satisfa-  
ctionem, & sufficientem poenam iterum punitur. Hoc  
autem non fieret in proposito, quia, qui semel peccat, &  
post remissionem peccati non perseverat in statu gratiæ,  
non censetur dignè satisfacere & sufficienter pro pecca-  
to remisso, sed quasi canis ad vomitum reddit. Ita Magi-  
ster loco citato.

Secundus locus est Ezechielis 18. vers. 21. *Si impius egerit*  
*pœnitentiam, omnium iniquitatum eius, quas operatus est non*  
*recordabor.* Videretur autem Deus recordari, si reuocaret  
antiqua peccata. Sed neque hinc aliquid probari potest, vt  
fatetur Medina; quia Ezechiel in eodem capite loquitur co-  
dem modo de bonis operibus sicut de malis, cum ait: *si*  
*autem iustus se auertit à iustitia sua, & fecerit iniquitatem,*  
*omnes iustitiae eius quas fecerat, non recordabuntur.* Constat  
autem, vt dicam in sequenti capite, redire antiqua merita  
per pœnitentiam, quorum tamen Deus dicitur per pec-  
catum

catum obliuisci. Sensus ergo eius loci est. Quod si iustus fecerit iniustitiam, & in ea permanferit, nihil ei proderunt antiqua merita. Sic etiam : Si peccator conuersus fuerit, & in gratia perseverauerit, nihil ei nocebunt antiqua peccata. Neque aliquid amplius colligi potest ex eo loco.

*Tertius est Romanorum II. vers. 29. Sine paenitentia sunt dona Dei, id est, nunquam Deum paenitet donorum, neque reuocat ea quae semel dedit. Si autem redirent antiqua peccata, iam remissio peccatorum reuocaretur; quae tamen est maximum donum Dei. Hic etiam locus non cunctat, quia, sicut remissio peccatorum, sic etiam gratia iustificans est donum Dei, quod tamen reuocatur ob peccatum. Sensus ergo illius loci est : Deus nunquam reuocat decretum suum, quo statuit alicui conferre donum. Sunt autem duplia dona, quædam Deus confert ante consensum nostrum, & sine dependentia à nostro consensu; quæ si semel decreuit conferre, nunquam ea reuocat; quædam autem confert dependenter à nostro consensu, ut est gratia iustificans; & hæc ita confert, ut tamen ob peccata nostra reuocet, ( si modo reuocari possint ) non quia mutat decretum, sed quia decreuit auferre propter nostrum demeritum. Itaque Authores primæ & secundæ opinionis responderent, reuocari remissionem peccatorum, quia concessa fuit dependenter à nostro consensu. Et hæc haec enim à Scoto allata sunt, quæ, cùm nihil probent, aliunde quærenda est probatio.*

*6 Tertia Conclusio : Potius ergo dicendum est, talem esse naturam nostræ iustificationis, & ita extinguere peccata nostra, ut, postquam semel extincta, non possint amplius redire, aut imputari, quoad propriam maculam & reatum, etiam per absolutam Dei potentiam.*

Ratio sumitur ex principiis tribus. *Primo*, maculam peccati verè, ac formaliter per gratiam habitualem destrui. *Secundo*, eandem maculam semel destructam redire non posse, nisi redeat idem peccatum actuale, ex quo oritur macula. *Tertio*, idem peccatum actuale, quod semel transit, non posse redire, quia peccator non potest iterum producere eundem actum.

Dices: Naturaliter quidem id non potest fieri, sed bene per absolutam Dei potentiam. Nam sicut absolutè fieri potest, ut idem numero Angelus annihiletur & reproducatur: Sic idem actus peccati absolutè potest perire & reproduci.

Respondeo. Non est simile, quia non repugnat Deo, ut per se producat Angelum, repugnat autem, ut per se producat aetuale peccatum. Cum ergo Deus non possit esse autor peccati, & homo non possit efficere, ut id, quod semel destruetum est, reparetur; necessario sequitur peccatum semel destruetum non posse redire.

7 Prima Obiectio: Deus in Scriptura dicitur recordari peccatorum, quorum fuerat oblitus. Psalm. 78. vers. 8. Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum. Et 5. Reg. 17. vers. 18. Quid mibi & tibi vir Dei, ingressus es ad me, ut remorentur iniquitates meæ. Et alibi, &c. Respondeo. Hæc & similia intelliguntur de poena temporali antiquorum peccatorum, quæ semel remissa sunt, non autem de culpa, vel reatu poenæ æternæ.

8 Secunda Obiectio: Parabola de seruo nequam aperte ostendit peccata redire. Nam seruus ille, cui Dominus dimiserat omne debitum, postea traditus est tortoribus, quoadūisque redderet vniuersum debitum antè dimisum. Respondeo. Illa parabola ostendit antiqua peccata redire non formaliter quoad propriam maculam & reatum, sed virtualiter, ratione ingratitudinis, ut post dicam.

9 Tertia Obiectio: Merita semel mortificata iterum reuiuiscunt per pœnitentiam. Ergo etiam peccata remissa redeunt per sequens peccatum. Respondeo. Non sequitur, quia merita non destriuntur per peccatum, sed tantum impediuntur ne habeant effectum in tali homine. Et ideo sublato peccato per pœnitentiam, incipiunt iterum habere suum effectum, quod est reuiuiscere. Peccata autem per gratiam iustificantem non solùm impediuntur, sed omnino destriuntur, & ideo redire non possunt.

## QVÆSTIO II.

*An dimissa peccata redeant virtualiter per  
peccatum subsequens?*

**P**rima Conclusio : Per quodcunque peccatum mortale sequens redeunt peccata prius dimissa , ratione ingratitudinis. D. Thom. artic.2. Ratio est , quia qui iterum peccat post acceptam remissionem , hoc ipso censetur esse ingratus in Deum. Cùm enim sit magnum beneficium , Dei, potius gratiæ Deo agendæ erant , & non iterum peccandum. Hæc autem ingratitudo , vt peccatum , quòd committitur post acceptum beneficium , est multo grauius quam alioqui esset , si beneficium non p̄cessisset.

**S**ecunda Conclusio : Tametsi per quodlibet peccatum sequens redeant priora peccata ratione ingratitudinis , speciali tamen quadam ratione dicuntur redire per quatuor genera peccatorum , scilicet odium fraternalis : apostasiam à fide ; contemptum confessionis , & dolorem de pœnitentia habita. Ita D. Thom. ibid. cuius ratio est , non quod hæc peccata grauiora sint omnibus aliis , sed quia ingratitudo magis in iis appareat. Potest enim dupliciter committi ingratitudo. *Primo* , contra ipsum beneficium absolute. *Secundo* , contra formam beneficij præstiti & accepti. Omnia peccata mortalia post iustificationem commissa sunt contra beneficium absolute. At hæc quatuor genera peccatorum sunt etiam contra formam beneficij , quæ forma dupliciter potest spectari. *Primo* ex parte Dei conferentis. *Secundo* ex parte hominis accipientis. Forma beneficij ex parte Dei est benigna remissio peccatorum. Contra hanc peccat , qui fratri petenti veniam non remittit. Ex parte hominis considerari possunt tres actus , qui præcipue concurrunt ad remissionem peccatorum , nempe motus fidei , motus pœnitentiae & propositum confitendi. His tribus actibus repugnant apostasia à fide , dolor de pœnitentia habita , & contemptus confessionis.

## Q V A E S T I O III.

*An maior ingratitudo sit in peccato commisso post innocentiam, an post remissionem peccatorum?*

1 **P**rima Opinio est, maiorem esse ingratitudinem peccare post innocentiam. Ita Scotus in 4. d. 22. q. 1. a. 3. Gabr. ibid. art. 3. d. 1. & Bonau. a. 1. q. 2. Ratio est, quia quo est maius Beneficium, eò maior est ingratitudo contra Beneficium. Sed Innocentia est maius Beneficium quam remissio peccati. Ergo maior est ingratitudo peccare contra Innocentiam, quam contra remissionem. Minor patet, quia B. Virgo Maria censetur accepisse maius Beneficium in dono Innocentiae, quam Magdalena in abundantissima remissione peccatorum.

2 Secunda Opinio est, maiorem esse ingratitudinem peccare post remissionem. Ita D. Thom. hic art. 2. ad 3. Dom. Soto in 4. dist. 16. q. 1. a. 2. Ratio, quia ingratitudo non tantum spectatur ex parte doni, vel beneficij accepti (quod supponit prima opinio) sed etiam ex parte accipientis illud. Vnde sicut ingratitudo tanto maior est, quanto maius est donum, seu Beneficium: sic etiam tanto maior est, quanto magis indignus est is, qui Beneficium accipit, quia magis obligatur ad gratitudinem. Cum ergo remissio peccatorum conferatur homini magis indigno, quam donum Innocentiae, magis etiam obligat ad gratitudinem. Ergo, qui peccat post remissionem censetur magis ingratus, quam qui peccat post innocentiam.

3 Prima Conclusio. Hæc duo, innocentia & remissio peccatorum possunt tripliciter spectari. *Primo*, præcisè secundum se. *Secundo*, ex parte gratiæ quæ datur innocentia, aut poenitenti, magna aut parua. *Tertio*, ex parte personæ accipientis. Si ergo spectentur præcisè secundum se, maius beneficium est innocentia, quam remissio, quia constituit hominem in maiore dignitate cæteris paribus, id est, non spectata magnitudine gratiæ. Si autem spectentur ex parte gratiæ, fieri potest ut donum remissionis sit maius, quam donum innocentiae, quia maior gratia conferri potest in pœni

pœnitentia, quām in innocentia. Si spectentur quōd personam accipientis, semper maius Beneficium censetur remissio peccatorum, quām innocentia, quia semper conferatur homini magis indigno.

**4** Secunda Conclusio. Si loquamur de eo quod iam ordinariē fit apud Christianos, semper maior est ingratitudo peccantis post remissionem, quām post innocentiam Baptismalem. Ratio, quia, qui iam peccat post remissionem, non solum peccat post acceptum Beneficium remissionis, sed etiam post beneficium innocentiae Baptismalis. Ergo duplii titulo censetur ingratus.

**5** Obiicies. S. August. tit. 10. in lib. 50. homiliarum, hom. 23. contendit æqualiter teneri ad gratiarum actionem & eum, cui plura peccata dimissa sunt, & eum etiam, cui pauca dimissa sunt; quia unusquisque est debitor non solum pro omnibus peccatis, quorum remissionem accepit, sed etiam pro omnibus, quæ non cōmisit & à quibus præseruatus est. Vtrumque enim est ex gratia Dei tā remissio peccatorum, quām præseruatio à peccatis. Respondeo, verum est, quod docet S. Augustinus, comparat enim donum remissionis cum dono præseruationis, quæ possunt esse æqualia ex parte multitudinis & doni, quod confertur, ut verbi gratia, tantū est donum, quo Petro præseruato à tribus peccatis remittuntur alia tria peccata, quantum est donum, quo Paulo remittuntur sex peccata; non tamen ideo negandum est Beneficium remissionis malius esse, & magis obligare ex parte recipientis, quia scilicet magis indignus est, cui remittuntur peccata, quām qui innocens est, aut qui præseruatur à peccato.

### Q V A E S T I O V I .

*An per ingratitudinem peccati sequentis redeat tantus reatus, quantus fuit præcedentium peccatorum?*

**1** **A** Liqui affirmant ob parabolam de feruo nequam. Suppono peccatum, quod sequitur remissionem priorum peccatorum, dupliciter spectari posse. Prima, secun-

716 C A P . XXXIII . DE S A C R A M E N T I S  
secundum suam speciem . Secundo , ratione circumstantiæ  
ingratitudinis , quæ aggrauat illud peccatum intra eandem  
speciem .

2 Prima Conclusio . Non semper tantus est reatus pecca-  
ti sequentis ratione suæ speciei , quantus fuerat peccato-  
rum præcedentium , sed aliquando maior , aliquando mi-  
nor D. Thom. a. 3. Probatur , quia peccatum , quod commit-  
titur post remissionem priorum peccatorum , potest esse  
magis , aut minus grave in sua specie , quam erant præce-  
dentia . Ergo potest esse maior , aut minor reatus pœnæ .

3 Secunda Conclusio . Nec propter circumstantiam in-  
gratitudinis semper est tantus reatus peccati subsequentis ,  
quantus erat præcedentium remissorum . Ita D. Thom. ibid.  
Et probatur , quia ingratitudo solùm auget subsequens  
peccatum intra eandem speciem . Sicut ergo subsequens  
peccatum aliquando est inferioris , aliquando superioris  
speciei , quam erant præcedentia : sic etiam reatus illius  
aliquando est maior , & aliquando minor . Hinc facile ap-  
paret intellectus parabolæ de seruo nequam .

4 Dices : Quamvis reatus pœnæ sensus non semper sit  
tantus in peccato sequenti , quantus erat in præcedenti-  
bus , vt bene probatum est , tamen reatus pœnae damni  
semper est æqualis . Ratio , quia pœnae damni consistit in  
priuatione beatitudinis . Sed priuatio vnius & eiusdem  
beatitudinis non potest esse maior , aut minor , sed in om-  
nibus est æqualis . Ergo etiā pœnae damni in omnibus est  
æqualis . Durand. & Capreol. in 4. d. 22. conuicti hoc ar-  
gumento concedunt totum reatum pœnæ damni semper  
redire . Alij rectius negant . Ratio est , quia priuatio bea-  
titudinis potest dupliciter spectari . Primo , præcisè ut est  
priuatio : Et sic nec maior nec minor est . Secundo , ut est  
pœna : Et sic est maior aut minor , quatenus habet ordi-  
nem ad maiora , vel minora peccata , quæ sunt illius causa .  
Nam is , qui priuatur beatitudine propter maiora pecca-  
ta , magis in inferno tristatur ob illam priuationem . Hinc  
fit ut infantes sine Baptismo decedentes nullo modo tri-  
stentur ob illam priuationem , quia nullo proprio peccato  
illam meriti sunt .

## QVÆSTIO V.

*An ingratitudo illa sit speciale peccatum?*

<sup>i</sup> **A**ffirmant Ioan. Medina, cap. de penitentia, quæst. 9. & Abulensis quæst. 141. in cap. 18. Matthæi.

Conclusio Vnica : Ingratitudo aliquando est speciale peccatum, quando scilicet adest expressa intentio contemnendi Beneficium : aliquando est tantum generalis quædam conditio qualiscunque peccati , quando non adest talis intentio. Ita D. Thom. art. 4. Et in 2. 2. q. 107. art. 1. ad 1. Ratio ipsius est, quia peccatum sumit speciem ex intentione peccantis. Ergo , quando non adest expressa intentio contemnendi Beneficium , non est speciale peccatum ingratitudinis.

Obiicit Medina , hanc rationem non concludere , quia non semper verum est peccata specificari ex expressa intentione. Nam homicidium commissum ex ignorantia est eiusdem speciei cum commisso ex intentione occidendi. Resp. in peccato duo spectari possunt. Primo, ratio voluntarij. Secundo, ratio malitiae. Ratio voluntarij semper actui voluntatis interno conuenit primò , & per eum conuenit exteriori actui. Ratio verò malitiae aliquando primò conuenit interno , & ab eo deriuatur in externum, aliquando autem primò conuenit externo , & ab eo deriuatur in internum. Vnde duplia sunt peccata. Quædam dicuntur consummari non in voluntate , sed in actu externo , quorum malitia prouenit ab actu exteriore causaliter , quod tunc fit , quando voluntas ideo mala & probita est , quia actus exterior malus & prohibitus est. In his peccatis verum est quod dicit Medina , scilicet ea non specificari ex formali & expressa intentione. Qui enim occidit ex ignorantia culpabili , etiamsi expresse nollet occidere , committit tamen peccatum eiusdem speciei , atque si ex intentione vellet occidere. Ratio est , quia velle occidere ideo est malum & prohibitum , quia ipsum occidere est malum , & prohibitum. Quædam verò peccata sunt , quæ dicuntur consummari in voluntate , quorum malitia primò conuenit actui interiori , & ab hoc deriuatur in exteriorem.

In his verum est quod dicit D. Thom. ea specificari ex formalī & expressā intentione, verbi gratia, cūm quis occidit alium ex formalī odio, homicidium exterius habet duplīcē malitiam. Vnam contra iustitiam, quatenus est homicidium; alteram contra Charitatem, quatenus est odium proximi. *Prior* conuenit illi ratione actus externi, qui malus & prohibitus est, & à quo malitia deriuatur in actum internum. *Posterior* conuenit illi ratione actus interioris, cuius malitia deriuatur in exteriorem. Nam odium, ut odium, non est in actu exteriore, sed in directa intentione volendi malum proximo ex proximi displicentia. Vide D. Thom. in I. 2. quest. I. a. 1. & 2. Inter hæc ergo peccata, quorum malitia consistit in expressa intentione, est etiam peccatum ingratitudinis, quia hæc est speciale peccatum, cuius malitia consistit in expressa intentione contemnendi Beneficiū. Simile est, quod dicit D. Thom. de peccato inobedientiae, quod tunc solum est speciale peccatum, quando fit ex formalī voluntate contemnendi præceptū superioris.

## CAPVT XXXIV.

*De Tertio effectu Pœnitentia, qui est recuperantia virtutum & Reuiuiscentia meritorum.*

**M**ULTA sunt in homine iusto, quæ per peccatum mortale amittuntur. *Primo* est Gratiā habitualis, siue per sacramentum data, siue propriis meritis acquisita. *Secundo*, sunt virtutes infusæ, quæ cum habituali gratia connexæ sunt, verbi gratia, religio & similes. *Tertio*, sunt merita bonorum operum, pro quibus debetur vita æterna. *Quarto*, est dignitas quædam personæ, quæ ex supra dictis oritur. Est ergo questio, an hæc omnia per peccatum semel amissa possint iterum per pœnitentiam recuperari? Dicam *primo*, de reditu meritorum. *Secundo*, de reditu gratiæ. Reliqua duo ex his pendent. Ex resolutione totius questionis constabit an homo per pœnitentiam semper resurgat ad maiorem gratiam.

## QVÆSTIO I.

*An merita per peccatum mortificata, iterum per  
Pœnitentiam reuiuscant?*

I **T**heologi distinguunt triplicia bona opera in homine, viua, mortua & mortificata. Viua dicuntur, quæ sunt ab homine existente in gratia, & vim habent perducendi ad vitam æternam. Mortua, quæ sunt ab homine existente in peccato mortali, & non habent vim perducendi ad vitam æternam. Mortificata, quæ primò facta sunt in gratia, & postea per peccatum mortale superueniens impedita, ne habeant suum effectum in tali homine qui peccauit, quamdiu manet in peccato. Ratio huius diuisionis est, quia gratia est principium vitæ in homine. Vnde spiritualiter dicitur viuus homo, qui est in gratia: mortuus, qui est in peccato mortali. Et quia vitales operationes debent esse à principio vitali; ideo dicimus illa opera esse viua, quæ sunt à gratia tanquam à principio vitæ in homine Christiano: illa dicimus mortua, quæ non sunt à tali principio. Loquor autem de operibus bonis, quia opera mala non tam mortua aut mortificata, quam potius mortifera, aut mortalia dicuntur, quia generant mortem animæ.

Quæstio ergo est an bona nostra opera, quæ priùs viua fuerunt, & postea per peccatum mortificata sunt, possint iterum per pœnitentiam reuiiscere, ita ut iterum habeant vim perducendi ad vitam æternam?

2 Prima Conclusio: Merita, quæ per peccatum mortale fuerant mortificata, rursus per pœnitentiam reuiiscunt. Ita D.Th.art.5.Magister & Scholastici in 4.dist.14. Et probatur primo, ex Hebr.6.v.10. *Non enim iniustus Deus, ut oblitus operis vestri, & dilectionis, quam ostendisti in nomine ipsius, qui ministrasti sanctis & ministratis.* Hic Primo, certum est Apostolum loqui de bonis operibus. Secundo, non tamen loqui de mortuis operibus. Dubium ergo potest esse an loquatur de viuis, an de mortificatis. Communis expositio est, loqui eum de mortificatis, quia scribit ad Hebreos, qui post iustificationem & multa bona opera rursum lapsi erant in peccatum. Hoc patet ex ipso contextu.

Nam

Nam initio capitinis satis insinuat Hebræos magna ex parte parum instructos fuisse in fide, quia cum essent affueti ceremoniis Mosaicis, in quibus plura erant lauacra ad tollendas peccatorum maculas, putabant etiam in lege Christi multa esse baptisata ad ablucenda peccata. Hinc etiam siebat ut essent remissiores in charitate, & facilius peccarent. Vnde Apostolus in progressu capitinis comparat eos terræ producenti spinas & tribulos. Ne tamen desperarent, rursus consolatur eos, afferens Deum fore memorem bonorum operum, quæ aliquando fecerunt, & ea remuneraturum, si per veram pœnitentiam resurgent a peccatis. Vnde recte concludunt Theologi peccata non impedire fructum bonorum operum, si pœnitentia intercedat.

*Secundo probatur ex Tridentino sess. 6. can. 16. & Canon. 52.* Vbi requirit tres tantum conditiones, ut opera nostra sint meritoria, & re ipsa consequantur suum præmium. Prima est, ut sint opera hominis iustificati. Secunda, ut facta sint in Deo, id est, Dei gratia & auxilio. Tertia, ut homo, qui ea fecit, tandem in gratia decedat; siue acceptam gratiam perpetuè conseruauerit, siue amissam recuperauerit. Sed haec conditiones reperiuntur in meritis mortificatis post factam pœnitentiam. Ergo post pœnitentiam consequuntur suum præmium, quod est reuiniscere. Minor patet, quia certum est merita nostra, antequam per peccatum mortificantur, habere duas primas conditiones. Tertiam vero accipiunt per pœnitentiam, in qua datur homini gratia habitualis cum qua potest decedere. Et sic habebit præmium suorum meritorum precedentium.

*Tertio probatur conclusio ratione D. Th. artic. 5. ad 1. vbi assignat causam quare antiqua peccata non redeant per sequens peccatum, & tamen antiqua merita redeant per pœnitentiam; quia scilicet peccata verè abolentur & extinguntur. Quod autem extinctum est, iterum non reddit. Merita verò non abolentur, sed manent in acceptatione Dei, & solum impediuntur ex parte hominis propter peccatum. Ac proinde ablato hoc impedimento per pœnitentiam, recuperant suum effectum. Idem docent S. Bonavent. in 4. dist. 14. artic. 2. quest. 3. & Alex. Alensis 4. part. quest. 12. memb. 4. artic. 6. afferentes merita impedita per peccatum semper*

manere in corpore mystico Ecclesiæ, quia facta sunt in Charitate & Unitate illius Corporis, & ideo qui sunt viua membra Ecclesiæ semper gaudent de illis operibus.

Hæc ratio, quoad vnam partem, quod scilicet peccata verè extinguantur per infusionem gratiæ, & ideo non redent, satis confirmata est in superioribus. Quoad alteram verò partem, quod scilicet merita non extinguantur per peccatum, sed maneant in acceptatione Dei, eget aliqua declaratione. Potest autem variè declarari. *Primo*, quia bona opera sunt dona Dei, quo instigante & adiuuante fiunt, & cui præcipue tribuenda sunt. Vnde mirum non est si ipsi placeant & perpetuò accepta maneant. *Secundo*, quia vim suam habent à meritis Christi, quæ semper sunt grata & accepta Deo Patri. *Tertio*, quia ipsa quoque merita Christi, quæ olim exhibita sunt pro nobis cùm essemus in peccato, semper manent in acceptatione Dei, & quotidie incipiunt habere suum effectum, quando resurgimus à peccatis. *Quarto*, quia baptismus cum obice acceptus manet in conspectu Dei acceptus, quatenus est opus Christi, & remoto obice suum effectum habet. Hæc circa rationem D. Thomæ. Alij afferunt alias rationes.

*Prima* ratio est S. Bonaventuræ loco citato, quia plus potest gratia, quam peccatum. Ergo si peccatum mortificat merita, multò magis gratia vivificabit merita mortificata.

*Secunda* est Scoti, quia Deus pronior est ad miserendum quam ad puniendum; & ita non vult redire præterita peccata, vult tamen redire antiqua merita. An autem hæc ratio bona sit, patebit in seq. quæst.

*Tertia* est, quia pro peccato fuit applicata condigna satisfactione ex meritis Christi, & à Deo acceptata. At pro merito nihil adhuc mercedis solutum est homini iusto qui postea in peccatum labitur. Ergo, quando per poenitentiam iterum iustificatur, potest iuste repetere mercedem suorum præcedentium meritorum. Hoc declaratur exemplo humano. Si quis enim ciuis ostenderet regem, cui rex anteā debebat 1000. floren. legitimo titulo, posset Rex eos negare ob offendam. Si tamen ciuis aut aliquis alius pro ciue condigne satisfaceret Regi pro offensa, & Rex eam satisfactionem acceptaret: iam non amplius posset illi

722 CAP. XXXIV. DE SACRAMENTIS  
negare antiquum debitum. Idem ergo seruata proportione  
dicendum est in nostro casu; vt dicetur clarius *in seq. quest.*  
3 Secunda Conclusio: Quantumuis certum sit, & sine te-  
meritate negari non possit, merita per pœnitentiam reui-  
uiscere, non tamen est de fide. Prius patet ex dictis, quia  
est communis consensus Theologorum, & satis colligitur  
ex Apostolo & Tridentino; & est valde consentaneum di-  
uinæ bonitati, & prouidentiæ, & humanæ fragilitati. Poste-  
rius probatur, quia nec habetur expresse in Scriptura, ne-  
que sub his terminis ab Ecclesia definitum est. Sancti Pa-  
tres non disputarunt hanc materiam in particulari. Ideo-  
que ex iis nullum habemus clarum testimonium. Plerique  
tamen multum fauent huic sententiæ, præsertim sanctus  
Augustinus *lib. de vera & falsa pœnitentia cap. 14.* Chrysost.  
*in Epistola 5. ad Theodorum lapsum.* S. Hieronymus *in illa ver-  
ba ad Gal. 3.* Tanta passi estis sine causa, si tamen sine causa. Et  
alij Patres in eundem locum.

4 Obiectio: Ex *cap. 6. ad Hebreos* non potest colligi meri-  
ta mortificata reuiuiscere, quia S. Paulus non loquitur ibi  
de operibus per peccatum mortificatis, sed de operibus  
viuis, & hominum existentium in statu gratiæ.

Probatur primo, quiahortatur Hebreos ad perfectio-  
nem, & simul deterret eos à peccatis, proponens difficulta-  
tem resurgendi, si post tanta Dei beneficia laberentur. Ergo  
loquitur ad eos, qui nondum peccauerant, sed solùm erant  
in periculo peccandi. Ergo eorum bona opera adhuc erant  
viua & nondum mortificata. Secundo, quia cùm D. Paulus  
ait: *ministris Sanctis & ministratis*, non tantùm loquitur  
de præteritis operibus, sed etiam de præsentibus. Sed præ-  
sentia opera, si illi in peccato mortali erant, non mereban-  
tur præmium iustitiæ; & tamen Apostolus ait Deum fore  
iniustum si illa non remuneraret. Ergo erant opera homi-  
num existentium in gratia.

Tertio, quia omnia opera, de quibus loquitur Paulus, siue  
præterita, siue præsentia, erant talia, quibus debebatur præ-  
mium ex iustitia, vt ex contextu patet. Ergo omnia erant vi-  
ua; & hominum existentium in gratia. Sequela patet, quia  
Deus non tenetur ex iustitia dare quicquā homini existenti  
in peccato mortali, etiam si antea fecerit multa bona opera.

Ratio

Ratio est, tum quia homo per peccatum mortale fit indignus omni bono; tum etiam, quia omne ius iustitiae, quod habet homo ad Deum, fundatur in gratia & misericordia. Ergo peccator, qui non habet gratiam, non habet ius ad primum precedentium meritorum. Ergo licet Deus non det illi primum, non erit iniustus.

Respond. ad *primum*, Paulum scribere ad totam Ecclesiam Hebreorum, in qua procul dubio erant adhuc aliqui boni, qui post acceptam baptismi gratiam non peccauerant mortaliter, & eos poterat Paulus hortari ad perfectionem & perseverantiam. Ad *secundum*. Resp. eodem modo; quia, licet multi essent peccatores & lapsi post baptismum, tamen multi etiam erant iusti, quorum opera etiam tunc meritoria erant de condigno. Cum ergo Paulus scribat ad utrosque tam iustos, quam lapsos, utrumque bona opera commemorat, praeterita & presentia, ut significet ad Dei iustitiam pertinere non solum compensare presentia opera iustorum, sed etiam praeterita, si peccati impedimentum ablatum sit. Hinc etiam patet solutio ad *tertium*, de quo tamen plura dicam in sequenti quest.

### Q U E S T I O . II.

*An illa Meritorum reuiniscencia fiat ex misericordia,  
an ex iustitia?*

1 Prima Opinio est, merita redire ex sola Dei misericordia. Ita Alens. & Bonavent. *locus citatis*. Palud. Gabr. & Scotus in 4. dist. 22. Ratio est, quia merita per peccatum mortificata non possunt reuiniscere, nisi peccatum tollatur. Sed peccatum mortale ab homine non tollitur ex iustitia, sed ex sola misericordia. Ergo etiam merita mortificata per peccatum non redeunt ex iustitia, sed ex misericordia sola.

2 Secunda Opinio est, merita redire ex propria iustitia, & hanc iustitiam fundari partim in dignitate operum praecedentium, partim in actu contritionis quo quis resurgit a peccato. *Prius*, de operibus praecedentibus patet, quia illa fuerunt vere meritoria, ut supponimus. *Posteriorius*, de contritione probatur, quia per illam peccator satisfacit Deo ad

724 CAP. XXXIV. DE SACRAMENTIS  
qualitatem. Sicut enim per peccatum auerterat se à Deo,  
ita per contritionem conuertit se ad Deum. Ergo tantum  
reddit Deo quantum abstulit. Ergo non potest iustè priua-  
ri fructu priorum meritorum. Ergo priora merita redeunt  
ex iustitia fundata in actu contritionis.

3 Prima Conclusio : Restitutio priorum meritorum non  
fit ex sola Dei misericordia. Probatur *Primo*, ex loco citato  
Apostoli, quia, si nulla intercederet iustitia, sed solùm mis-  
ericordia, Deus nō esset iniustus si negaret præmium. *Secun-  
do*, ex Concilio Tridentino, quia, vbi intercedit vera ratio  
meriti cum omnibus conditionibus requisitis ad meritum  
de condigno, ibi intercedit iustitia. Sed illud prius fit in  
hac reuiuiscentia, iuxta doctrinam Concilij. Ergo etiam hoc  
posteriorius. *Tertio*, quia, si ablato peccato per poenitentiam  
Deus ex sola misericordia conferret præmium correspon-  
dens illis meritis, iam non conferret propter ipsa merita,  
sed ex mero suo beneplacito. Ergo reuera non reuiuisce-  
rent merita in ratione meriti; alioqui deberet illis confer-  
ri præmium ex iustitia.

4 Secunda Conclusio : Restitutio priorum meritorum  
non fit ex sola iustitia fundata in actu contritionis. Proba-  
tur *primi*, quia per contritionem non satisfit Deo ad æqua-  
litatem pro illata iniuria, quæ oritur ex macula consisten-  
te in priuatione gratiæ. Ergo in contritione non potest  
iustitia fundari. *Secundo*, quia, licet verum esset, quod ali-  
qui docent, per contritionem condigne satisficeri Deo pro  
culpa; non tamen inde sequeretur restitucionem merito-  
rum fieri ex iustitia fundata in ipsa contritione. Ratio est,  
quia licet satisficeret pro culpa, non tamen pro omni poe-  
na. Ergo etiam posita illa satisfactione posset peccator in  
poenam commissæ offensionis iustè priuari omnibus me-  
ritis prius factis, & consequenter præmio illorum merito-  
rum: quia nulla hic appetit repugnantia. Cur enim Deus  
non posset iustè statuere, vt is, qui peccat mortaliter, ipso  
facto irrecuperabiliter amittat priora merita; quantum-  
uis postea resurgat & pro iniuria satisfaciat? Sicut hu-  
manæ leges decernunt, vt hæreticus ipso facto sit priua-  
tus omnibus suis bonis; quam poenam non effugiet, quan-  
tumvis Ecclesiæ postea satisfaciat. Et, qui furatus est cen-  
tum

tum aureos, licet postea illos restituat, non ideo euadit poenam à lege constitutam. *Tertio* probatur, quia merita possunt reuiuiscere sine contritione. Ergo sufficiens ratio reuiuiscentiae non est ex iustitia fundata in contritione. Antecedens patet in attrito, qui sine contritione iustificatur in sacramento.

5 Obiectio: Merita iustorum per se & natura sua sunt digna aeterno premio; etiam si peccatum interponatur, dummodo postea auferatur, & homo tandem in gratia decedat. Ergo Deus non potest facere, quin homo resurgens a peccato maneat dignus premio precedentium meritorum. Ergo non potest facere, ut merita non reuiuiscant. Ergo reuiuiscentia meritorum intrinsecè sequitur ex natura iustificationis a peccato; quod defendit P. Vazquez. Respondeo. Duo sunt spectanda in bonis operibus. *Primo*, perfectio quædam, seu condignitas, quæ in ipsis est, quatenus a gratia Dei procedunt. *Secundo*, lex seu promissio Dei, qua taxat premium, quod constituit nobis dare pro bonis operibus. Hinc sequitur nos non habere ius iustitiae ad premium, nisi iuxta modum Diuinæ promissionis. Deus autem non cogitur promittere premium secundum omnem modum, sed sicut ipsi placet. Ergo potuisset sub hac conditione promittere premium nostris meritis; si videlicet in gratia perseueraremus, neque post merita facta committeremus peccatum mortale. Quod si hoc fecisset, non haberemus ullum ius ac premium meritorum, si intercessisset peccatum mortale; quia licet in ipsis meritis esset quædam condignitas ad premium; tamen haec nobis non prodeisset, nisi secundum legem & promissionem Dei.

Hic vterius sequitur reuiuiscentiam meritorum non oriri intrinsecè ex natura iustificationis; quia reuera non oriretur si Deus promisisset premium sub conditione iam explicata. Quod ergo sequitur reuiuiscentia meritorum, non fit ex natura iustificationis, sed ex modo Diuinæ promissionis, ut iam explicabo.

6 Tertia Conclusio: In reparandis meritis mortificatis, partim misericordia, partim iustitia habet locum. Nam illa reparatio supponit misericordiam, & perficitur per iustitiam. Et quidem misericordia consistit primo in liberali-

726 C A P . XXXIV . DE S A C R A M E N T I S  
promissione , quā Deus ab æterno decreuit & promisit ex sola misericordia dare hominibus præmium omnium meritorum , etiam mortificatorum , si modo in gratia decedant .  
*Secundo* , in auxilio gratiæ excitantis , quo peccatorem mouet ac iuuat ad habendam contritionem .  
*Tertio* , in ipsa gratuita remissione peccati . Hac ergo triplici misericordia supposita , id , quod reliquum est , fit ex iustitia , ut optimè probant argumenta primæ conclusionis .

Nota : Merita , postquam semel actu transferunt , non manere alicubi formaliter , sed relinquere in homine ius ad præmium , quod ius in gratia fundatur : manere autem in Deo , quantum ad acceptationem ad dandum pro illis præmium suo tempore . Peccatum ergo superueniens tollit quidem formaliter ab homine gratiam & consequenter ius ad tale præmium secundūm præsentem statum . Non potest tamē formaliter tollere merita à Diuina acceptatione , quia peccatum non causat formaliter , nisi in homine in quo est .

Dices : Si non formaliter , saltem demeritoriè potest illam acceptationem expellere . Respondeo . Hoc faceret , si Deus statuissest punire peccatum mortale perpetua ammissione præcedentium meritorum . Tunc enim solum acceptaret merita sub hac conditione , nisi per peccatum superueniens amittantur ; & ita commisso peccato finiretur acceptatio . At iam dixi Deum non statuisse punire peccatum tali poena , nec acceptasse merita sub tali conditione .

Dices *secundo* : Ergo permanentia meritorum in acceptatione Diuina solum esset ex liberali Dei promissione , qua sublata nullum esset discrimen inter peccata semel remissa & merita mortificata . Resp . Verum est , quod sit ex liberali promissione . Hac n . sublata non reuiniscerent merita . Hac autem posita reuiniscunt ex iustitia , vt dixit . Nihilominus tamen esset discrimen inter peccata & merita : quia peccata per infusionem gratiæ ita penitus tolluntur , vt nulla supersit culpa . Vnde fit , vt Deus non possit hominem punire poena æterna pro illis peccatis . At merita non ita penitus tolluntur , quia potest Deus ex sua misericordia efficere , vt homo , qui per peccatum fit indignus præmio suorum meritorum , rursum per poenitentiam & gratiam fiat dignus & capax illius præmij .

**Quarta Conclusio:** Quamvis reuiuiscentia meritorum sit opus simul misericordiae & iustitiae: tamen pro diuersa acceptatione vocabuli aliter atque aliter loquendum est. Nam si reuiuiscentia meritorum sumatur pro sola ablacione impedimenti, quo merita mortificabantur, dicetur esse opus iustitiae presupposita tamen misericordia.

### Q V A E S T I O   III.

*An merita reuiuiscent quoad totum præmium essentiale?*

**1** **D**ictum est merita per peccatum mortificata reuiuiscere in iustificatione; nunc queritur, an perfetè reuiuiscant: id est, an totum præmium essentiale, quod illis debitum erat ante peccatum, integrè restituatur? Per præmium essentiale intelligo gratiam in præsenti, & gloriam in futuro, quæ est propterea merces nostrorum meritorum.

**2** Prima Opinio est, merita post peractam pœnitentiam solum valere ad aliquod præmium incidentale obtinendum, nempe ad quoddam gaudium, quod quis in cœlo habiturus sit ob illa merita, quamvis propter illa nullam recipiat gratiam aut gloriam. Vide D. Thomam art. 5. ad 3. in fine solutionis.

**3** Secunda Opinio est, merita quidem restitui, quoad præmium essentiale, non tamen quoad proprium præmium, quod sit distinctum ab eo, quod debetur contritioni, seu charitati, per quam homo resurgit à peccato. Ita Dom. Barnes in 2.2. quest. 24. art. 6. dub. 6. conclusione 3. Vbi citat pro se D. Thomam, Caietanum, Capreolum, Paludanum, Bonaventuram & Alexandrum Alensem. Fundamentum est, quia forma infunditur iuxta quantitatem dispositionis. Sed contritio, seu dilectio est dispositio ad gratiam habitualem. Ergo gratia habitualis infunditur iuxta quantitatem contritionis. Ergo si quis resurgens à peccato habeat contritionem ut octo, solum consequetur gratiam ut octo; etiam si habuerit ante peccatum quam plurima merita. Ergo si statim moriatur, tantum consequetur gloriam ut octo; quia gloria non datur, nisi secundum quantitatem gratiarum in qua quis decedit.

Hinc sequitur, merita mortificata non ita reuiuscere ad essentiale præmium, ut propter illa detur aliquis specialis gradus gratiæ vel gloriæ distinctus ab illo qui daretur per solam contritionem, & alia opera meritoria quæ sunt post ultimam dispositionem usque ad mortem; quia talis gratia & gloria non potest excedere quantitatem contritionis, vel ultimi actus charitatis maximè intensi, quem homo in hac vita post ultimam contritionem elicuit.

4 Tertia Opinio est, merita reuiuscere ad proprium præmium essentiale, non tamen ad totum, quod ante peccatum illis debebatur, sed iuxta proportionem contritionis, vel dispositionis per quam quis resurgit à peccato. Ita videtur sentire D. Thomas art. 2. & art. 5. ad 3. & alij citati apud Bannes. Hi enim docent gratiam restitui in maiori, vel minori, vel æquali gradu, secundùm diuersas dispositiones. Quod duobus modis intelligi potest. Primo, quod illa gratia solùm restituatur æqualis illi dispositioni, per quam homo resurgit: quamuis non tantùm detur intuitu illius, sed etiam præcedentium meritorum. Et hoc sensu interpretatus est hos Autores Bannes pro sua opinione. Secundo, quod præter gratiam quæ correspondet contritioni præsenti, infundatur alia, ratione præcedentium meritorum, sed proportionata etiam præsenti dispositioni. Et hunc sensum videntur sequi Autores citati.

5 Prima Conclusio: Merita per poenitentiam reparata valent ad obtinendum præmium essentiale. Nam vita meritorum in eo consistit, quod vim habeant perducendi ad vitam æternam. Ergo, quando merita reuiuscunt, recipiunt illam vim perducendi ad vitam æternam. Sed vita æterna est præmium essentiale. Ergo valent ad consequendum præmium essentiale.

6 Secunda Conclusio: Merita per poenitentiam reparata rursus valent ad proprium præmium essentiale. Nam alioqui reuiuiscentia meritorum esset de solo nomine & titulo. Si enim nihil daretur ratione illorum, quod non esset dandum ratione contritionis, reuera nihil prodesse illa merita secundùm se. Et sic inanis esset illa consolatio qua Apostolus conatur Hebreos excitare ad poenitentiam.

Dices: Licet illa merita nihil noui conferant; tamen hoc efficiunt,

efficiunt, ut idem præmium essentiale, quod datur ratione contritionis, dicatur etiam dari propter illa merita; & sic detur pluribus titulis, quæ est magna perfectio. Respondeo. Parum prodest ad substantiam præmij, siue detur uno, siue pluribus titulis. Nam hi tituli solum faciunt ad denominationem extrinsecam.

7 Tertia Conclusio: Merita mortificata restituuntur integrè quoad totum præmium essentiale per quamcumque contritionem, & peccati mortalis remissionem. Ita Scotus in 4.d.22.q.1.art.2. Magister, Albertus, Gabriel, & Richardus d.15. Probatur primo, quia in hoc casu adsunt omnes conditiones enumeratæ à Conc. Tridentino, ut merita præterita consequantur suum præmium quod meruerant. Ergo reuera consequuntur totum præmium, quod meruerant, si homo in gratia decedat. Secundo, quia tunc merita dicuntur reuiuiscere, & in pristinum statum restitui, quando auferitur peccatum quod eorum vim & effectum impediebat: ut suprà probatum est ex D. Thom. Sed peccatum auferitur per quamcumque contritionem, etiam minimam: imò per quamcumque attritionē cum Sacramento. Ergo per quamcumque contritionem restituuntur in pristinum statum.

6 Obiectio. Hinc sequitur hominem, qui resurgit à peccato mortali per quamcumque contritionem etiam remissam, habiturum maius præmium essentiale, quam habuisset ante peccatum; quod videtur absurdum. Sequela patet, quia habebit præmium essentiale respondens contritioni, & præterea integrum præmium respondens prioribus meritis. Ergo simpliciter habebit maius præmium. Hoc autem est absurdum: quia sequitur melius esse hominem peccare & resurgere, quam cessare ab utroque actu. Nam priore modo augetur præmium gloriæ, & non posteriore. Respondeo: Verum est, quod habiturus sit maius præmium, non quia peccauit, sed quia pœnitentiam egit. Unde peccatum non confert ad augmentum premij, sed contrito. Imò, si illo actu, quo peccauit, aliquid boni fecisset: & similiter toto illo tempore quo mansit in peccato, multos actus meritorios exercuisisset: habiturus erat multò maius præmium, quam si peccasset & pœnitusisset.

## QVÆSTIO IV.

*An tota gratia prioribus meritis debita statim per paenitentiam restituatur?*

1 **O**stensum est merita perfectè reuiuiscere quoad totam gratiam ipsis antea debitam: nunc queritur, an tota gratia statim restituatur, quando quis resurgit à peccato? De gloria non est difficultas, cùm non detur nisi post hanc vitam. Aliqui ergo putant gratiam non restituiri statim, nisi secundùm mensuram dispositionis, seu contritionem qua quis resurgit à peccato. Ratio, quia agens non inducit formam, nisi iuxta dispositionem subiecti. Ita dicunt quidam sentire S. Thomam.

2 **P**rima Conclusio. Gratia præcedentium meritorum non restituitur iuxta mensuram dispositionis, qua quis resurgit à peccato. Probatur *primo*, quia illa dispositio respicit gratiam iustificantem quæ tunc confertur vi nouæ iustificationis: non autem gratiam quæ confertur vi præcedentium meritorum. *Secundo*, quia hoc ipso, quod homo aufert impedimentum peccati, satis est dispositus ad priorem gratiam recuperandam. *Tertio*, quia, alioqui sequeretur nihil prioris gratiæ restitui in iustificatione. Si enim non datur gratia, nisi secundùm mensuram dispositionis: ergo non datur gratia, nisi quæ debetur vi dispositionis. Si enim præter illam daretur alia præcedentium meritorum, iam tota gratia quæ daretur, excederet mensuram dispositionis.

3 **S**ecunda Conclusio. In ipso instanti iustificationis restituitur homini tota gratia præcedentium meritorum. Probatur ex dictis: quia tunc tota restituitur, quando totum impedimentum est ablatum. Sed in ipso instanti iustificationis aufertur peccatum mortale, quod impediebat præcedentia merita. Ergo tunc restituitur tota gratia præcedentium meritorum. Confirmatur, quia restitutio illius gratiæ non fit vi dispositionis, sed vi præcedentium meritorum. At præcedentia merita habent suam vim sublato peccato per quod impediebantur.

4 **P**rima Obiectio. Concil. Trident. sess. 6. cap. 7. docet hominem

minem in iustificatione recipere gratiam proportionatam suæ dispositioni. Ergo quando dispositio est remissa, non recipit nisi remissam gratiam. Ergo non recipit totam gratiam præcedentium meritorum, præsertim si fuit intensa. Respond. Trident. loqui de illa gratia, quæ per se infunditur vi iustificationis, non autem de gratia præcedentium meritorum, quæ per accidens coniungitur cum gratia iustificationis.

5 Secunda Obiectio. Tota gratia, quæ in prima iustificatione datur, omnino gratis datur, quia tota iustificatio est gratuita secundum Apololum. Ergo in iustificatione nulla datur gratia præcedentium meritorum. Hæc enim non daretur gratuitò. Respon. tota illa gratia datur gratis, quæ datur vi iustificationis: non autem quæ per accidens illi coniungitur ratione præcedentium meritorum. Hæc enim datur ex iustitia.

Dices: ergo in eodem instanti infunduntur diuersi gradus gratiæ ex diuersis titulis, quorum alij gratuitò, alij ex iustitia conferuntur. Respon. hoc non est nouum. Nam qui factè Baptismum suscipit, si postea pœnitentia recipit duplēm gratiam, vnam ratione Baptismi, alteram ratione pœnitentia. Similiter iustus in susceptione Eucharistiæ accipit duplēm gratiam: vnam ex opere operantis, seu ex iustitia; alteram gratis, & ex opere operato Sacramenti.

6 Tertia Obiectio. Illa gratia, quam meruit homo ante peccatum per bona opera, fuit illi statim data tanquam præmium suorum operum. Ergo, quando illam partem dissipauit per peccatum, non debet illi restituï ex iustitia ob eadem merita; alioqui ob eadem merita daretur bis præmium, quod ratio iustitiæ non postulat. Respondeo, illis meritis debetur vnum præmium perpetuum; ac proinde, si interrumpatur per peccata; debet postea restituï & continuari.

Nota, meritum nostrum esse tam efficax coram Deo, vt ex se non tantum infusionem gratiæ, sed etiam perpetuam eius conseruationem ex iustitia obtineat. Nam si hanc efficaciam habet secundum gloriam, vt omnes concedunt, habebit etiam respectu gratiæ iustificantis. Hoc interest, quod gloria semel data non possit amitti, & ideo eius

732 CAP. XXXV. DE SACRAMENTIS  
eius conseruatio non potest interrumpi. At gratia potest  
amitti, ac proinde continua eius conseruatio potest per  
peccatum interrumpi. Sublatō autem peccato statim ite-  
rum continuatur, quia ex vi meriti includit perpetuita-  
tem. Nec refert quod illae duæ gratiæ, videlicet amissa &  
restituta, sint distinctæ numero in genere entis; quia in  
genere moris ac præmij reputantur tanquam una.

### Q V A S T I O   V.

*An restituatur etiam gratia sine meritis obtenta?*

1 **P**Ræter gratiam, quam iusti consequuntur per merita  
sua, habent etiam alias sine suo merito, cuiusmodi  
est omnis prima gratia, quam quis accipit cum resurgit  
de peccato; & omnis præterea, quæ ex opere operato  
confertur. Quæritur ergo, an hæc etiam restituatur per  
pœnitentiam?

Aliqui negant, quia hæc gratia non datur ex meritis, sed  
ex liberali Dei donatione. Ergo quando semel perdita est  
nostra culpa, non est, cur iterum restituatur, quia nec in  
acceptatione diuina, neque alibi relinquitur aliquod fun-  
damentum, quo niti possit illa restitutio.

2 Prima Conclusio. Prima gratia iustificans, quæ per  
propriam sufficientem dispositionem obtenta est extra Sa-  
cramentum, restituitur per pœnitentiam. Probatur, quia  
illa prima gratia respondet primæ gloriæ. Sed prima glo-  
ria restituitur suo tempore. Ergo & prima gratia quæ ei  
respondet. Minor patet, quia prima gloria dupliciter spe-  
ctari potest. *Primo*, ut respondet primæ gratiæ, & sic da-  
tur tanquam hæreditas ( ut in infantibus. ) *Secundo*, ut  
respondet ipsi dispositioni informatæ per primam gra-  
tiæ; & sic debetur tanquam præmium, quia illa dispo-  
sitio informata per primam gratiam est meritoria primæ  
gloriæ. Cùm ergo omne meritum per pœnitentiam reui-  
uiscat, ut ostensum est, debet etiam reuiuiscere meritum  
primæ gloriæ. Sed vivificato merito alicuius gloriæ sta-  
tim datur ius ( licet non statim mereatur ) ad illam glo-  
riam. Ergo statim datur gratia proportionata illi gloriæ;  
quia ius ad gloriam fundatur in gratia iustificante.

3 Secunda

3 Secunda Conclusio. Etiam tota gratia iustificans, quæ collata est ex opere operato in Sacramento, restituitur per pœnitentiam. Probatur, quia illa gratia licet nobis gratis conferatur, & sine nostro merito, datur tamen ex iustitia respectu Christi propter illius merita quæ nobis in Sacramento applicantur. Sed merita Christi non sunt minùs efficacia quam nostra. Ergo si gratia, quæ data fuerat ex nostris meritis, iterum restituitur ablato peccato, multò magis restituetur ea gratia, quæ data fuerat ex meritis Christi. Confirmatur, quia merita Christi tam bene manent in acceptatione Dei quam nostra. Ergo quod nostris conceditur, illis negandum non est. Deinde patet in exemplo, quia gratia Baptismalis, si non fuit data ob fictionem peccati, datur postea recedente fictione. Ergo merita Christi, quæ erant applicata in Baptismo, & per peccatum impediebantur, postea sublato peccato vim suam retinent.

4 Tertia Conclusio. Homo qui iustus fuit & peccauit, si postea per pœnitentiam resurgat, semper resurgit cum maiore cumulo gratiæ. Sequitur ex dictis, quia accipit nouam gratiam proportionatam suæ dispositioni præter totam gratiam quæ prioribus meritis debebatur.

5 Prima Obiectio. Sancti Patres frequenter dicunt difficile esse post peccatum ad pristinum statum reuerti, ut patet ex Gratiano de pœnitentia, distinet. 40. vbi multa testimonia Patrum ad hoc adfert. At secundum nos semper reuertitur ad pristinum statum (imò ad meliorem.) Respondeo, Patres non loquuntur de pristino statu quoad meritum, vel gratiam apud Deum; sed de statu Ecclesiæ dignitatis aut ministerij. Nam secundum Canones non semper restituitur peccator in pristina officia, etiamsi pœnitentiam agat. Aliqui tamen etiam loquuntur de restituitione hominis ad pristinum statum apud Deum, non tamen quoad gratiam & sanctitatem, sed quoad reatum pœnae temporalis, quæ non semper tollitur; aut quoad reliquias peccatorum, seu prauas dispositiones, quæ sèpe manent post pœnitentiam, aut denique quoad priuationem alicuius deuotionis, & familiaritatis diuinæ.

6 Secunda Obiectio. Adam non statim rediit ad pristinum

num statum post poenitentiam, quia non recuperauit iustitiam originalem. Ergo falsa conclusio. Respondeo, Iustitia originalis includebat tria dona. *Primo*, gratiam iustificantem cum fide, spe, & charitate. *Secundo*, subiectiōnem inferioris appetitus ad superiorem. *Tertio*, immortalitatem corporis. Adam recuperauit primum donum, de quo solo hoc in loco agimus.

**7** Tertia Obiectio. Ex nostra doctrina sequitur hominem semper saluari cum maxima gratia, quam in toto vi-  
ta tempore habuit, etiamsi millies peccauerit. Quod vi-  
detur absurdum, quia ut refert Ioan. Maior in 4. dist. 22,  
*quæst. 2.* Parisis damnata fuit hæc propositio: Deus sem-  
per vocat hominem ab hac vita in optimo statu quem in  
illa habuit. Respondeo, totum illud verum est, quod in-  
fertur ex nostra doctrina. Cum enim nullus saluetur, nisi  
prædestinatus, & prædestinatio sit ad certum gradum gra-  
tiae & gloriae; verisimile est, cum primum prædestinatus  
peruenit ad illum gradum gratiae, ad quem est prædesti-  
natus, statim rapi ne malitia mutet intellectum eius. Vnde  
propositio, si de solis prædestinatis intelligeretur, non  
deberet damnari, cum sit verissima. Si autem absolute  
de omnibus hominibus proferatur, meritò damnanda  
est, quia constat reprobos s̄epe esse iustos in hac vita, &  
tamen in illo statu non saluantur; quia iterum permittun-  
tur labi.

## C A P V T    X X X V .

*De contritione, quæ est prima pars pœnitentie.*

**Q**UÆRITVR de contritione supernaturali, quæ  
possit esse dispositio ad gratiam sanctificantem, &  
remissionem peccati mortalis. Hæc potest tripli-  
citer spectari. *Primo*, ut est actus virtutis. *Secundo*, ut est  
pars Sacramenti Pœnitentia. *Tertio*, ut est dispositio ad ef-  
fectū huius Sacramenti. Dicam *primo*, de natura huius con-  
tritionis. *Secundo*, de intensione eius. *Tertio*, de extensione  
respectu peccatorum. *Quarto*, de duratione. *Quinto*, de di-  
gnitate. *Sexto*, de necessitate tum extra, tum in Sacramento.

## QVÆSTIO I.

*De natura contritionis & attritionis.*

1. **P**rimo quæritur, quid sit contritio generatim sumpta. **S**ecundo, quid contritio propriè dicta, ut ab attritione distinguitur. **T**ertio, quid attritio. **Q**uarto, quotuplex attritio. **Q**uinto, an attritio possit fieri contritio.
2. Prima Conclusio. Contritio generatim sumpta definitur in Conc. Trident. sess. 14. c. 4. ita : *Est animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero* : Dividitur autem in perfectam, quæ propriè dicitur contritio, & imperfectam, quæ proprie dicitur attritio.  
 Nota : Tametsi hæc tria : odium peccati, detestatio peccati, & dolor de peccato sumantur sæpe pro eodem; propriè tamen distinguuntur. Nam dolor, seu tristitia est effectus detestationis. Odium peccati habet locum in Deo & Beatis, ybi tamen non est contritio, vel detestatio peccati : nec ex illo odio oritur dolor, aut tristitia.
3. Secunda Conclusio. Contritio propriè dicta, quatenus distinguitur ab attritione, est detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero, ex motu charitatis. Vel ut alij definient : est detestatio peccati propter Deum summè dilectum. Vel denique, est detestatio peccati super omne detestabile. Hinc D. Augustinus serm. 7. de tempore, ait : *Veram pœnitentiam non facit, nisi odium peccati, & amor Dei.* Ratio est, quia contritio debet esse per se sufficiens dispositio ad gratiam, & remissionem peccati mortalis. Ergo debet includere auersionem à peccato, & conuersiōnem ad Deum. Hæc autem conuersio fit per actum amoris Dei super omnia.
4. Quæres : An hic amor ad contritionem necessarius, sit distinctus actus ab ipsa contritione ? Aliqui affirmant, quia contritio est detestatio peccati ob Deum summè dilectum. Ergo supponit dilectionem Dei super omnia. Ergo sunt duo distincti actus. Alij negant, quia, qui habet solam contritionem, potest iustificari ante aëtum amoris. Ergo contritio non necessariò requirit actum amoris coniunctum. Antecedens patet, quia iustificatio, seu remissio peccati

736 C A P . XXXV . D E S A C R A M E N T I S  
cati promittitur soli contritioni , Ezech.33.v.12. Impietas im-  
pij non nocebit ei , in quacumque die auersus fuerit ab impieta-  
te sua. Ego tamen respondeo , quod solutio pendeat ex di-  
Etis cap. 30. quest. 3. conclus. 3.

5 Tertia Conclusio. Attritio est detestatio de peccato  
commisso cum proposito non peccandi de cætero , ex alio  
motiuo quam charitatis , id est , ex aliquo motiuo hone-  
sto , quod non sit ipse Deus , quatenus est summum bonum  
à quo peccatum avertit. In hoc enim essentialiter differt  
attritio à contritione , quod contritio fiat ex motiuo cha-  
ritatis Dei super omnia ; non autem attritio. Aliæ diffe-  
rentiæ afferri solite vel non sunt essentiales , vel non sunt  
legitimæ. Ac primò aliqui putant illos actus differre in-  
tensione , aut duratione temporis ; quod falsum esse pate-  
bit quest. 2. & 4. Alij putant distingui ex sola acceptatione  
diuina ; quod etiam falsum est , quia nec contritio habet  
esse contritionis ab illa acceptatione ; nec attritio semper  
excludit acceptationem , quia in Sacramento etiam ac-  
ceptatur tanquam sufficiens dispositio proxima , & extra Sa-  
cramentum tanquam remota. Alij putant distingui per  
informationem gratiæ iustificantis ; quasi detestatio pec-  
cati , antequam coniuncta sit cum gratia iustificante , vo-  
cetur attritio , postea vero contritio. Sed contrà est , quia  
contritio etiam priùs natura , quam formetur per gratiam ,  
est vera contritio , ut dicetur quest. 5. Et attritio etiam for-  
mata per gratiam manet attritio. Alioqui iusti nunquam  
haberent attritionem.

Dices : Quomodo ergo docent Theologi , hominem ex  
attrito fieri contritum per Sacramentum ? Hoc ideo do-  
cent , quia attritio per infusionem gratiæ Sacralis fit  
contritio. Resp. de hoc dicetur in ult. conclus.

6 Quarta Conclusio. Attritio duplex est. Una oritur ex  
metu gehennæ , & aliarum poenarum : altera ex peccati fœ-  
ditate. Ita Trid. loco citato.

7 Quæres primo , quomodo attritio ex metu gehennæ  
sit honesta ? Ratio dubitandi est , quia timor ille videtur  
esse turpis & seruilis. Primo , quia virtualiter includit hunc  
affectionem & voluntatem : non detestaret peccata nisi con-  
stituta esset illis poena. Hic autem affectus non est honestus.

Secundo ,

*Secundo*, qui detestatur culpam propter poenam, plus odit hanc, quam illam. Hoc autem est contra rectam rationem. *Tertio*, quia non potest illa virtus assignari, ad quam pertineat hic actus. *E. non* est actus honestus. Respon. Timor gehennæ, & aliarum poenarum, ex quo oritur attritio tanquam ex fine proximo, non excludit debitum finem ultimum, & ideo per se non est malus. *Secundo*, nec includit effectum illum conditionatum, de quo dictum est. Nam qui detestatur peccatum ex timore poenæ, non censetur illud detestari sub conditione, sed absolute & efficaciter. Nam timor poenæ non est conditio, sub qua detestatur peccatum, sed est motiu[m], ex quo adducitur ad detestationem peccati. *Tertio*, quamvis illo actu, quo detestatur peccatum ob poenam, magis detestetur poenam, quam culpam. Hoc tamen non obstat, quo minus possit alium actum elicere quo magis detestetur culpam, quam poenam. Nec opus est, ut quis per quemlibet actum à se elicitum magis detestetur culpam, quam poenam. Sicut econtrariò non opus est, ut quis per quemlibet actum amoris plus diligit Deum, quam creaturam. Sicut ergo beneficium ab ipso Deo acceptum potest esse motiu[m] ad amandum Deum. Sic poena à Deo constituta potest esse motiu[m] ad detestandum peccatum. *Quarto*, actus timoris poenæ pertinet ad virtutem spei, ut suppono ex 2. 2. quæst. 17.

8 Quæres *secundo*, quomodo attritio, quæ oritur ex fœditate peccati sit supernaturalis? Ratio dubij est, quia qualibet virtus naturaliter acquisita potest detestari peccatum sibi oppositum ob turpitudinem honestati virtutis contrariam. Respondeo, fœditas seu turpitudo peccati potest dupliciter spectari. *Primo*, quatenus lumine naturali cognoscitur. *Secundo*, quatenus per fidem & reuelationem cognoscitur. *Priore* modo est motiu[m] naturale, *posteriori* supernaturale. Itaque attritio potest esse naturalis, vel supernaturalis ratione diuersi motiu[i].

9 Quæres *tertio*, an tantum sit duplex attritio, scilicet ex metu poenarum, & ex fœditate peccati? Ratio dubitandi est; quia tot sunt species attritionis, quot sunt motiu[m] distincta ex quibus mouemur ad detestationem

peccati. Sunt autem plura motiva quam illa duo. Possimus enim detestari peccatum non solum ob metum poenarum, aut peccati foeditatem; sed etiam ob amorem vitae æternæ; aut quia peccatum est contra rectam rationem, aut contra iustitiam. Respon. illa diuisio attritionis in duo membra est generica & sufficiens; quia duplex est malum, poenæ & culpe. Ergo generatim loquendo duplex est detestatio peccati, altera ob malum poenæ, altera ob malum culpe. Ergo duplex tantum attritio. Porro malum culpe diuidi potest. Vel enim est suprema malitia culpe, quatenus contraria est bonitati diuinæ in se, & amori eius; & sic est obiectum contritionis. Vel est qualibet alia malitia inuenta in peccato, quatenus discordat à regula rationis; & sic est obiectum attritionis, præsertim illius quæ oritur ex foeditate peccati. Cùm autem foeditas peccati præter illum supremam sit multiplex siue in diuersis peccatis, siue in eodem secundum diuerfas rationes. Hinc fit ut sit etiam multiplex attritio, & vna oriatur ex hac, alia ex alia peccati foeditate. Generalis foeditas est esse contra rectam rationem; specialis est esse contra iustitiam, vel aliam quamlibet virtutem specialem. Porrò illa attritio quæ oritur ex amore vitae æternæ, reuocanda est ad eam, quæ oritur ex metu poenarum. Sicut enim ad eandem virtutem spei pertinent hi duo actus, nempe amor vitae æternæ, & timor poenæ æternæ: sic etiam eiusdem virtutis sunt attritio concepta ex amore vitae æternæ, & concepta ex timore poenæ æternæ.

10 Quinta Conclusio. Homo ex attrito potest fieri contritus, non tamen ex attritione potest fieri contritio. Prima pars potest tripliciter verè intelligi. *Primo*, vt homo, qui nunc habet attritionem, postea acquirat contritionem. Tunc enim ex attrito fit contritus, sicut ex calido fit frigidus. (*Calor autem non fit frigus.*) *Secundo*, vt attritione addatur timor Dei super omnia. Tunc enim qui per solam attritionem erat tantum attritus, postea per attritionem coniunctiuam cum amore Dei, potest dici contritus per æquivalentiam. *Tertio*, vt attrito conferatur gratia in Sacramento non minus, quam contrito extra Sacramentum. Tunc enim attritus dicitur fieri contritus non formaliter, sed quoad valorem & effectum, quia scilicet attritus

tritus in Sacramento tam bene consequitur gratiam, & remissionem peccatorum, quam contritus extra Sacramentum. *Posterior* pars probatur, quia fieri non potest, ut idem actus numero, qui erat ante essentialiter attritio, postea fiat contritio. Si enim qui antea detestabatur peccatum ex motu poenarum, postea incipiat illud detestari ex motu charitatis, tunc quidem ex attrito fiet contritus, non tamen attritio fiet contritio, sed post attritionem succedit contritio.

## QVÆSTIO II.

*De intensione seu quantitate contritionis.*

**D**Einceps agam potissimum de contritione propriè dicta, & distincta ab attritione. Est ergo quæstio, an contritio debeat esse summa intensiù?

**2** Prima Opinio, ad contritionem requiri summam intensionem actus, quam homo prestare potest per totum conatum sibi possibilem. Ita Adrianus VI. in quæst. 2. de pænitent. Ratio est, quia ad contritionem requiritur, ut summe detestemur peccatum ex amore Dei super omnia. Hoc autem fieri non potest sine summo nostro conatu.

**3** Secunda Opinio est, requiri summam intensionem, non quidem absolutè, sed comparatiuè, ita ut homo maiore intensione doleat de peccato, quam de quolibet alio malo, & quam diligit quodlibet bonum creatum. Ita Petrus Soto leçt. 14. & 15. de pænitentia. Ratio est, quia tenemur detestari peccatum super omnia detestabilia. Illud autem magis detestamur, quod maiore conatu, & intensione detestamur.

Tertia Opinio est, quamvis ad contritionem non requiratur summa intensio, requiri tamen certum aliquem gradum intensionis, quem Deus nouit. Pro hac sententia citari solet Scotus in 4. dist. 14. quæst. 2. art. 2. Et D. Thom. in 4. distinc. 17. quæst. 2. art. 7. quæstiuncula 3. vbi ait, dolorem voluntatis adeo remissum esse posse, ut non sufficiat ad contritionem.

**4** Prima Conclusio. Ad veram contritionem requiri sunt summus dolor in voluntate. Patet ex Scripturis, Deu-

teronom . 30 . vers . 1 . Si ductus pœnitudine cordis reuersus fueris ad Dominum in toto corde tuo , miserebitur tui . 3 . Reg . 8 . vers . 46 . Si peccauerint tibi , & reuersi fuerint ad te in uniuerso corde suo , propitiaberis populo tuo . Ioel . 2 . vers . 12 . Conuertimini ad me in toto corde vestro . Ratio est , quia contritio nascitur ex amore Dei . Sed amor Dei debet esse summus , iuxta Matth . 22 . vers . 37 . Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo . Confirmatur , quia sicut Deus summo amore amandus est , quia est summè bonus & amabilis : ita peccatum summo odio detestandum est , seu summè malum & odibile .

5 Secunda Conclusio . Non necesse est dolorem contritionis esse summum intensiùe , seu ex toto conatu voluntatis . Probatur primo , quia Scriptura hoc non exigit , vt dicam in seq . conclus . Secundo , quia nemo potest certò cognoscere , an operetur ex toto conatu . Si ergo id necesse esset , multi scrupuli orirentur . Tertio , quia certum est inter eos , qui verè & cum fructu dolent de peccatis suis , alios magis , alios minùs dolere . Ergo non est simpliciter necessarium dolere ex toto conatu . Antecedens patet exemplo Magdalena , quæ plus aliis doluit , Lucæ 7 . vers . 47 . Remittuntur ei peccata multa , quoniam dilexit multum . Quarto , quia formæ , quæ intenduntur & remittuntur , semper sunt eiusdem rationis ac speciei in quocumque gradu . Sed dilectio Dei , & dolor de peccatis possunt intendi & remitti . Ergo in quocumque gradu semper sunt eiusdem rationis ac speciei . Quinto , quia dupliciter intelligi potest contritionem fieri ex toto conatu , 1 . ex toto conatu solius voluntatis , 2 . ex toto conatu voluntatis excitatæ , & adiutæ per gratiam actualis . Prior conatus nihil ad rem facit , quia non naturalem , sed supernaturalem dispositionem exigo . Posterior non potest excedere mensuram gratiæ actualis . Est autem in solo arbitrio Dei dare maiorem , vel minorem gratiam excitantem .

6 Tertia Conclusio . Dolor contritionis debet esse summus appretiatiuè , quia debet oriri ex motu charitatis Dei super omnia . Vnde , sicut amor Dei super omnia , non debet necessariò esse summus intensiùe , sed tantum appretiatiuè , quia scilicet præfert Deum creaturæ ; sic etiam seruata

seruata proportione de contritione sentiendum. Et hoc sensu loquitur Scriptura , quando requirit conuersionem ex toto corde.

Hinc sequitur *primo* , cùm amore Dei super omnia , & cum vera contritione posse consistere intensiorem amorem,& dolorem alterius rei,modò non sit contra charitatis præceptum. Scribit D. Hieronymus de sancta Paula, quod intensius doluerit de morte filiorum , quam de peccatis suis , & tamen non malè fecerit. *Secundo* , sequitur dolorem contritionis posse esse summum appretiatuè, licet sit minimus intensiuè. Potest enim fieri, vt aliquis minimo conatu doleat de peccatis ex motiuo charitatis Dei super omnia. Vide plura *in 2. 2. de charitate.*

### QVÆSTIO III.

*De extensione contritionis respectu peccatorum.*

**I** QVÆSTIO est: an necesse sit , actum contritionis versari circa omnia , & singula peccata in particulari. Certum est, *Primo*, contritionem debere versari circa omnia peccata faltem in confuso , ita vt nullum positiuè excludatur. Ratio est, quia cùm sit ultima dispositio ad gratiam , & gratia non possit consistere cum ullo peccato mortali , necesse est omnia mortalia dispositiuè ( non formaliter ) tolli per contritionem. *Secundo*, certum est, non requiri tot actus contritionis numero distinctos,quot sunt peccata numero distincta : sed sufficere unum simplicem actum,quo omnia simul detestemur. Nam in uno actu est sufficiens motuum ad omnia mortalia simul detestanda. Hæc ex parte voluntatis sunt. *Tertio*, certum est ex parte intellectus requiri memoriam, seu cogitationem aliquam de peccatis à se commissis ; quia non sufficit cogitare de peccato præcisè sumpto , quatenus malum quoddam , seu offensa Dei est ; sed necesse est, cogitare de peccato , quatenus à nobis commissum est ; alioqui non posset esse contritio de illo , sed tantum simplex odium , aut displicentia. His positis, queritur, qualis & quanta debeat esse hæc recogitatio peccatorum , ut sufficiat ad veram contritionem ?

2 Prima Opinio est necessarium esse, ut aliquis distincte recogit omnia, & singula peccata, tum quoad speciem, tum quoad numerum; & sic de eis doleat. Ita D. Thom. q.87. art.1. & multi alij. Probatur ex Scripturis, Isa.18.v.15. *Recogitabo omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Ezech.c.18.v.21. *Si impius egerit pænitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est.* Ratio, quia, qui vult per contritionem delere sua peccata, debet esse medicus, & iudex sui ipsius. Sed nec medicus potest curare vulnera, nisi distincte singula perspecta habeat, nec iudex potest pronunciare sententiam, nisi causa sit priùs examinata. Hæc sententia difficultis est, saltem practicè.

3 Secunda Opinio est, nec ad contritionem, nec ad iustificationem requiri distinctam recognitionem omnium peccatorum, sed sufficere, si quis confusè omnia detestetur. Ita Ioan. Maior in 4.d.17.art.3. & multi alij cum Nauarro.

Nota, duplíciter intelligi posse hanc quæstionem. *Primo*, an contritio extra Sacramentum requirat cognitionem de singulis mortalibus peccatis, ut homo possit iustificari. *Secundo*, an requirat illam in ordine ad confessionem, vel quod idem est, an ea cogitatio de singulis peccatis requiratur ex speciali præcepto contritionis, an ex speciali præcepto confessionis, vel an neutro modo.

4 Prima Conclusio. Vera contritio, quæ iustificat extra Sacramentum, non requirit cognitionem, aut examen singulorum peccatorum in particulari, neque necessitate medijs, neque præcepti. Priùs patet, quia, qui non habet tempus cogitandi de singulis peccatis, potest iustificari detestando peccata sua in communi, ut omnes concedunt. Ergo ad contritionem veram non requiritur examen necessitate medijs. Hinc probatur posterius etiam, quia; si haberi potest vera contritio *sine* examine, ut dictum iam. Ergo satisfieri potest, præcepto sive examine. Nam præceptum contritionis per se non potest ulterius obligare quam ad veram contritionem. Vera autem contritio potest haberi sine examine. Vnde sequitur satis esse si quis doleat de omnibus peccatis suis, quæ occurruunt, & nullum habeat affectum circa aliquod peccatum in particulari.

5 Secunda Conclusio. Particulare singulorum mortuum examen tantum necessarium est propter confessionem faciemdam. Patet tum ex dictis, tum ex dicendis *infra de confessione*; quia haec debet fieri de singulis peccatis in particulari; ac proinde requiritur examen singulare de particulari, quale autem debeat esse examen, *infra*, dicitur. Ad loca autem Scripturæ pro prima opinione citata. Respondeo ex iis non colligi præceptum. Ad rationem respon. peccatorem nec esse medicum nec iudicem. Vtrumque enim officium extra Sacramentum Deus, &c in Sacramento præstat Sacerdos.

## QVÆSTIO IV.

*De duratione contritionis.*

<sup>1</sup> **Q**uestio est, an ad veram contritionem requiriatur aliqua temporis duratio, quod potest dupliciter intelligi. *Primo*, an peccator possit in instanti efficere quicquid ex parte intellectus, & voluntatis necessarium est ad veram contritionem. *Secundo*, an positis omnibus, quæ ex parte intellectus necessaria ad eliciendum actum contritionis, possit voluntas in instanti non solum elicere illum actum, sed etiam tam perfectè elicere, ut habeat rationem, & causalitatem veræ contritionis. Hoc negat Scotus in 4. distinct. 14. questione 2. & Caietanus tom. 1. opuscul. tract. 4. questione 1. Ratio huius est, quia si Deus statim in ipso instanti contritionis infallibiliter infunderet gratiam iustificantem, posset homo esse certus de sua gratia, quia potest esse certus de sua contritione. At non est de sua gratia certus. Ergo signum est actum contritionis debere aliquo tempore durare antequam Deus gratiam infundat: neque nobis constare, quanta sit illius temporis mensura.

<sup>2</sup> Prima Conclusio. Peccator non potest in instanti efficere quidquid ex parte intellectus, & voluntatis necessarium est ad veram contritionem secundum viam ordinariam. Ratio, quia duo spectari debent in contritione. *Primo*, quod sit actus supernaturalis. *Secundo*, quod sit actus humanus & deliberatus. Igitur ad illum eliciendum

744 CAP. XXXV. DE SACRAMENTIS  
requiritur primo, gratia excitans. Secundo, consideratio &  
deliberatio. Tertio, iudicium practicum. Quartus, consen-  
sus voluntatis. Hæc autem ordinariè non fiunt in uno in-  
stanti, ut testatur experientia.

3 Secunda Conclusio : Positis omnibus quæ ex parte  
intellectus necessaria sunt ad eliciendum actum contri-  
tionis potest voluntas in instanti illum elicere, si velit.  
Ratio est, quia, cùm actus ille secundum se non sit succe-  
sivus, potest elici in instanti. Ergo positis omnibus requi-  
sitis ad illum eliciendum, voluntas illum in instanti elicit,  
si vult.

4 Tertia Conclusio. Actus contritionis eo ipso instan-  
ti, quo elicitur, est sufficiens dispositio ad gratiam iusli-  
ficantem, & Deus eodem instanti infundit gratiam, quo  
peccator elicit actum contritionis. Est contra Cajetanum.  
Ratio, quia Deus promisit se hoc facturum, Zachariæ 1.  
v.3. *Conuertimini ad me, & conuertar ad vos.* Apocalypses 3.  
vers.20. *Sto ad ostium, & pulso, si quis aperuerit mihi ianuam,*  
*intrabo ad illum.* Ezechielis 33. vers. 12. *Impietas impi non*  
*nocebit ei, in quacumque die conuersus fuerit ab impietate.* Vbi  
hoc, in quacumque die, perinde valet, ac si diceret, in quo-  
cumque momento, quia sic additur ibidem : *Iustus non poterit*  
*vinere in iustitia sua, in quacumque die peccauerit.* Hinc su-  
mitur noua ratio, quia sicut iustus eodem instanti, quo  
peccat, amittit iustitiam : sic peccator eodem instanti, quo  
conteritur, acquirit iustitiam.

Dices ergo potest esse certus de sua iustitia. Respondeo  
potest esse certus certitudine morali, non tamen fidei cer-  
titudine. Non enim habet immediatam reuelationem de  
sua iustitia. De certitudine Theologica potest esse qua-  
stio. Alij putant eam haberi posse tali discursu : Quicun-  
que habet contritionem, infallibiliter accipit gratiam. At  
ego nunc habeo contritionem. Ergo nunc accipio gra-  
tiam. Maior propositio est de fide. Minor est evidenter  
nota per vitalem experientiam. Sequitur ergo conclusio  
Theologica. Mihi tamen non sic videtur. Quamuis enim  
possit alicui notum esse per vitalem experientiam, se habe-  
re actum doloris & contritionis; non tamen est eidens il-  
lum actum esse supernaturalem. Vitalis enim experientia

per se non sufficit ad discernendum an actus internus sit naturalis, vel supernaturalis. Potest tamen aliunde constare, quod sit supernaturalis hoc modo: Nemo potest sine gratia excitante detestari sua peccata ex amore Dei super omnia. Sed ego experior me detestari peccata ex amore Dei super omnia. Ergo facio hoc per gratiam Dei excitantem. Ergo actus meus est supernaturalis. Vide plura de fidei interno actu, *in tractatu de fide*.

## QVÆSTIO V.

*De dignitate contritionis.*

- 1 **Q**uestio est: An actus contritionis semper sit informatus gratia iustificante; quod tripliciter intelligi potest. *Primo*, essentialiter, an scilicet ipsa contritio per se essentialiter sit forma iustificans & gratum faciens. *Secundo*, effectuè, an scil. contritio effectuè à gratia iustificante producatur. *Tertio*, concomitanter, an scilicet contritio semper coniuncta sit cum gratia iustificante. D. Thom. habet duos posteriores sensus.
- 2 Prima Conclusio. Contritio non est forma per se iustificans, sed tantum est dispositio ad eam. Hoc *suprà* etiam probatur *e.3. & in materia de iustificatione*. tones
- 3 Secunda Conclusio. Contritio non producitur effectuè à gratia iustificante, nec ab ullo habitu supernaturali: sed a voluntate peccatoris, quatenus excitatur & adiuuatur per gratiam actualem. Loquor de contritione peccatoris, quia in homine iusto potest produci ab habitu charitatis. Ratio conclusionis petenda est ex materia de iustificatione: quia gratia iustificans, quæ immediate est in essentia animæ, non est forma physicæ actiua. Habitus autem charitatis est quidem physicæ actiuius, sed non infunditur peccatori, nisi mediante contritione tanquam prævia dispositione. Dispositio autem non potest physicè produci à forma, ad quam est dispositio, ut passim docente philosophi, quamvis D. Thom. & alij quidam contrarium sentiant.
- 4 Tertia Conclusio. Contritio semper coniuncta est cum gratia iustificante. Patet ex dictis, quia Deus promisit

QVÆSTIO VI.

*De necessitate contritionis.*

1 **O**MNES fatentur contritionem non esse necessariam in Sacramento pœnitentia, quia ibi sufficit attrito. Quæritur autem an extra Sacramentum necessaria sit ad iustificationem, & quo iure necessaria sit, an positivo, an naturali. Certum est, *Primo*, necessariam esse iure positivo, iuxta illud Lucæ 13. vers. 5. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis. Secundo*, certum est, necessariam esse iure naturali, secundum D. Thom. quæst. 84. art. 7. ad 1. & alios contra Ioan. Medin. & colligitur ex Concil. Trident. sess. 14. cap. 4. vbi dicit: *Contritio necessaria fuit omni tempore*. Ergo etiam ante legem scriptam fuit necessaria. Tunc autem non fuit necessaria iure positivo. Ergo iure naturali. Ratio est, quia, qui peccauit, tenetur naturaliter (supposita fide) reconciliari cum Deo. Sed non est aliud medium reconciliandi extra sacramentum, quam contritio. Ergo, &c.

His positis dubium est, quodnam sit speciale præceptum contritionis. Aliqui putant contineri in Decalogo, & esse quintum præceptum non occidendi (spiritualiter) ut Andr. Vega. lib. 13. in Concil. Trident. can. 20. Alij putant contineri partim illis verbis: *Diliges Dominum Deum tuum*, partim illis: *Diliges te ipsum*. Nam vi prioris præcepti tenemur cum Deo reconciliari: & vi posterioris tenemur propriæ saluti consulere. Ita Mel. Can. in rel. de pœnit. par. 3.

2 Prima Conclusio. Non necesse est præceptum contritionis etiamsi naturale sit, contineri in decalogo. Ergo. Probatur, quia multa sunt præcepta naturalia, quæ in Decalogo non continentur, ut præceptum de pluralitate uxorum, de usura, & similia. Ratio est, quia sufficit, si eiusmodi præcepta lumine naturali deducantur ex præceptis Decalogi. Illud autem præceptum: *Dilige: Dominum Deum & proximum*, &c. non est speciale præceptum Decalogi; sed sunt duo generalia præcepta totum Decalogum complecten-  
tia. Nam illud: *Diliges Dominum*, &c. continetur in omni  
præcepto.

præcepto primæ & secundæ tabulæ. Illud autem: *Diliges proximum*, continetur in omnibus præceptis secundæ tabulæ. In hoc autem sensu nihil aliud est diligere Deum, quam seruare eius legem. Diligere autem proximum est recte se habere in omnibus erga proximum. Est tamen præceptum speciale dilectionis Dei, quod positiuè obligat, & specialiter ad actum charitatis, non tamen continetur in aliquo præcepto speciali Decalogi. Antecedens patebit paulò post.

3 Secunda Conclusio. Speciale præceptum continetur nequaquam in quinto præcepto Decalogi, ut dicit Vega. Probatur, quia hoc præceptum prohibet tantum læsionem, seu damnum corporis, non autem animæ. Ergo non debet extendi ad contritionem, aut peccatum hinc oppositum, quæ est impœnitentia. Confirmatur, quia non solum imœnitentia, sed etiam alia mortalia peccata occidunt animam. Ergo si imœnitentia specialiter prohibita esset illo: *non occides*, sequeretur omnia mortalia peccata specialiter illo præcepto prohiberi, quod est absurdum.

Dices: non videtur esse simile, quia alia peccata mortalia occidunt animam reparabiliter, imœnitentia autem irreparabiliter. Respondeo, hoc solum verum est de imœnitentia finali. Est autem per accidens, quod illa irreparabiliter occidat animam. Nos hic disputamus de imœnitentia secundum se; quatenus est transgressio præcepti contritionis.

4 Tertia Conclusio. Speciale præceptum contritionis non constat ex dupli capite, quod Canus assignauit, sed oritur ex virtute charitatis Dei, quatenus tenemur cum Deo reconciliari. *Prius* patet, quia alioqui imœnitentia esset in dupli specie peccati. *Posteriori* probatur, quia posituum præceptum charitatis, si aliquando obligat, tunc maximè, quando quis est in peccato, ut reconcilietur cum Deo quem offendit.

Dices: præceptum charitatis Dei non est speciale, quia comprehenditur in omnibus præceptis Decalogi. Ergo ex eo non potest oriri specialis obligatio contritionis. Respondeo præceptum diligendi Deum est duplex. *Primo* generale, quod in toto Decalogo continetur, cuius obligatio est

748 CAP. XXXV. DE SACRAMENTIS  
est servare legem Dei. Secundo, particulare, quod positum  
obligat ad actum charitatis, siue hic actus sit dilectio Dei,  
siue detestatio peccati quatenus est offensa Dei. Ex hoc  
ergo posteriore precepto oritur specialis obligatio con-  
tritionis.

---

### Q V E S T I O / VII.

*Quo tempore nos obliget hoc preceptum contritionis?*

1. **A**Liqui putant statim obligare post peccatum admissum. Alij in casibus tantum certis. Sit ergo.
2. Prima Conclusio. Certum est preceptum contritionis per se obligare in articulo extremæ necessitatis, id est, in periculo mortis. Est communis sententia. Probatur, quia est preceptum affirmatum. Ergo obligat aliquando. Ergo maximè in periculo mortis, quia tunc maximè necessaria est contritio, si velimus saluari.
3. Quæres: an in hoc casu, quando per se obligat preceptum contritionis, non sufficeret attritio cum Sacramento poenitentiae? Aliqui cum Valentia negant. Alij rectius affirman, quia hoc preceptum solum obligat eos qui habent peccatum mortale. Ergo si quis potest liberari à mortali per attritionem & confessionem, non amplius obligatur precepto contritionis.
4. Secunda Conclusio. Certum quoque est preceptum contritionis obligare, quando recepturi aut administranti sumus aliquod sacramentum. Est communis sententia. Solum in eo discrepant Theologi, an hoc preceptum in tali casu obliget per se, an vero ratione adiunctionis, seu ad eundam peccatum sacrilegij. Hoc posterius est probabilius, quia alioqui duo peccata committerentur. *Vnum impenitentiae contra preceptum contritionis: alterum sacrilegij contra preceptum Religionis*, quo tenemur dignè tractare sacramenta. Dicendum ergo committi solum peccatum Sacrilegij, si quis sine contritione cum peccato mortali accedat ad sacramentum, siue accipiendum, siue administrandum.

Præter hæc duo tempora solent alia assignari, quibus obliget preceptum contritionis. *Primo*, in die festo. *Secundo*,

in communi calamitate Ecclesiae. *Tertia*, in periculo obli-  
uionis peccatorum.

5. *Tertia Conclusio.* Ex præcepto contritionis non tene-  
mur statim conteri simul atque peccavimus. Probatur  
*primo*, quia sequeretur peccatum actuale continuari toto  
illo tempore usque ad contritionem. Nam si præceptum  
contritionis statim obligat ratione sui. Ergo statim pecca-  
tur contra hoc præceptum si non statim adsit contrito.  
*Secundum*, quia præcepta affirmativa non obligant semper,  
sed quibusdam temporibus. At præceptum contritionis est  
affirmativum.

6. *Prima Obiectio.* Vnusquisque tenetur statim corripere  
fratrem quem nouit esse in peccato. Ergo potiori ratione  
tenetur ipsum statim liberare a peccato, quia charitas,  
vel potius misericordia, cuius actus est correctio, potius  
obligat nos respectu nostri quam aliorum. Hoc argumento  
probat Adrianus oppositam sententiam, quia non statim  
tenemur eripere proximum a peccato, sed possumus expe-  
ctare occasionem secundum Augustin. i. ciuit. 9. Ergo etiam  
respectu nostri possumus expectare opportunitatem. Hoc  
refutat Canus in rel. de panit. p. 4. quia D. Augustinus solum  
vult aliquando posse nos differre correptionem, quando  
vel fieret cum propria iactura, vel certe postea commodius  
fieret in utilitatem fratribus. Quod si nulla harum causarum  
interueniat, non possumus differre, sed statim tenemur ad  
correptionem. Cum ergo possumus nos ipsos eripere a sta-  
tu peccati sineulla aliqua iactura, & saltet non minus  
commodè quam postea, tenebimus statim id facere per  
contritionem & non differre.

*Resp.* Canus disparem esse rationem, quia bonorum spi-  
ritualium proximi non sum dominus, sed custos; At vero  
propriorum bonorum spiritualium sum dominus. Vnde fit  
ut tanquam fidelis custos statim teneat eripere proximum a  
statu peccati; me autem non teneat eripere, quia tanquam  
dominus meæ vitæ spiritualis possum eam prodigere. Haec  
solutio non satisfacit, quia aliud est teneri ex iustitia, aliud  
ex charitate & misericordia. Canus tantum ostendit me  
non peccare contra iustitiam si non liberem me a statu  
peccati, quia sum dominus vita meæ spiritualis; ac proinde  
nemini

750 CAP. XXXV. DE SACRAMENTIS  
nemini facio iniuriam, si eam non recuperem. Obiectio  
verò procedit de charitate, quia si teneor fratrem iuuare  
ex charitate & eripere ex peccato, multo magis méipsum  
teneor.

Respondeo ego, non tenemur statim ad correctionem,  
nisi in duobus casibus. *Primo*, quando peccatum proximi  
continuatur. *Secundo*, quando est periculum aut occasio  
noui peccati. Idem proportione seruata dicendum est de  
contritione.

Secunda Conclusio. Statim teneor restituere rem tem-  
poralem quam furto abstuli. Ergo statim teneor etiam de-  
ferere peccatum, & restituere Deo honorem ablatum per  
peccatum. Respondeo non est simile. *Primo*, quia præcep-  
tum restitutionis est negativum. Ergo statim obligat. Con-  
firmatur, quia est idem planè cum præcepto non furandi.  
Hoc enim non tantum prohibet actum furandi, sed etiam  
detentionem rei alienæ, quæ, licet non sit actio physica, est  
tamen actio moralis capax prohibitionis sicut armatum  
esse. Vnde sicut armatum esse contra præceptum Principis  
est peccatum actuale: ita detinere rem alienam contra  
præceptum naturæ est actuale peccatum. Nam proximus  
non tantum patitur damnum quum ei res aufertur; sed  
multò magis, quando detinetur contra eius voluntatem.  
Ergo utrobique est actuale peccatum. Et hac ratione verè  
continuatur peccatum furti. Ergo ne continuetur, statim  
tenemur ad restitutionem. In aliis autem peccatis non ita  
sit, quia quando perjurium semel elapsum est, non amplius  
continuatur, vt sit actuale peccatum (licet ut macula.) Vn-  
de non tenemur relinquere peccatum perjurij eodem præ-  
cepto perjurij, quo tenebamur non peierare; quia quod  
manet post actum perjurij, est tantum macula per modum  
habitus. Vnde tantum est præceptum affirmatiuum relin-  
quendi maculam peccati, nempè præceptum reconcilia-  
tionis cum Deo. Præcepta autem affirmatiua non statim,  
sed suo tempore obligant.

Tertia Obiectio. Scriptura vult, vt statim conteramur,  
Eccl. cap. 5. Non tardes conuerti ad Dominum. Respondeo est  
consilium, non præceptum.

CAPUT

## CAP V T XXXVI.

*De necessitate Confessionis.*

- 1 **P**RIMO queritur: An confessio præcepta sit iure diuino. *Secundo*, an etiam iure Ecclesiastico. *Tertio*, quinam obligentur hoc præcepto. *Quarto*, quando obligentur.

## Q V A S T I O I.

*An Confessio præcepta sit iure diuino?*

- 1 **E**rror primus est confessionem non à Christo, sed ab Ecclesia institutam & præceptam. Ita Lutherani & Calvinistæ. *Secundus* error est, esse quidem institutam, non tamen à Christo præceptam. Ita Bonavent. in 4.d.17.dub.1. circa text. Magistri. Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacra. part. 14. cap. 1. Erasmus in schol. super ep. Hier. ad Ocean. Et Beat. Rhenanus in annot. ad lib. Tertul. de pœnit. *Tertius* error præceptum confessionis esse quidem diuinum, non tamen deduci posse ex Euangelio, sed tantum haberi ex traditione Ecclesiæ. Ita Scotus in 4.d.17.q.unic. Gabr. art. 1. Et Medina Codice de confess. in q.2.

- 2 Prima Conclusio. Confessio sacramentalis est à Christo instituta, Ioan.20.vers. 22. illis verbis: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, &c.* Ita Concil. Trident. sess.14. can. 5. & probatur, quia Christus ibi contulit Apostolis & eorum successoribus iudicariam potestatem absoluendi à peccatis in foro conscientiæ. Hæc autem potestas non potest exerceri, nisi audita prius causa. Ergo necesse est, ex Christi institutione, Sacerdotes prius audire confessionem, quam ferant sententiam absolutionis.

- 3 Secunda Conclusio. Confessio non solum à Christo instituta, sed etiam præcepta est iisdem verbis. Ita loco citato. Trident. Probatur, quia Christus dedit Apostolis potestatem non solum absoluendi, sed etiam retinendi peccata fidelium. Ergo fideles tenentur comparere in corum iudicio. Si enim liberum esset comparere, non possent co-

rum

Q V Æ S T I O II.

*An Confessio sit præcepta iure Ecclesiastico?*

1 **I**N Concilio Lateranensi sub Innocentio III. continetur præceptum Ecclesiasticum his verbis: *Omnis veriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis peruerterit, omnia sua solus peccata, saltem semel in anno, fideliter confiteatur proprio Sacerdoti.* Hic queritur primo, an hoc præceptum annuæ confessionis sit merè Ecclesiasticum? Affirmat Adrianus quæst. 1. de confessione, &c alij, qui negant extare Diuinum præceptum confessionis? Respondeo. Non est merè Ecclesiasticum, sed modificatio, seu determinatio Diuini præcepti, ut patet ex Trident. sess. 14. cap. 5. vbi sic ait: *Neque enim per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, ut Christi fideles considerentur, quod iure Diuino necessarium esse intellexerat, sed ut præceptum confessionis saltem semel in anno ab omnibus & singulis, cum ad annos discretionis peruenissent, impleretur.*

2 Quæres secundo: Si confessio non esset præcepta iure Diuino, an præcipi posset iure Ecclesiastico? Negat Paludanus in 4. d. 17. quæst. 2. artie. 2. Canus, & alij. Ratio, quia Ecclesia non potest quicquam præcipere circa actus internos. Sed multa sunt peccata interna. Ergo non potest circa hæc quicquam præcipere. Respondeo, Ecclesia potuisset præcipere confessionem, posita sola institutione sacramenti. Probatur primo, quia de facto apud quosdam Religiosos præcepta est confessio venialium, quæ iure Diuino non est præcepta, licet sit instituta. Secundo, quia licet Ecclesia non possit directè & per se percipere actus internos, potest tamen indirectè & per accidens quod tunc fit, quando percipit actum externum, qui rectè fieri non potest sine interno actu. Sic enim directè præcipit externum actum recitandi horas Canonicas, & indirectè internam attentionem & deuotionem. Idem est de externa confessione, quæ non potest fieri sine interna dispositione, & manifestatione internorum peccatorum. Quod si Christus

ad confessionem non requireret integritatem, ita ut peccata interna per solam contritionem expiari possent, probabilius est Ecclesiam nullo modo ad eorum confessionem obligare posse.

**3 Quæres tertio :** An Pontifex posset abrogare hoc præceptum. Resp. Posse abrogare ex ea parte qua Ecclesiasticum est, tollendo determinationem temporis: non tamen ex ea parte qua Diuinum est tollendo, simpliciter obligationem confitendi.

### Q V A E S T I O   I I I .

*An Pontifex Maximus tenetur hoc præcepto?*

**1 A** Liqui recentiores putant teneri præcepto Concilij Lateranensis quoad vim directuam, non quoad coactiuam. Richard. in 4.d.17.a.2. dicit teneri Diuino simpliciter, Ecclesiastico de congruo. Nauar. de penitentia, d.5. in principio. Respondet. Si Concilium sit supra Papam, ut volunt Parisienses, teneri præcepto Concil. Lateranensis. Si Papa sit supra Concilium, ut volunt Itali, non teneri.

**2 Vnica Conclusio :** Pontifex tenetur ad confessionem annuam posita approbatōne Concil. siue sit inferior, siue superior; non tamen est obnoxius poenæ, nisi inferior. Hæc secunda pars patet, quia neque à se potest iudicari, aut puniri, neque ab inferiori, neque ab æquali. Prima pars probatur, quia, etiam posito, quod sit superior, quod quisque iuris in alterum statuit, ipso eodem iure uti debet, c. cum omnes, de constitutionib. Ita Incōc. ad c. quoddam. Secundū, quia turpis est pars quæ dissonat toti, præsertim præcipua. Vnde Christus Matib. 23. v. 4. reprehendit imponentes onera grauia & nolentes ea mouere. Ex hac conclusione ergo conciliari possunt citati Authores, qui enim negant, Pontificem obligari ex vi Concilij, respiciunt potestatem Ecclesiasticam præcisè, cui non subditur Pontifex lege positiva, cùm par in parem non habeat imperium. Qui autem affirmant obligari, spectant ius naturale, quod præcipit ut pars toti consonet.

## QVÆSTIO IV.

*An fideles teneantur hoc præcepto?*

**A**Liqui putant eos teneri præcepto Ecclesiastico, quia Ecclesia tantum habet potestatem in baptizatos, teneri tamen Diuino, quia Christus habet potestatem in omnes, & dedit præceptum vniuersale. Alij rectius sentiunt neutro teneri. Non Ecclesiastico, ob rationem dictam. Non Diuino, quia Christus neminem voluit teneri ad confessionem, nisi qui post baptismum lapsus esset, ut patet ex Trident. sess. 14. cap. 2. vbi hæc regula seruanda est: Nemo est capax reliquorum sacramentorum, nisi prius sit baptizatus. Omnes quidem infideles tenentur ad baptismum, non tamen ad alia nisi præcedente baptismo. Addo, etiam si infidelis suscepisset baptismum, non tamen teneri ad confessionem eorum peccatorum quæ ante baptismum commissa sunt, quia non sunt legitima materia confessionis.

## QVÆSTIO V.

*An pueri teneantur hoc præcepto?*

**P**RIMA Conclusio: Omnes pueri, cùm ad annos discretionis peruenierunt, tenentur præcepto annuæ confessionis, ut patet ex Lateranensi & Trid. locis cit. Ratio, nam tunc possunt peccare mortaliter. Ergo possunt obligari ad confessionem. Hinc sequitur primo, eos teneri ante annos pubertatis, quia citius ad discretionem boni & mali, quam ad puberatatem solent peruenire. Secundo, eos non Ecclesiastico tantum, sed & Diuino præcepto teneri, quia aliqui determinatio Diuina ad eos non pertineret.

Dices: Pueri ante puberatatem ipso iure inhabiles sunt ad matrimonium & alios contractus. Ergo etiam ad confessionem. Resp. Non sequitur, quia sicut ius Ciuale ex legitima causa potuit eos facere inhabiles ad contrahendum, sic ius Ecclesiasticum ex legitima causa potuit eos obligare ad confessionem.

\* SECUNDA Conclusio: Puéri ante annos pubertatis, licet teneantur

teneantur ad legem annua confessionis, non tamen tenentur ad poenam quæ statuitur in transgresiores illius legis, nempe ad poenam excommunicationis, aut priuationis sepulture, quæ assignatur in dicto præcepto. Ratio est, quia poena illa est valde rigida, & solùm maioribus videtur imposita. Hoc patet ex c. *Pueris*, de delictis puerorum; vbi Greg. IX. dicit, Pueros sèpè delinquere, non tamen in iis punienda esse delicta sicut in maioribus.

Dices. Trid. sess. 25. c. 5. de Regularibus, prohibet etiam pueros septa ingredi Monialium sub poena excommunicationis. Ergo pueri puniri possunt hac poena. Resp. Sicut in præcedenti casu ex benignitate legis intelligimus non esse appositam poenam pueris, sic etiam in hoc casu.

## Q V A E S T I O . VI.

*An habentes sola venialia teneantur hoc præcepto?*

1 **A**ffirmant Alex. Alens. 4. p. q. 18. m. 4. a. 2. Richard. in 4. d. 17. art. 2. q. 4. ad 1. S. Bonau. ibid. art. 2. q. 1. Et probatur primo, quia in cap. *Omnis utriusque*, vniuersaliter omnibus præcipitur annua confessio. Neque ex eo cap. colligi potest, quod tantum præcipiatur habentibus mortalia. Secundo, quia pastor debet quotannis vultum sui pecoris recognoscere, quod aliter non fit nisi confessione. Alij tamen Theologi negant, vt D. Thom. in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 1. q. 3. ad 3. Scot. ibid. Paludan. q. 2. art. 4. Durand. q. 9. Gabriel q. 1. a. 2.

2 Prima Conclusio. Iure Diuino necessarium non est confiteri peccata venialia. Patet ex Trident. sess. 14. c. 5. vbi duo dicit. Primo, utile esse confiteri venialia. Secundo, non esse necessarium ea confiteri, & posse multis aliis remediosis expiari.

3 Secunda Conclusio: Non tenemur etiam confiteri venialia ex præcepto Ecclesiastico de annua confessione. Probatur, nam Ecclesia non fecit nouum præceptum de confessione, sed solùm determinauit Diuinum præceptum ad certum tempus. Ergo si non tenemur præcepto Diuino confiteri venialia, non tenemur etiam determinatione huius præcepti.

**4** Tertia Conclusio : Nihilominus , qui haberet tantum venialia, deberet quotannis suo parocho sicut alij confitenti ; aut , si nolleat confiteri , deberet saltem comparere coram parocho , & testari de seipso , quod non egeat confessione . Hoc autem non tenetur facere vi præcepti confessionis , sed iure naturali ad evitandum scandalum , aut ne incurrat aliquam infamiam , aut notam in populo , præsertim quando deferuntur in scriptis ad Episcopum , qui confessi non sunt.

### Q V A E S T I O V I I .

*An præceptum Confessionis obliget in articulo mortis.*

*non habet* **P**rima Conclusio : Præceptum confessionis iure Divino obligat in articulo mortis , id est , quando instat bellum pericolosum , aut periculosa nauigatio , aut in ægritudine corporis , iuxta iudicium prudentis viri . Est communis sententia .

Probatur , nam nullo tempore magis necessaria est confessio , quam in articulo mortis , præsertim si quis habeat peccata mortalia .

**2** Secunda Conclusio : Circa tempus huius obligationis in articulo mortis definiuit Innocentius III . c . cum infirmitas , de pœnitentia & remiss . vt Medici vocati ad ægrotos teneantur statim eos admonere ad confessionem , neque expectent tempus periculi . Quam Constitutionem postea renouauit Pius V . in quadam Bulla , vbi etiam iubet , vt Medici , quando promouentur Doctores , iurent se obseruatoris hanc constitutionem , & non datus medicinam corporalem , nisi intra triduum adhibita sit medicina spiritualis .

### Q V A E S T I O V I I I .

*An præceptum confessionis obliget semel annis singulis ?*

*nobis* **P**rima Conclusio : Præceptum confessionis ex determinatione Ecclesiae obligat omnes fideles , ut semel in

in anno confiteantur, quacunque parte anni id fiat. Ita Dom. Sot. in 4. d. 18. qu.1. art.4. Canus in Relefl. de pænitentia, part.5. Nauarrus in Manuali, cap.2. num.9. Ratio est, quia in capitulo Omnis intriusque nullum certum tempus anni assignatur, sed solum præcipitur ut semel in anno fiat confessio.

2 Secunda Conclusio: Præceptum confessionis non quidem ratione sui, sed ratione Eucharistie obligat omnes, ut in Quadragesima, vel in Paschate confiteantur. Ita Autores citati. Nam in Paschate tenemur ex præcepto Ecclesiæ communicare. Nemo autem potest communicare, nisi præmissa confessione, ut dicetur in seq. quest. Ergo ratione communionis obligamur ad confitendum in Paschate.

3 Tertia Conclusio: In observatione huius præcepti, quo iubemur semel singulis annis ratione sui confiteri, non debemus computare annum ab una confessione ad aliam, ut putauit Dom. Soto, sed à Ianuario in Decembrem. Ratio, quia ille est communis mos computandi apud Christianos. Deinde, si computaremus secundum sententiam Soti, non esset dicendum *semel in anno*, sed *semel intra annum*, aut *duodecimo quoquo mense*. Vnde secundum Sotum non satisfaceret præcepto, qui hoc anno confiteretur in Ianuario, & sequenti in Februaria vel Martio.

4 Quarta Conclusio: Qui in anno sèpè confitetur venialia tantum, & postea ante finem anni committit vnum mortale, non satisfacit præcepto annuæ confessionis, nisi confiteatur illud mortale, & tamen satisfaceret, si in prioritibus confessionibus habuisset aliqua mortalia cum venialibus. Nam præceptum annuæ confessionis est determinatio Diuini præcepti. Sed hoc obligat non ad veniale, sed ad mortale. Ergo, qui in anno peccauit mortaliter, tenetur determinatione Diuini præcepti.

5 Quinta Conclusio: Qui toto elapsso confessus non est ~~teneo~~ anno, tenetur in præsenti anno bis confiteri, semel ex præcepto præteriti anni, & semel ex præcepto præsentis anni. Ita Medina Cod. de confess. quest.14. Dom. Sotus loc. cit. & Nauarrus in Man. cap.21. num.45. Tametsi aliqui contrarium sentiant, afferentes tantum teneri præcepto

758 CAP. XXXVI. DE SACRAMENTIS  
præsentis anni. Quia sicut obligatio iejunij & recitationis  
Horarum obligat, designato suo tempore, quo elapso non  
tenetur quis iejunare, aut dicere horas præteriti diei. Sic  
& elapso anno non tenetur quis confiteri præcepto præ-  
teriti anni. Sed probatur conclusio primò ex praxi Eccle-  
siæ, quia, qui non confitentur intra annum, licet non sint  
excommunicati iure communi, sèpissimè tamen excom-  
municantur iure Synodali, à qua excommunicatione ab-  
solui non possunt, nisi confiteantur. Idquè non ob aliam  
causam, nisi vt impleant præceptum, quod neglexerant.  
Possent autem absolui, si amplius non tenerentur præcep-  
to, à quocunque etiam parocho, extra confessionem, vt  
patet ex cap. nuper. *De sententia excommunicationis.* Modò  
non sit excommunicatione reseruata. Secundo, probatur ex fi-  
ne legis, & ex differentia, quæ est inter obligationem con-  
fessionis ex una parte, & obligationem iejunij, ac recita-  
tionis horarum ex altera parte, quja finis præcepti iejunij  
& horarum est, vt in honorem talis, aut talis diei oblige-  
mur ad iejunandum, aut orandum. Vnde fit vt hæc obliga-  
tio extinguitur elapso tali vel die, neque ulterius possit  
progredi. Finis autem præcepti confessionis longè aliud  
est, quia non obligamus confiteri in honorem certi ac de-  
terminati temporis, sed ob usum & necessitatem sacra-  
menti. Vnde quia Christus suo præcepto non determina-  
uit, quoties debeamus hoc sacramentum frequentare; ideo  
Ecclesia ordinauit, vt minimum semel in anno id fieret. Si  
ergo tenemur confiteri vt minimum semel in anno; multo  
magis tenemur confiteri vt minimum semel in longiori  
tempore. Ergo elapso anno non expirat obligatio confi-  
tendi, sed magis crescit.

---

### QVÆSTIO IX.

*An præceptum Confessionis obliget ratione  
SS. Eucharistie?*

**P**rima Conclusio. Quando aliquis vult communicare,  
sive hoc fiat in Paschâ ex præcepto Ecclesiæ, sive alio  
quocunque tempore, debet prius confiteri si est in peccato  
mortali, neque sufficit contritio. Ita Trident. Sess. 13. cap. 7.  
iuxta

iuxta illud 1. Cor. II. *Probat autem seipsum homo, & sic de pane illo edat.*

**2 Secunda Conclusio.** Præceptum confessionis ratione Eucharistiæ non obligat per se, sed ratione Eucharistiæ; & ita vnicum esset peccatum communicare sine confessione, non omissionis, sed commissionis. Ita Sotus in 4. d. 18. q. 1. a. 4. Canus loc. cit. Vnde, qui non reciperet Eucharistiam, neque confiteretur tempore Paschatis, vnum tantum committeret peccatum, nisi forte, ut notat Sotus, idem esset tempus præcepti confessionis & Eucharistiæ, quod in eius opinione fieri potest, quia computat annum à confessione in confessionem. At in nostra sententia nunquam potest concurrere eodem tempore Paschatis, vtrumque præceptum per se, quia totus annus est commodus ad impletum præceptum confessionis.

**3 Secunda Conclusio.** Non solum Laici tenentur confiteri ante communionem, sed etiam sacerdotes ante celebrationem Missæ, modò non desit illis copia confessarij. Quod si necessitate urgente sacerdos absque prævia confessione celebrauerit, tenetur statim confiteri post celebrationem. Ita definiuit Tridentinum *sess. 13. cap. 7.* Nota, in Tridentino duplex præceptum habetur, vnum Diuinum, quo tenentur omnes Christiani confiteri ante sumptuosa Eucharistiæ, iuxta hoc: *Probat autem seipsum, &c. alterum Ecclesiasticum, quo tenentur sacerdotes confiteri statim post Missam, si antè non potuerint.* Et hoc est præceptum peculiare à Tridentino latum.

**4 Quæres,** an hoc obliget etiam laicos? Ratio dubij est, quia sicut fieri potest ut sacerdos aliquis verè contritus de peccato mortali, cuius sibi est conscius, non teneatur confiteri ante Missam, quando deest copia confessarij, ita fieri potest, ut laicus quis, qui iam accessit ad altare sumpturus Eucharistiam, recordetur alicuius peccati mortalis, quod ante illi non occurrerat, & tamen non teneatur statim surgere coram populo, & confiteri ante communionem, ne subeat aliquam notam & infamiam. Ergo si sacerdos post Missam tenetur statim confiteri, quando est occasio, videatur etiam Laicus teneri peracta Communione. Ita sentit Nauarrus, in *MAB. cap. 2. num. 10.* Ratio ipsius est, quia

licet Tridentinum loquatur de Sacerdotibus tantum, quando statuit hoc præceptum, tamen si interrogaretur; idem explicaret de Laicis. Resp. Laici non tenentur illo præcepto, quia Concilium tantum loquitur de sacerdotibus. Cum ergo præceptum sit aliquo modo onerosum, non debet extendi ad Laicos. Nec satis est diuinare, quid Tridentinum facturum esset, si interrogaretur; sed standum est verbis Concilij, quia per se clara sunt. Potest ergo laicus quovis tempore confiteri illud.

5 Quæres secundo, an Sacerdos in omni casu teneatur confiteri post missam si ante confessus non est mortale. Resp. Sacerdos tripliciter potest accedere ad celebrandum cum peccato mortali, sine prævia confessione. *Primo* ex malitia, ut quando scit se habere mortale, & tamen non vult confiteri etiamsi possit. *Secondo* ex ignorantia, ut quando non recordatur peccati mortalitatis, nisi post inchoatam Missam, quod tamen fuisset confessus si ante Missam illi occurrisset. *Tertio* ex necessitate, ut quando scit se peccasse mortaliter, & libenter vellet confiteri, sed non habet confessarium. Itaque Tridentinum propriè loquitur de hoc tertio casu. Ratio, quia Concilium voluit cauere ne sacerdotes qui in eodem oppido, vel pago non habent confessarium, prætextu necessitatis celebrandi populo negligenter fierent in querendo Confessario. In aliis duabus casibus cessat hæc ratio, quia non est talis prætextus necessitatis, cum in altero sit mera malitia, in altero mera ignorantia.

## C A P V T   X X X V I I .

D E Q V A L I T A T E  
C O N F E S S I O N I S .

**A**NC D qualitatem Confessionis tria potissimum requiruntur. *Primo*, ut sit integra. *Secundo*, ut sit vera. *Tertio*, ut sit secreta, id est, fiat coram solo sacerdote. De his tribus agendum est ordine.

## QVÆSTIO I.

*An Confessio debeat esse integra?*

<sup>1</sup> INTEGRITAS Confessionis in his tribus consistit. *Primo*, ut pœnitens confiteatur omnia peccata mortalia à se commissa. *Secundo*, ut explicet numerum. *Tertio*, ut addat circumstantias mutantes speciem.

<sup>2</sup> Prima Conclusio. Pœnitens debet confiteri omnia & singula mortalia, quæ post diligentem sui discussionem memoriæ occurunt. Ita Trid. *Seſſ. 14. c. 5.* Vnde si post diligens examen conscientiæ non possit omnia recordari, non tenetur etiam omnia confiteri, & tamen confessio erit integra, & habebit suum effectum, si aliunde nihil obſteret.

Quæres: Quanta requiratur diligentia in examinanda conscientia? Resp. sufficit illa diligentia, quam viri mediocriter timentes Deum pro sua conditione & statu solent adhibere. Ita Dom. Sotus *diſt. 18. art. 4. ad 3. q. 2.* Henriquez *lib. 2. de Pœnitentia, cap. 1.* & alij. Addit Nauarrus *cap. Fratres. De Pœnitentia, diſt. 5. n. 73.* minorem diligentiam requiri in eo qui magnam spem integratatis ponit in examine Confessarij, cui paratus est respondere, eò quod nesciat per se peccata inuestigare.

<sup>3</sup> Secunda Conclusio. Pœnitens debet exprimere numerum peccatorum, etiam in eadem specie, dicendo, verbi gratia, se decies furatum, mentitum esse, &c. ut colligitur ex Tridentino *loco citato*. Quod si certus numerus non occurrit, debet exprimere verisimilem, dicendo se decies, aut circiter furatum esse. Si nec verisimilis numerus haberi potest ob longam & frequentem peccandi consuetudinem, satis est indicare tempus à quo cœpit peccare, & consuetudinem quam illo tempore habuit peccandi, dicendo verbi gratia, se ter aut quater quotidie, aut menstruatim, tanto tempore hoc vel illud peccatum commisſe.

<sup>4</sup> Tertia Conclusio. Pœnitens debet explicare omnes circumstantias mutantes speciem peccati. Ita Tridentinum *loco citato*. Nota duplices esse circumstantias propriæ spectantes ad peccatum: quædam mutant speciem pec-

cati, ut furari in loco sacro, fornicari cum coniugata, consanguinea, moniali, & haec debent necessariò explicari, ut definit Conc. Aliæ non mutant speciem, sed tamen aggrauant, aut minuunt peccatum intra eandem speciem, ut sunt quantitas, conatus, intentio, malitia, ignorantia, passio, &c. Nam grauius peccatum est intra eandem speciem, quod fit maiori conatu, quam quod minori, item quod ex malitia, quam ex ignorantia aut passione, item grauius est furari mille florenos, quam decem. De his circumstantiis dubium est an sint explicanda. Loquimur autem de iis, quatenus augent vel minuunt mortale intra latitudinem mortalitatis. Nam si ex veniali faciant mortale, certum est debere explicari. Neque intra has circumstantias intelligo numerum, quia iam dictum est ex Tridentino, illum explicandum. Aliqui docent huiusmodi circumstantias necessariò explicandas. Ita Altisiodorensis lib. 4. summae, tract. cap. 3. q. 3. Alensis 4. p. 9. 77. m. 3. art. 2. Marsilius in 4. q. 12. artic. 1. Albertus d. 17. a. 36. Ioan. Maior. ibid. quest. 4. & Dom. Sotius quest. 2. art. 4. Et probatur ex Trident. sess. 14. cap. 5. ubi probat integratem confessionis ita: quia sacerdotes incognita causa non possunt exercere iudicium; neque feruare æquitatem in poenis iniungendis. Haec autem ratione tam bene conuincit de circumstantiis aggrauantibus, quam de mutantibus speciem; quia, si necessarium est explicare circum mutantem speciem, ut feruetur æquitas, erit etiam necessarium explicare aggrauantes, ut iuxta mensuram delicti iniungatur poena, alioqui coecum erit iudicium confessarij, si poenam iniungat, & nesciat quam sit paruum & magnum peccatum confitentis.

Probabilius tamen est, circumstantias aggrauantes intra eandem speciem non esse necessariò explicandas in confessione. Ita docet S. Thom. Bonaventura, Richard. Durand. Nauarr. & alij apud Valent. q. 9. p. 1. conclus. 5. Fundamentum est, quia præceptum confessionis est merè posituum (non naturale) & ex voluntate Christi, à qua omnia pendent, quæ in confessione præcipiuntur. Potuit ergo Christus hoc sacramentum instituere sine obligatione explicandi circumstantias aggrauantes. Ergo quamdiu non constat de voluntate Christi & præcepto, nullus tenetur

cas explicare in confessione. Sed de tali præcepto non constat, vel ex traditionibus, vel ex Scriptura, vel ex Patribus & Conciliis. Imò verò, quando Concil. Trid. *sess. 14. cap. 5.* explicauit præceptum Confessionis, solùm ostendit nos teneri ad tria, nempe ad explicandas peccatorum species, numerum & circumstantias speciem mutantes. Ergo satisfaciens præcepto confessionis, qui obseruat hæc tria, licet relinquit circumstantias aggrauantes. Ad argumentum contrarium. Resp. Sacerdotem debere seruare æquitatem in pœnis iniungendis, quoad ea tria quæ Concilium à nobis requirit. Quod si magis exacta æquitas seruanda esset, deberet nobis hoc legitimè constare.

Dices : in furto non satis est dicere se furatum esse notabilem quantitatem, sed addendum est, quantum sit furatus. Ergo, &c. Resp. quantitas furti explicanda est ob tres causas. *Primo*, vt constet an sit mortale an veniale. *Secundo*, quia furtum solet esse peccatum reseruatum alii cubi in certa quantitate. Ergo sacerdos debet scire, an sit tantum furtum à quo ipse non possit absoluere. *Tertio*, debet explicari ob restitutionem, vt confessarius videat facultatem pœnitentis, & lœsionem creditoris, & sic iudicet secundūm iustitiam, quomodo & quando facienda sit restitutio.

### Q V A E S T I O I I .

*An semper & in omni casu confessio debeat esse integra?*

**I**S Vnt quinque casus, de quibus dubitari potest, an licet aliquia peccata omittere, vt tamen Confessio censeatur valida. *Primo*, quando ægrotus priuatur voce & non potest nisi per signa confiteri. *Secundo*, quando pœnitens habet casus reseruatos à quibus non potest proprius sacerdos absoluere. *Tertio*, quando pœnitens habet aliquod peccatum, quod non potest explicare nisi manifestando personam complicis. *Quarto*, quando quis non potest aliquod peccatum confiteri sine periculo vitæ. *Quinto*, quando quis non potest confiteri nisi violando sigillum confessionis.

2 Prima Conclusio. Sacerdos potest absoluere infirmum in tribus casibus, etiamsi Confessio non sit integra, quoad externum sermonem. *Primo*, quando coepit confiteri & non potest perficere. *Secundo*, quando signis & nutibus explicat sua peccata in specie. *Tertio*, quando signis & nutibus exprimit aliqua peccata in specie, & non potest omnia exprimere. Hæc certa sunt apud Theologos, Dubium est an absolui possit ægrotus, quando tantum præbet signa peccati in genere, qualia sunt signa contritionis & confessionis. Multi negant, vt Abulens. in cap. 16. Matth. q. 79. Dom. Sot. in 4. d. 18. q. 2. a. 5. Canus in Relect. de pœnitent. p. 1. Nauar. in Manu. c. 26. num. 27. Ratio est, quia Tridentinum docet necessariam esse confessionem peccatorum non tantum in genere, sed etiam sigillatim & in specie, quia, cum absolutio sit actus judicialis, causa debet esse cognita sacerdoti. At talis non est confessio, quæ fit signis tantum contritionis & confessionis.

Alij tamen affirmant, vt S. Anton. 3. part. t. II. cap. 2. Ioan. Medina Cod. de pœnitent. Cordubensis quæst. 30. de Indulgent. dist. 3. Angelus verbo Confess. 4. num. 8. Valentia quæstione II. part. 1. conclus. 6. Et probatur ex Concil. Arausicano, c. II. vbi sic dicitur: *Subito obmutescens (prout statutum est) baptizari, aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habeat, aut præsentis in suo nutu.* Quod definiuerat antea Concil. Carthaginense I V. c. 76. Et ratio est, quia, sicut is, qui oblitus est alicuius peccati in particulari, & tamen in genere dicit se fecisse aliquod mortale, potest absolui: sic etiam in proposito casu nostro. Nam sicut obliuio excusat, sic etiam impotentia. Neque hic deest materia absolutionis, quia externa signa quibus se ostendit peccasse, & de peccatis dolere, sunt sufficiens materia absolutionis in necessitate. Confirmatur, quia, sicut ex institutione sacramenti necessarium est confiteri peccata in specie; Sic etiam necessarium est confiteri peccata secundum numerum, vt supra dixi ex Trid. Ergo sicut in necessitate excusamur ab integritate confessionis, quoad numerum peccatorum in particulari, sic etiam quoad speciem. Nam idem est ius utriusque, & utrumque ius est à Christo.

3 Secunda Conclusio. De eo qui habet casus, vel peccata reseruata, dicendum est *inferius cap. 40.* an possit confessionem & diuidere, & vnam partem confiteri suo Confessario ordinario, alteram verò superiori, vel Episcopo. Dicemus quod non.

4 Tertia Conclusio. Confitens, qui habet aliquod peccatum quod explicare non potest nisi manifestet personam complicis, debet querere Confessarium, qui non nouit personam complicis. Quod si hoc non potest, aliqui putant hanc circumstantiam omittendam esse, & reliqua peccata confitenda. Ita Marsil. *in 4. quæst. 12. art. 1.* Nauarrus *in Man. cap. 7. num. 20.* & seqq. & *in capitulo Consideret. num. 98.* vbi citat Innocentium & Ostiensem. Ratio Nauarri est: quia, quando occurunt duo præcepta, que simul seruari non possunt, seruandum est illud quod est maius & fortius. Sed præceptum naturale de non infamando proximo est fortius quam sit præceptum posituum de facienda *integra confessione*. Ergo, quando simul occurunt, seruanda est fama proximi, & omittenda *integritas confessionis*. Ergo persona complicis non est manifestanda. Alij rectius docent manifestandum esse, ut confessio sit *integra*, præsertim si nullum aliud damnum sequatur, quam infamatio complicis apud solum sacerdotem. Ita Dom. Soto *quæst. 2. art. 5.* vbi citat Diuum Thom. Bonaventuram & Durandum. Idem docent Syluester, Angelus & alijs recentiores ex D. Bernardo *in opuscule de formula honestæ vitæ, circa finem,* vbi ait: *De nullo prorsus sinistre loquaris nisi in Confessione, & hoc ubi non potes aliter manifestare peccatum tuum.* Ratio Soti est, quia cum teneatur sacerdos sigillo secreti, etiam quoad peccatum complicis, non censetur illa infamatio. Sed contra, quia sic liceret etiam extra necessitatem reuelare, quod tamen falsum est. Secunda ratio Soti est, quia complex sua culpa coniecit se in hoc periculum, ut eius peccatum reuelaretur in confessione, quia sciebat esse præceptum de integritate confessionis. Sed contra, quia complex potest esse in contraria sententia, nimisrum non esse præceptum de integritate confessionis in tali casu.

Vera ergo ratio est, quia occultum proximi peccatum alteri

766 CAP. XXXVIL DE SACRAMENTIS  
alteri manifestare non est intrinsecè malum & contra legem naturalem, sed tantum in duobus casibus. *Primo*, quando fit sine rationabili causa. *Secundo*, quando fit ex intentione infamandi. Nam si hæc intentio desit, & alioquin interueniat sufficiens causa, non erit peccatum detractio-  
nis, aut infamationis. At in nostro casu non est intentio infamandi, sed integrè confitendi, & aliunde sufficiens causa est, cur peccatum complicis debeat explicari, nempe ad conseruandam integritatem confessionis. Ergo in ta-  
li casu nihil peccatur contra ius naturale de non infaman-  
do proximo. Quod autem sit sufficiens causa probatur,  
quia maius bonum est regulariter conseruare integritatem confessionis ob reuerentiam sacramenti, quam conseruare famam vnius apud solum confessarium.

Ad argumentum ergo contrarium Respondeo, quando duo præcepta concurrunt, quæ simul seruari non possunt, illud seruandum est, quod est maius & fortius, si modò materia utriusque præcepti occurrat cum omnibus circumstantiis requisitis. Hoc autem non fit in nostro casu, ut ex dictis superius patet.

5. *Quarta Conclusio.* Quandounque graue aliquod periculum animæ, vel corporis ex confessione alicuius peccati, vel ipsi pœnitenti, vel confessario, vel alicui alteri imminet, potest omitti illud peccatum. Ita Medina *q. 7. de Confessione.* Nauarrus in *Man. cap. 7. num. 4.* Valentia *q. 11. part. 1. conclus. 6.* Hoc autem periculum potest dupliciter imminere. *Primo* ex malitia, vel fragilitate, vel imprudentia Confessarij, qui aliquando prodit secretum confessionis, & infamat confitentem; aut concipit in illum odium, aut sollicitat fœminas ad peccatum. Quando ergo pœnitens probabiliter timet tale periculum ex Confessione alicuius peccati, potest illud tacere apud talem confessarium, & postea alteri confiteri. *Secundo*, potest hoc periculum aliunde prouenire, idque variis modis. *Primo* si ægrotus, dum confitetur, patiatur paroxysmos. Tunc enim confessarius non debet expectare integrum Confessionem, quia periculum est ne ægrotus decedat sine absolutione, sed auditio uno peccato mox absoluat pœnitentem, & deinde reliqua audiat. *Secundo*, si confessarius morbo cor-  
ripiatur,

ripiatur, potest statim pœnitentem absoluere, præsertim si sit in periculo, & non adsit alius confessarius. Hic casus sepè locum habet tempore pestis, aut alterius contagiosi morbi. *Tertio*, si in procella maris, aut grassante peste, aut irruente subito prælio, aut alio simili casu essent multi pœnitentes, & sacerdos non posset singulos interrete ex ordine audire, potest audire simul multos alta voce aliquod peccatum confitentes, & simul eos omnes absoluere, præsertim quando adest periculum mortis.

Idem dico, quando multi essent in hospitali ægrotantes, & confessarius non posset omnibus in necessitate succurrere. Tunc enim obligat charitas non perfidere Confessionem vniuersitatisque, sed à singulis audire unum peccatum, & statim absoluere, ac postea, si fieri potest singulorum Confessionem perfidere. Vide Henriquez lib. 2. t. 12. §. 3.

**6 Quinta Conclusio.** Quando sacerdos audiens alicuius Confessionem committit peccatum in danda absolutione, quod non potest aperire suo confessario, nisi reuelando peccatum alterius in confessione auditum, tunc non debet illud confiteri, sed omittere. Ita Valentia loc. citato Medina q. 10. de confess. Nauar. cap. 8. num. 6. Ratio est, quia præceptum de secreto seruando maius est, quam præceptum de integritate confessionis.

### Q V A E S T I O III.

*An confessio debeat esse vera, & quam grave sit mentiri?*

**1** *T*ripliciter contingit aliquem mentiri in confessione. *Primo*, circa res non pertinentes ad confessionem, ut circa parentes, patriam, studia, &c. *Secundo*, circa materiam confessionis non necessariam, ut sunt peccata venialia. *Tertio*, circa materiam necessariam, ut sunt mortalia. In his omnibus potest tripliciter committi mendacium. *Primo*, affirmando quod non est. *Secundo*, negando quod est.

**2 Prima Conclusio.** Mentiri circa res non pertinentes ad confessionem per se loquendo non est peccatum mortale,

tales, sed tantum veniale: grauius tamen in confessione, simile esset mendacium quam extra confessionem. Est communis sententia. *Prima* pars probatur, quia illud mendacium habet se tantum concomitanter ad confessionem, & non sit materia sacramenti, ac proinde non continet gravem iniuriam. *Secunda* pars probatur, quia haec ipsa concomitantia est aliqualis indecentia circa sacramentum. *Dixi per se*, quia excludo si per mendacium inferatur damnum proximo.

*3. Secunda Conclusio.* Mentiri circa peccatum veniale, negando, se fecisse quod fecit, non est nisi veniale, secluso contemptu. Mentiri autem affirmando se fecisse quod non fecit, aliquando est mortale, aliquando veniale. *Prins patet*, quia peccatum veniale non est necessaria materia confessionis. Ergo potest omitti. Ergo si quis neget se fecisse, tantum mentitur circa materiam leuem, & per se non necessariam ad sacramentum. Imò aliqui putant, si quis rogatus à confessario de veniali peccato, neget se id fecisse, etiamsi reuera fecerit, non tamen esse mendacium, ac proinde nec peccatum. Ratio horum est, quia quando iudex non interrogat iuridicè, non mentitur reus negando factum, etiamsi reuera fecerit. Sed confessarius non interrogat iuridicè quando querit de veniali, cùm hoc non pertineat necessariò ad ipsius tribunal. Ergo non mentitur, qui negat se fecisse quod fecit. Ita Suarez *disputat. 26. l. 10.* *Secundo* pars probatur, quia si quis affirmet se fecisse unum veniale, quod non fecit, & præter illud veniale nihil aliud confiteatur, reddit absolutionem irritam; quod est graue sacrilegium. Et sic meritò censetur mortaliter peccare. Si autem præter illud veniale confiteatur alia peccata, quæ reuera commisit, solùm peccat venialiter, quia mentitur circa materiam leuem & per se non necessariam ad salutem.

*Dices:* Mentiri in iuramento etiam circa rem leuem, est mortale, ob reuerentiam iuramenti. Ergo etiam mentiri in Sacramento. Non enim minor reuerentia debetur Sacramento, quam iuramento. Respondeo. Non est par ratio. Nam peccatum periurij, quod committitur in iuramento, non sumit suam grauitatem à magnitudine, vel paritate

tate materiae; sed ex eo praecepsè, quod Deus vocetur in testem alicuius falsitatis. Hoc autem & què fit in parua ac in magna materia. Sacrilegium autem, quod committitur in Sacramento confessionis ratione mendacij, pendet potissimum ex materia sacramenti. Si ergo est parua materia; & minimè ad Sacramentum necessaria, non potest esse magnum sacrilegium.

**4 Tertia Conclusio:** Mentiri circa peccatum mortale in confessione, semper est mortale peccatum, seclusa ignorantia & conscientia erronea, aut scrupulosa. Est communis sententia. Et probatur, quia hoc mendacium potest contingere dupliciter. *Primo*, si neges, aut occultes peccatum mortale à te commissum. *Secundo*, si te falso accuses de mortali peccato. De *primo* constat esse mortale, quia, qui occultat peccatum mortale, facit contra integritatem confessionis, & reddit absolutionem irritam; quod est graue sacrilegium. De *secundo* etiam patet, quia, qui mendaciter imponit sibi peccatum mortale quod non fecit, decipit iudicem in re graui. Et sic etiam peccat contra integritatem confessionis, quia tenebatur fideliter referre causam, ut iudex cognosceret, qualem deberet ferre sententiam. Si quis tamen vel ex ignorantia, vel ex scrupulo accusaret se falso in confessione, excusaretur à peccato. Vide Henriq. I. 2. c. 4. litera C.

### QVÆSTIO IV.

*An confessio debeat secretæ esse & fieri coram solo Sacerdote?*

**1 D**uplex est secretum confessionis. *Vnum*, quod tenetur seruare Confessarius audita alterius confessione, de quo *infra*. *Alterum*, quo pœnitens debet secreto facere confessionem apud solum sacerdotem. Non est autem quæstio, an pœnitens habeat ius infamandi seipsum publicè causa humilitatis. Verior enim sententia est id posse fieri, quando nihil aliud sequitur quam propria infamatio. Hoc ergo queritur, an confiteri publicè coram pluribus sit contra institutionem huius sacramenti, & ita non sit vera sacramentalis confessio. Scot. in 4.d.17. quest. unica, art. 3. Gabriel. ibid. quest. 1. artic. 2. Angelus verb. confessio. 1. num. 39. putant

780 CAP. XXXVII. DE SACRAMENTIS  
secretum esse de essentia sacramentalis confessionis; quando peccata ( cordis ) sunt secreta. Vnde consequenter docent, non posse fieri confessionem per interpretem, aut coram duobus, aut pluribus sacerdotibus, sed necessario faciendam esse vni soli sacerdori.

2 Prima Conclusio : Potest esse vera confessio sacramentalis secretorum peccatorum, etiamsi publicè fiat, aut pluribus sacerdotibus, aut per interpretem. Ita D. Thom in 4. d. 17. q. 3. art. 4 q. 3. ad 2. Palu. & Ioan. Maior. ibid. Adrian. q. 1. de confessione. Nauar. cap. 2. num. 8. Valent. quest. 10. p. 1. & plerique alij. Et patet ex Trident. sess. 14. c. 5. vbi docet Christum non prohibuisse publicam confessionem, si pœnitens voluntariè illam facere velit. Loquitur autem de sacramentali confessione, cuius præceptum ibi explicat. Et ratio est, quia, licet confessio fiat publicè, potest tamen esse vera accusatio ex dolore cordis profecta, per quam sacerdos sufficienter cognoscat causam & statum illius ut possit legitimè iudicium ferre.

3 Secunda Conclusio: Ex duplici causa fieri posset, vt aliquis vellet confiteri duobus simul sacerdotibus. Primo, ratione consilij, vt si putaret se plus consilij & consolationis à duobus quam ab uno haberet posse. Secundo, ratione causum referuatorum, vt si adesset Prælatus, qui solùm vellet absoluere à refaruatis; & simul adesset Parochus, vel alias ordinarius, qui absolucret à non referuatis.

### Q V A E S T I O . V.

*An obliget confessio, quando aliter fieri non potest, quam publicè aut per interpretem?*

1 **A** Liqui putant nunquam obligare in tali casu, vt Cai. in sum. verb. confessio. Ang. verb. conf. 1. num. 29. Med. c. de pœn. Pet. Sot. leet. 11. de confessione. Dom. Sot. in 4. d. 18. qu. 2. 6. Alij putant solùm obligare in articulo mortis, vt Canus, Syluester & alijs apud Henr. l. 2. t. 2. §. 6. lit. o.

2 Prima Conclusio : Extra articulum necessitatis nemo obligatur confiteri publicè aut per interpretem. De publica patet ex Trident. loc. cit. At de confessione per interpretem non satis constat. Plerique tamen DD. benignè interpretantur

pretantur præceptum Diuinum, ut non obliget, nisi secréto apud solum sacerdotem. Sic enim suauius efficitur ex parte secreti.

**3 Secunda Conclusio :** In articulo mortis tenemur confiteri publicè aut per interpretem, si aliter fieri confessio non potest. Hæc obligatio non oritur præcisè ex institutione & præcepto confessionis, quia iam dictum est hoc præceptum non obligare ad publicam confessionem; sed oritur ex præcepto naturali, quo peccator tenetur iustificari in articulo mortis.

**4 Dices :** Huic præcepto naturali potest satisfacere per contritionem. Respondeo. Ita est. Vnde, qui probabiliter putat se contritum esse coram Deo, non tenetur confiteri publicè vel per interpretem, quia, licet securior esset via confessionis, tamen non tenetur eligere modum tutiorem iustificationis. Si autem non credit probabiliter se esse contritum, tenetur confiteri ex præcepto iustificationis, quia tenetur cum Deo reconciliari, & non supereft alia via nisi confessionis.

**5 Hinc sequitur primo,** quod qui antea confessus esset sua peccata legitimè, & tamen ex inculpabili obliuione prætermisisset aliqua, non teneretur illa in articulo mortis publicè, aut per interpretem confiteri, si non haberet alia. Ratio, quia peccata, quæ prætermisit, tantum tenetur confiteri iure positivo diuino confessionis; non autem præcepto naturali iustificationis, quia ab illis reuera iustificatus est. Præceptum autem confessionis quatenus tale est, non obligat publicè, aut per interpretem. **Secundo,** sequitur, quod si aliquis in naui periclitaretur cum aliis, nec probabiliter crederet se contritum de mortalibus, teneretur etiam publicè ea confiteri, si aliud non esset remedium. Idque non ex præcepto positivo confessionis, sed ex naturali præcepto iustificationis. **Tertio,** ea quæ diximus, vera sunt, etiamsi nullum esset præceptum confessionis, quia in articulo mortis non habenti contritionem, simpliciter esset confessio medium ad salutem necessarium.

*An aliquis dum præsens est Sacerdoti , possit ei confiteri per scriptum ?*

**1** **D**om. Sotus putat esse peccatum sic confiteri , & confessionem esse nullam. Addit tamen validam fore, si aliquis scripta peccata sacerdoti offerret, & ipsi legenti & interroganti annueret pœnitens per singula peccata confitendo.

**2** Prima Conclusio. Non est contra naturam Sacramenti confiteri per scriptum sine voce ; ac proinde ex hac parte non est inualida confessio quæ fit per scriptum. S. Thom. *quod. l. 1. artic. 10.* Scotus *in 4. distinct. 17. quest. 1.* Canus *in Rel. de confess. part. 5.* Henriquez *l. 2. cap. 2. §. 6.* Et probatur primo , quia mutus potest ita confiteri , ut omnes concedunt. Ergo non est contra naturam Sacramenti. Secundo , quia ex institutione huius Sacramenti non constat aliud quam necessariam esse causæ cognitionem. Sed Sacerdos non minus cognoscit causam scripto quam voce.

**3** Secunda Conclusio. Licet non sit contra naturam & institutionem sacramenti , est tamen peccatum mortale ex suo genere confiteri per scriptum ; & ex hac parte absolutio fit irrita , quia ponitur obex. Ita D. Thom. *loc. cit.* Palud. Richard. & Maior. *in 4. d. 17.* Et probatur , quia in usu sacramentorum non licet quicquam facere contra communem consuetudinem. Ergo non licet scripto , sed voce confiteri.

Dices : Si peccatum est confiteri per scriptum. Ergo tantumdem est atque si esset contra naturam Sacramenti , quia in utroque casu absolutio inualida est. Respondeo. Illa duo multum inter se differunt , quia , et si peccatum fit ita confiteri , tamen fieri potest , ut pœnitens excusat à peccato ob ignorantiam , si bona fide putet licitam esse talem confessionem. Et tunc absolutio erit valida & habebit suum effectum. Si verò esset contra naturam sacramenti , etiam secluso peccato , quantumcunque sit bona fides , erit inuaria confessio : & ideo repetenda.

**4** Tertia Conclusio. Confessio per scriptum admitti potest in aliquo casu, si sit causa rationabilis, ut notat Canus; veluti si puella aliqua præ verecundia non posset voce confiteri, aut si quis præ angore non posset loqui, aut præ singultu nequirit. Ratio quia talis confessio nihil habet vitij, nisi quod sit contra communem usum. Sed communis usus non debet, ita strictè obligare, ut non ob rationabilem causam possit aliquando contrarium fieri.

### QVÆSTIO VII.

*An, qui aliter quam per scriptum confiteri non posset, teneretur confiteri, si alias esset præcepta confessio.*

**1** **N**egant Dom. Soto *loco citato*. Nauarr. cap. 21. num. 36. Et Valentia quest. II. part. I. Ratio est, quia nemo tenetur confiteri per interpretem. Ergo neque per scriptum, cum sit par ratio. Sit ergo


**2** Unica Conclusio: Verisimilium est, quod in tali casu teneatur pœnitens scribere peccata, & ea offerre sacerdoti, si nutu non potest explicare, ut docet Petr. Sot. l. II. de confess. Et Maior. in 4. dist. 17. quest. I. Ratio est, quia aliud de interprete, & aliud de scripto est. Nam quando fit confessio per interpretem, non fit coram solo Sacerdote, sicut quando fit per scriptum. Neque timendum est, ne confessarius rapiat scriptum & aliis porrigat. Sicut enim huic confidimus, quando voce proferuntur peccata, ita etiam quando traduntur scripto.

### QVÆSTIO VIII.

*An liceat per literas aut nuncium inter absentes confiteri?*

**1** **A**ffirmant Paludanus in 4. dist. 17. quest. 2. artic. 2. S. Anton. 3. part. tit. 14. cap. 19. §. 9. Sylvest. verb. confessio. 1. num. 16. Armilla verbo confessio. num. 23. Petrus Soto in instructione Sacerdotali, lib. II. de confessione secreta. Dominicus Soto in lib. de ratione regendi secreti, m. 3. quest. 4. conclusione 5. Nauarr. in Mantic. cap. 21. num. 36. Sed

784 C A P . XXXVIII . D E S A C R A M E N T I S  
contrarium definiuit Clemens VIII . his verbis : *Sanctissimus Dominus noster hanc propositionem , scilicet licere per literas , seu internuncium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri , & ab eodem absente absolutionem obtinere , ad minus uti falsam , temerariam at scandalosam damnauit & prohibuit , &c.* Post hanc definitionem factam aliqui docuerunt licere quidem pet litteras aut internuncium absenti confiteri ; non tamen absolutionem obtinere ab absente ; quia putabant illud prius per se non esse damnum à Pontifice , sed quatenus coniungitur cum posteriore . Sed tutius est relinquere Pontifici suorum verborum interpretationem .



## C A P V T    XXXVIII .

### *De Ministro confessionis .*

I C A M primo , de eius potestate , iurisdictione & subditis . Secundo , de scientia & prudentia . Tertio , de approbatione . Quarto , de obligatione . De sigillo secreti & reservationibus dicetur *infra* pluribus .

---

## Q V Ä S T I O    I .

### *An Minister confessionis debeat esse Sacerdos ?*

I Vtherus articul . 13. inter articulos à Leone X . damnatos dicit , Papam & Episcopum non plus facere in sacramento Pœnitentiae , aut remissione peccatorum , quam puerum , vel mulierem . Fundamentum eius est , quia sacramenta non operantur , nisi excitando fidem . Sed verba absolutionis , à quocunque pronuncientur , æquè excitant fidem .

2 Prima Conclusio : Solus sacerdos est Minister huius sacramenti . Ita definiuit Constantiense in Bulla Mar . V . Et Trident . sess . 14 . c . 6 . & c . 10 . Probatur ex scripturis , quia Matth . 18 . versic . 18 . Et Ioan . 20 . versic . 23 . solis Apostolis & eorum successoribus promissa & data est potestas clavium . Et in Vet . Test . iudicium lepræ solis fæcere comprobauit .

probauit, mittens leprosos ad Sacerdotem. Idem docent PP. Et ratio est, quia in hoc Sacramento est quoddam iudicium. Potestas autem iudicandi non debet omnibus committi, sed tantum principibus & magistratibus Rei publicæ, &c.

3 Secunda Conclusio: Confessio facta laico non est Sacramentalis, neque unquam fuit necessaria. Prius patet, quia confessio fit sacramentalis ob absolutionem. Sed laicus non habet potestatem absoluendi. Ergo confessio illi facta non est sacramentalis. Posterius patet, quia nullum est præceptum nec Diuinum, nec Ecclesiasticum, nisi de confessione facienda Sacerdoti. Deinde, quia necessitas confessionis oritur ex necessitate absolutionis quam Laicus non potest dare.

Quæres: an saltem in articulo mortis deficiente Sacerdote necesse sit confiteri Laico, non ut ille absoluat, sed ut seruetur præceptum confessionis, quantum fieri potest? Affirmat Magist. in 4. distinct. 17. Et D. Thom. ibid. quæst. 3. articul. 3. quæst. 2. ad 1. Rectius alij negant, ut Durand. distinct. 17. quæst. 11. Gabriel. quæst. 2. articul. 3. dub. 7. Palud. quæst. 3. quia nullum extat de hoc præceptum, ut dixi. Solùm posset esse præceptum naturale confiteri Laico, non quidem integrè omnia peccata, sed ea tantum, ad quorum remedium indigemus ipsius consilio: quod tamen rarissimè contingit, maximè in extrema necessitate.

4 Prima Obiectio: Cyprian. l. 3. epist. 17. concedit ut lapsi in persecutione possint in articulo mortis, si Sacerdos non adfuerit, apud Diaconum exomologesin facere, & manus impositionem accipere. Et S. Augustin. l. de vera & falsa pœnitent. cap. 10. ait: Tanta vis est confessionis, ut si desit Sacerdos, confiteatur proximo. Respondeo. Cyprianus non loquitur de Sacramentali, sed de ea confessione quæ ab agentibus publicam pœnitentiam, fieri solet in cum finem, ut absoluantur ab excommunicatione, & reconcilientur Ecclesiæ. Quæ confessio potest fieri Diacono habenti iurisdictionem absoluendi ab excommunicatione. S. August. autem commendat confessiōnem, quæ fit Laico, non tanquam necessariam, sed tan-

776 C A P . XXXVIII . DE SACRAMENTIS  
quam utilem , tum quia homo excitat in se dolorem peccatorum , dum ea alteri confitetur : tnm etiam , quia per eam verecundiam ex parte satisfacit pro peccatis : tum denique , quia consilium & consolationem ab altero accipere potest . Eodem modo intelligi potest Magister commendans confessionem Laico factam in extrema necessitate , prasertim quando abest scandalum , & omne aliud periculum quod inde posset prouenire . Forte etiam Diu . Thom . non loquitur de præcepto , sed de consilio , vt Sotus explicat . Quod autem D . Thom . addit defictum Sacerdotis à summo sacerdote suppleri , intelligendum est , quoad consecrationem remissionis peccatorum , si alter est contritus , non autem , si tantum est attritus , quia nulla extat huius rei promissio . Vnde illa suppletio esset omnino præter legem ordinariam .

5 Secunda Obiectio : Sanct . Iacob . capite 5 . verste . 16 . dicit : *confitemini alterutrum peccata vestra* . Vbi non tantum Sacerdotes , sed etiam laicos intelligit . Vnde ibi Bed . ait : Coæqualibus quotidiana & leuia , grauiora vero Sacerdotibus pandamus . Similia habet Gloss . in capite *Pastoralis* , de officio iudicis ordinarij . Respondeo . Sanctus Iacobus loquitur , vel de confessione , quæ fit alteri tanquam fratri ad correctionem , cuius consilium est , non præceptum : vel , si loquitur de Sacramentali , secundum aliquos ; intelligendum est , præceptum esse tantum Sacerdotibus confiteri , vt sensus sit : Confitemini non tantum Deo , sed etiam alterutrum , id est , homo homini , sed Sacerdoti . Beda intelligi potest sicut sanctus Augustinus .

6 Tertia Obiectio : Sicut baptismus est Sacmentum necessitatis ; ita etiam pœnitentia , sed in illo quilibet potest esse Minister ob necessitatem . Ergo etiam in hac . Respondeo . Extensuè maior est necessitas baptismi quam confessionis , quia infantes indigent baptismo , non autem confessione .

7 Quæres : Si Laicus tentet absoluere , an fieret irregularis . Affirmant Paludanus , Scotus , Nauarrus & Valentia quæst . 10 . part . 1 . & probant ex Decretalibus de Clerico non ordinato , cap . 1 , vbi sic habetur : *Si quis baptizauerit , aut aliquod*

aliquid Diuinum officium exercuerit non ordinatus, propter temeritatem abiicitur de Ecclesia, & nunquam ordinetur. Alij rectius negant, quia nemo poenam irregularitatis incurrit, nisi hoc sit expressum in iure. At in iure nihil est expressum, nisi de eo qui baptizat, aut diuinum Officium exercet. Nomine autem diuini Officij solùm intelligitur sacrificium Missæ, & solemnis decantatio Euangeliū aut Epistolæ, vt patet ex vsu canonum.

## QVÆSTIO II.

*An quilibet Sacerdos habeat potestatem absoluendi quemlibet hoc ipso, quod Sacerdos est?*

**Q**VÆSTIO est de mortalibus. Nam de venialibus infra dicam. Armas. lib. II. qq. Armenorum, c. I. & seq. docet Sacerdotes in ipsa ordinatione iure Diuino accipere plenam potestatem, & iurisdictionem absoluendi quemlibet. Quod putat Durandus esse probabile in 4. d. 19. q. 2. vbi tria dicit. *Primo*, quemlibet Sacerdotem posse absoluere quemlibet peccatorem à quolibet peccato seclusa Ecclesiæ ordinatione. *Secundo*, per ordinationem Ecclesiæ factum esse, quod non quilibet possit quemlibet absoluere à quilibet. *Tertio*, Ecclesiam hoc faciendo nihil mutasse eorum quæ sunt essentialia Sacramento. Et in his tribus comparat Sacerdotes respectu absolutionis cum Episcopis respectu ordinationis. Nam etiam Episcopi iure Diuino habent plenam potestatem ordinandi quemlibet, nisi legitimè ab Ecclesia prohibeantur. Hæc sententia probatur *primo*, quia Sacerdotes sunt à Christo iudices constituti in foro poenitentiæ, sine illa limitatione aut exceptione, iuxta Ioann. 20. vers. 23. *Quorum remiseritis*. *Secundo*, quia quilibet Sacerdos potest absoluere quemuis in articulo mortis. Ergo in articulo mortis habet plenam iurisdictionem respectu cuiuscumque poenitentis. Sed non habet illam ab Ecclesia, quia Ecclesia non potest illam reuocare in articulo mortis. E. habet iure Diuino. *Tertio*, si Sacerdotes haberent iurisdictionem ab Ecclesia, & non à Christo, nullus haberet iurisdictionem super Pontificem, quia sicut Pontifex non habet iurisdictionem

788 CAP. XXXVIII. DE SACRAMENTIS  
supra scipsum; ita non potest illam alteri concedere: sicut  
etiam non potest alteri concedere iurisdictionem excom-  
municandi ipsum Pontificem.

2 Prima Conclusio: Iurisdictione est Sacerdoti necessaria  
iure Diuino, ita ut sine iurisdictione nulla sit absolutio  
ipsius. Patet ex Concilio Florent. vbi tria essentialiter re-  
quiruntur ad hoc Sacramentum, materia, forma, & Mini-  
ster habens iurisdictionem. Et ex Tridentin. sess. 14. c. 7.  
vbi dicit, nullius momenti esse eam absolutionem, quam  
Sacerdos profert in eum, in quam ordinariam, aut subde-  
legatam non habet iurisdictionem. Ratio est, quia abso-  
lutio est actus judicialis. Ergo requirit iurisdictionem in  
subditos.

3 Secunda Conclusio: Hanc tamen iurisdictionem iure  
Diuino requisita non accipit Sacerdos immediatè à Chri-  
sto in Sacramento Ordinis, ita ut possit quemlibet paenit-  
tentem absoluere, hoc ipso, quo Sacerdos ordinatus est.  
Probatur primo, quia alioqui omnes Sacerdotes haberent  
iurisdictionem ordinariam vi Ordinis, quod est contra  
Concil. Tridentinum, ex quo constat quosdam habere ordi-  
nariam, quosdam delegatam. Secundo, si daretur talis  
iurisdictione vi Ordinis, non posset per Ecclesiam suspendi,  
sicut potest consecrandi nullo modo per Ecclesiam sus-  
pendi potest, ita ut irrita sit consecratio, quia scilicet vi  
Sacramento Ordinis datur. At iurisdictione absoluendi po-  
test ab Ecclesia suspendi, ut & sepe fit.

4 Tertia Conclusio: Iurisdictione necessaria Sacerdoti ad  
absoluendum, partim confertur à Christo, partim ab Ec-  
clesia seu Pontifice. Duo enim possunt spectari in illa iuris-  
dictione. Primo, potestas absoluendi ex parte Sacerdotis, quæ immediatè confertur à Christo in ordinatione  
Sacerdotis. Secundo, applicatio materiæ, quæ fit ab Ec-  
clesia, vel à Pontifice. Ex his duobus oritur perfecta, & inte-  
gra iurisdictione, quæ vocari potest actualis iurisdictione, ut  
vocat eam Nauar. quia est potest expedita ad operan-  
dum, cum habeat debitam materiam applicatam. Potestas  
verò ex parte Sacerdotis tantum potest vocari iurisdictione  
habitualis, quia est impedita, neque potest exire in actu  
ob defectum applicationis materiæ. Hæc autem applicatio  
non

non sit voluntate ipsius poenitentis qui iudicandus est, sed voluntate Pontificis, qui diuidit Episcopatus & Parochias. Fit autem dupliciter. *Primo*, via ordinaria, ut quando aliquis constituitur Episcopus alicuius dioecesis, aut Parochus alicuius Parochiae. *Secundo*, ex commissione, ut quando proprius Pastor suam ouem alteri committit, non constituendo illum Pastorem ex officio, sed suas illi vires committendo. Et hoc facere potest Pontifex in toto orbe Christiano, Episcopus in sua dioecesi, & Parochus in sua Parochia.

## QVÆSTIO III.

*An quilibet Sacerdos habeat potestatem absoluendi  
Pontificem?*

1 **P** Anormitanus putat, Pontificem non teneri ad confessionem, atque ita non opus esse de eius confessario disputare. Sed contraria, quia præceptum confessionis est Diuinum, quo etiam Pontifex obligatur. Dom. Soto in 4.d.18. quest. 4.art. 2. & Turrecr. lib. 1. de Ecclesia, c. 99. dicunt, Pontificem conferre iurisdictionem Sacerdoti quem eligit in confessarium. Sed si intelligant de iurisdictione ex parte principij actiui, id est, Sacerdotis, falsum est, quia illam omnes Sacerdotes accipiunt à Christo in ipsa consecratione. Ruard. Tapp. art. 3. Louariensium, p. 100. & Canus in Rel. p. 5. docent, omnes Sacerdotes iure Diuino accipere iurisdictionem supra Pontificem, supra alios autem ab Ecclesia. Sed contraria, quia nomine iurisdictionis, vel intelligunt actuam ex parte principij actiui; & hanc non tantum accipiunt Sacerdotes à Christo supra Pontificem, sed etiam supra quoscumque alios: vel intelligunt iurisdictionem ex parte materiae; & haec confertur Sacerdotibus ab Ecclesia tam circa Pontificem, quam alios. Sic enim voluntarie se subdit Sacerdoti cuilibet Pontifex, sicut subdit alios.

2 Prima Conclusio: Quando Pontifex eligit sibi Sacerdotem in confessarium, non constituit ipsum iudicem, neque tribuit illi auctoritatem supra seipsum, quia auctoritas iudicandi ex parte Sacerdotis est ab ipso Christo, sed seipsum constituit materiam illius potestatis quam Sacerdos accepit.

780 CAP. XXXVIII. DE SACRAMENTIS  
acepit à Christo , sicut enim Pontifici committitur assi-  
gnatio materiæ in aliis , sic etiam in seipso.

3 Secunda Conclusio : In hoc differt Pontifex ab aliis  
superioribus Ecclesiæ , nempe ab Episcopis & Parochis ,  
quod Pontifex iure Diuino possit eligere sibi confessar-  
ium quemcumque velit , alij non possint . De Pontifice  
constat , quia Christus commisit illi , tanquam vniuersali  
Pastori , ut ipse cuique Sacerdoti assignaret poeniten-  
tes , qui ipsius iurisdictioni subessent . E. potest seipsum  
quatenus pœnitens est subiicere alicui Sacerdoti , cui vult .  
Quod hoc alij non possint , probatur , quia si possent eli-  
gere sibi confessarium iure Diuino ; ita se possent subiice-  
re eius potestati , ut ab omnibus peccatis absolui possent  
iure Diuino ; quod tamen falso est , quia constat illorum  
peccata referuari posse à Pontifice , ut ab iis non possint  
absolui sine illo .

---

#### Q V A S T I O I V .

*An quilibet Sacerdos possit quolibet absoluere  
in articulo mortis ?*

1 Prima Conclusio . Certum est omnes Sacerdotes ha-  
bere potestatem absoluendi quolibet penitentes à  
quibuslibet peccatis & censuris in articulo mortis , quia  
hoc expressè definiuit Tridentin . sess . 14. c . 7. Solùm potest  
dubitari an hanc potestatem habeant iure Diuino , an Ec-  
clesiastico , Durand . d . 19. quest . 2. ad 4. Canus loc . cit . Ruard .  
*suprà* , & Palud . dist . 20. quest . 1. art . 2. putant habere iure  
Diuino . Ratio , quia nisi Christus contulisset hanc ple-  
nam circa omnes , & omnia potestatem , non sufficienter  
pronidisset extremè laborantibus , quia Ecclesia pro libi-  
to posset auferre hanc potestatem , si eam voluntate sua  
conferret .

2 Secunda Conclusio . Ab Ecclesia concessum est , ut  
quiuis Sacerdos possit quemlibet absoluere in articulo  
mortis . Ergo hæc facultas competit Sacerdotibus iure Ec-  
clesiastico , non Diuino . Ita Doin . Soto , Medina , Turrecr .  
Bonauentura , & Antoninus 3. p . t . 17. c . 4. Debet autem con-  
clusio secundum nostram sententiam sic intelligi , quod  
ex cog-

ex concessione Ecclesie, quilibet Sacerdos habeat quemlibet pœnitentem pro legitima materia in articulo mortis. Nam potestatem actiua non habet ab Ecclesia, sed à Christo. Probatur conclusio, quia si Christus vniuersaliter extra articulum mortis non assignauit materiam Sacerdotibus, sed reliquit assignandam ab Ecclesia. Ergo reliquit etiam in extrema necessitate, cum nullum sit testimonium aut ratio, quare in uno casu non assignauerit, in alio vero assignarit.

3: Dices: Ergo Ecclesia posset negare hanc facultatem in articulo mortis; & sic non esset sufficienter prouisum extremè laborantibus. Respond. Ecclesia nunquam negavit hanc facultatem, neque permittet Deus, ut aliquando neget. Confirmatur *primo*, quia sicut nunquam negat facultatem absoluendi à censuris, ita neque à peccatis. *Secundo*, quia tota iurisdictio, & potestas absoluendi à censuris non solum ex parte materiae, sed etiam ex parte principij actiui confertur immediatè ab Ecclesia. Ergo haec iurisdictio magis pendet ex voluntate Ecclesie, quam iurisdictio absoluendi à peccatis. Si Ergo Ecclesia nunquam in articulo mortis negat priorem iurisdictiōnem, presumendum est non negaturam etiam posteriorem. *Tertio*, quia absolutio à censuris necessariò præmitenda est absolutioni à peccatis, ita ut haec nihil valeat sine illa. Ergo si relinquitur benignitate Ecclesie, ut concedat absolutionem à censuris in articulo mortis, idem dici potest de absolutione à peccatis. Vnde siue dicamus potestatem absoluendi quemlibet à peccatis concessam esse iure Diuino, siue Ecclesiastico; æquè semper prouisum est extremè laborantibus, & non maius periculum est in uno, quam in alio. Quamuis enim esset concessa iure Diuino, potest tamen Ecclesia negare absolutionem à censuris, sine qua non potest esse absolutione à peccatis.

## QVÆSTIO V.

*An hec facultas sit etiam concessa Sacerdotibus excommunicatis, suspensis, interdictis & hæreticis?*

- 1 **N**egant aliqui concessam esse excommunicatis, suspensis & interdictis, ut Medina c. de Conf. quæst. 35. Couarr. c. alma mater, §. 6. n. 8. & Marsilius in 4. quæst. 12. art. 2. Ratio est, quia censura Ecclesiastica ipso facto tollit iurisdictionem. Sed iurisdictionio necessaria est ad absolutionem à peccatis. Ergo censura impedit talem absolutionem. Alij negant concessam esse hæreticis. Nauarr. in Man. cap. 26. num. 26. & cap. 27. num. 272. Dom. Soto in 4. d. 18. quæst. 4. art. 4. & D. Thom. bīc quæst. 82. art. 7. ad 2. Sit ergo
- 2 Conclusio: Omnes Sacerdotes sine vlla exceptione habent plenam iurisdictionem in articulo mortis, circa quæcumque peccata & censuras; idque ex vniuersali concessione Ecclesiæ, iuxta nostram sententiam antè explicatam, aut iure Diuino secundūm alios. Ita Canus in Releff. p. 5. Durand. suprà. Ruardus art. 3. Maior in 4. d. 19. q. 1. D. Thom. ibid. q. 1. art. 3. q. 1. Quamuis alibi contrarium docuerit. Et Valentia quæst. 10. p. 2. Et patet ex Trident. sess. 14. c. 7. vbi exp̄resse docet omnes Sacerdotes posse absoluere in articulo mortis, nec vllam facit exceptionem. Ergo neque nos debemus facere. Ratio, quia omnes Sacerdotes, qualescumque sint, seu hæretici, seu excommunicati, verè rētinent iurisdictionem actiua, quia rētinent characterem Sacerdotalem, cuius altera pars est actiua iurisdictionio. Ergo verè sunt capaces iurisdictionis passiuæ, id est, potest illis assignari materia pro iurisdictione actiua. Ergo cùm ex concessione Ecclesiæ assignata sit omnibus materia in articulo mortis, & ab hac concessione non sint illi nominatim exclusi, erit eadem ratio de omnibus.

## QVÆSTIO VI.

*An quiuis Sacerdos possit quemuis absoluere  
à Venialibus?*

<sup>1</sup> **N**egant Medin. & Nauarr. in *Man. cap. 4. n. 5. & 6. &c in*  
*capit. Placuit, d. 6. de pénitentia, num. 22.* Ratio est,  
quia absolutio non solum à mortalibus, sed etiam a venia-  
libus requirit iurisdictionem. At non quilibet Sacerdos  
habet iurisdictionem in quemuis.

<sup>2</sup> Alij rectius affirmant, ut Dom. Soto *diss. 18. quæst. 4. art. 2.*  
*ad 3. Canus & Ruard. locis citat. Caiet. tom. 1. opusc. tract. 7.*  
*quæst. vniuersitatis. Palud. d. 19. q. 2. art. 3.* Ratio est, quia iurisdi-  
ctio actiuia datur omnibus Sacerdotibus vi Ordinis. Ap-  
plicatio autem materiae, respectu mortalium fit ab Eccle-  
sia: At respectu venialium potest fieri ab ipsis pénitenti-  
bus. Nam cuilibet pénitenti liberum est iure Diuino  
subiicere se sacerdoti, cui vult, quoad venialia. Hoc pro-  
batur *primo* à posteriori, quia venialia non possunt re-  
seruari. *Secundo* à priori, quia sunt libera materia confes-  
sionis. Nam pénitenti liberum est subiicere ea clauibus  
Ecclesiæ, vel non. Ergo liberum est subiicere cuicunque  
iudici, qui habeat actiuam potestatem absoluendi. Non  
enim est ratio cur potius hic, quam alius debeat esse iudex  
respectu venialium. Confirmatur ex *cap. Omnis utriusque*  
*sexus*, quia ibi præcipitur ut singuli confiteantur morta-  
lia proprio Sacerdoti. Ergo signum est venialia posse con-  
fiteri alieno. Hinc sequitur idem esse dicendum de morta-  
libus semel confessis & absolutis, cum sit par ratio. Non  
enim sunt necessaria materia confessionis sed libera.

## QVÆSTIO VII.

*An necessarium sit confiteri proprio Sacerdoti?*

<sup>1</sup> **L**oquor de confessione mortalium, quæ nunquam  
explicata sunt, idque extra articulum mortis, ut  
dictum.

<sup>2</sup> Prima Conclusio. Præceptum est ut quisque confi-  
teatur proprio Sacerdoti, vel alieno de licentia proprij,  
*cap.*

294 CAP. XXXVIII. DE SACRAMENTIS  
cap. Omnis utriusque. Hoc sensu definiuit Trident. sess. 14.  
cap. 7. absolutionem nullius esse momenti, quam Sacerdos profert in eum, in quem non habet iurisdictionem delegatam.

3 Secunda Conclusio. Proprius sacerdos est is, qui habet iurisdictione via ordinaria, & cui ex officio incumbit cura animarum, qualis est Pontifex respectu totius Ecclesie, Episcopus respectu suæ dioecesis; Parochus respectu Parochie, & Praelati Ordinum respectu suorum subditorum. Alienus est, qui ab aliquo horum accipit iurisdictionem ex commissione.

---

### Q VÆSTIO VIII.

*Quinam pœnitentes habeant licentiam eligendi  
sibi confessarium?*

I Prima Conclusio. Generatim loquendo habent hanc licentiam. *Primo* Pontifex. *Secundo* Episcopi & Praelati. *Tertio* Parochi & Sacerdotes saeculares. *Quarto* Imperatores & Reges. *Quinto* Scholastici. *Sexto* Vagabundi. *Septimo* Peregrini. Sed non eodem iure. Nam Pontifex illam habet iure Diuino, ut dictum suprà Episcopi ac Praelati iure Ecclesiastico, ut patet cap. vlt. de pœnitent. & remissionibus. Parochi & Sacerdotes saeculares ex consuetudine; debent tamen eligere approbatum ab Episcopo, ut constat ex Tridentino. Imperatores & Reges ex peculiari priuilegio. Quod si non habeant, tenentur subesse Episcopo, vel Parocco illius loci in quo degunt. Scholastici pertinent ad eam Parochiam, in qua morantur. Vagabundi ad eam dioecesim, in qua tempore præcepti reperiuntur. De Peregrinis est eadem ratio. Solet tamen dubitari an in casibus proprio Episcopo reseruatis possint absolui in aliena dioecesi, quando peregrinantur. Affirmat Paludan. præfertim, quando peregrinatur cum licentia proprij Episcopi, quia, qui concedit licentiam peregrinandi, videtur etiam concedere ut absoluantur à casibus reseruatis. Hoc tamen bene negant Cajetanus & Sotus ex capit. Si Episcopus, de pœnitent. & remissione, in sexto, ubi sic legitur: Si Episcopus suo subdito concesserit, ut sibi possit idoneum eligere Confessorem,

*ille, quem is elegerit in casibus Episcopo reservatis, nullam habet penitus potestatem. Addit tamen Caietanus, ex consuetudine non tantum peregrinos, sed etiam alicubi agentes alicuius negotij causa, etiam sine licentia Episcopi, ad eam Parochiam, &c dioecesim pertinere, in qua inueniuntur. Et hoc ait Eugenium I V. viua vocis oraculo declarasse. Unde non ex concessione sui Episcopi, sed de iure pertinent ad eam dioecesim, vel Parochiam in qua tunc morantur. Quare etiam in casibus reservatis non est habenda ratio propriæ dioecesis, sed illius in qua inueniuntur.*

**2. Secunda Conclusio.** Præter particulares licentias, de quibus antè facta est vna generalis concessio iure Ecclesiastico, ut quilibet possit sibi eligere confessarium, quando proprius Parochus est ignarus & indoctus, *cap. placuit, de poenitentia, dist. 6. vbi Urbanus I I. sic habet: Placuit ut deinceps nulli Sacerdotum liceat quemlibet commissum alteri Sacerdoti ad poenitentiam suscipere, sine eius consensu, cui priùs se commisit, nisi pro ignorantia illius cui poenitens priùs confessus est. Ex his colligunt Rich. Palud. Gabriel, Adrianus, Syluest. & Medina, iure Ecclesiastico concessum esse poenitentibus eligere confessarium, quando proprius Sacerdos est ignarus.* Alias enī non satis prouisum esset poenitentibus.

Dices cum Cano, concessionem illam postea reuocatam esse *in c. Omnis utriusque*; quia ibi præcipitur, ut quisque confiteatur proprio Sacerdoti, aut alteri cum licentia proprij. Resp. non est reuocata, quia in eo capitulo nihil noui decernitur, præterquam temporis determinatio. Et illa verba citata tantum sunt explicatio Diuini præcepti de confessione proprio facienda, vel alieno cum illius licentia, unde non introducunt nouum ius: & sic non derogant antiquo iuri, *iu cap. placuit.*

Dices secundo, non minoris potest esse momenti aliis defectus proprij Sacerdotis, quam ignorantia. Ergo si conceditur licentia in casu ignorantiae, in alio etiam conceditur. Respon. non licet argumentari ab uno casu ad alium, quando unus est expressus in iure, alter non est expressus. Constat autem expressam esse in iure licentiam in casu ignorantiae, non autem in aliis.

Dices *tertio*: Ergo in aliis casibus non satis prouisum est pœnitenti; quia fieri potest ut Parochus sit malus, qui sollicitet pœnitentem ad peccatum. Si ergo non licet pœnitenti in tali casu eligere alium Confessarium, non satis est illi prospectum. Respon. in tali casu pœnitens censetur non habere copiam Confessarij. Vnde satis est habere contritionem, & iustificari proprio actu, perinde ac si mortuus esset Parochus, & nondum esset alius constitutus.

Dices *quarto*: Idem ergo licebit facere, quando Parochus est ignarus, cum sit par ratio. Respon. non est par ratio, quia in casu ignorantiae assignatur ibi alius Confessarius iure Ecclesiastico, quemcumque elegeris. In aliis casibus non assignatur alius.

**3 Tertia Conclusio.** Qui non habent licentiam confitendi alieno Sacerdoti, & tamen vellent alieno confiteri, debent ante Confessionem petere licentiam à proprio Parochio, neque sufficit spes futuræ ratihabitionis, ut rectè docent Anton. Gabriel, Maior, Sotus, Nauar, Syluest. & Medina. Probatur, quia quando non præcessit licentia, non fuit Sacramentum ab initio validum. Ergo postea accedente ratihabitione non potest suppleri eius defectus, quia non est in potestate proprij Parochi validum efficere Sacramentum quod antea nullum fuit. Ergo non sufficit illius ratihabitio. Confirmatur, quia Sacraenta instituta à Christo sunt. Ergo quæ ad illorum valorem, & effectum necessaria sunt, iure Diuino necessaria sunt. Ergo solo humano iure suppleri nequeunt. Sed iurisdictio Diuino iure necessaria est. Ergo si illa defuit ab initio, non potest postea suppleri per ratihabitionem hominis.

Dices cum Capreolo: Regula iuris est, quod ratihabitio retrotrahitur, & mandato comparatur, id est, ratihabitio talis est naturæ, ut habeat vim mandati, non secus, ac si rem, aut factum præcessisset. Ergo similiter in Confessione ratihabitio potest retrotrahi, & Sacramentum sortietur effectum. Respondent. Nauarr. & Medin. regulam eam tantum habere locum in iis quæ solo mandato superioris fieri possunt, cuiusmodi sunt contractus, qui pendent ex sola voluntate, & mandato Domini. At Sacramentum non pendet ex sola voluntate committentis iurisdictionem, sed requiri